
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
37
47 B
13
FONDO BORBONE

SCHOLA RELIGIOSA,

SEU

TRACTATUS ASCETICUS UNIVERSALIS,

SPECIALITER

PRO INSTRUCTIONE, & EDUCATIONE JUVENTUTIS RELIGIOSÆ



In Perfectione, & vera Vita Religiosa quoad hominem in- & externum:

Universaliter verò

PRO UTILITATE CUJUSVIS RELIGIOSI;

Principiis Fidei, S. Scripturæ, Sanæ Theologiæ, & Sanctorum Patrum conformiter clarô stylô, & methodô compositus

à

P. F. SIGISMUNDO NEUDECKER, Ord. Min. S. Franc. Strictioris Observantiæ Provinciæ Bavariæ tertiò Ex-Provinciali, SS. Theol. & SS. Canon. Lectore Jubilato.

PARS PRIOR.

Sumptibus Viduæ Joan. Andr. de la Haye, Bibliop. Ingolstad.

Monachij, Typis Joan. Jacobi Vötter, Stat. Prov. Bav. & Civit. Typographi.

Anno M. D CC. XXXVIII.

EMINENTISSIMO,
AC
CELSISSIMO
DOMINO, DOMINO
JOSEPHO
DOMINICO
EX COMITIBUS DE LAMBERG,
S. R. E.
CARDINALI,
S. R. I.
PRINCIPI, & EXEMPTO EPISCOPO
PASSAVIENSI &c.
PRINCIPI,



AC
DOMINO, DOMINO
CLEMENTISSIMO.

EMINENTISSIME,

AC

CELSISSIME

CARDINALIS,

PRINCEPS, AC DOMINE,

DOMINE CLEMENTISSIME.



Um in lucem prodit partus iste asceticus, in ipso ortu suo (utpote Authore post completam ex integro compositionem piè defuncto derelictus Pupillus) Patronum inclamitat. Sunt enim Libri velut *Liberi*, ambo Tutoribûs indigentes. Ad quem autem vota sua potiùs dirigat, nisi ad *Te*, *Princeps Eminentissime*? Qui uti omnes Episcopi, es Tutor Pupillorum, teste magno illo Hip-

Hipponensi Antistite D. Augustino, dicente: (a) *Pro magno commendantur Episcopis patrimonia Pupillorum.* Quid mirum proin, si Liber iste è tenebris prodeat, ut *Te Purpuratum Solem* aspiciat, & indefensus in manus *Potentissimi*, subjectissimus in *Principis*, humillimus in *Eminentissimi* sinum sese venerabundè inclinare anhelet?

Magna quidem petit; sed sibi tamen utilissima, *Tuáque Clementiâ, Eminentissime Princeps!* non omnino indigna. Sibi *primùm* utilissima. Est enim Doctrina Ascetica Gladius ille Davidis, cui infernalis Goliath cum capite fastum submittere cogebatur. Sed hic ipse Gladius quàm tutus erit, quàm ab omni arrodentis cavillationis rubigine securus, si à te altero Sacerdote Achimelech sit (b) *involutus palliò post Ephod* fulgentissimæ Purpuræ Tuæ! Est fortassis nec iste liber à mendis, utì nec sol à maculis liber: quàm felix proin erit, si in *Eminentia Tua* magnum illum Constantinum reperiat, qui Religiosorum hominum defectus Purpurâ obvelare suâ promittat! Est denique hic Tractatus *Schola Perfectionis*; quemadmodum igitur ex magnifica atrii structura totius ædificii pulchritudinem metimur, ita, dum *gratiosissimè Nomen tuum, Titulósque* præfigere indulges, sacrata quadam Majestate librum initias, lectorísque animum ab errorum, qui fors irrepserunt, consideratione inadvertentem avocas, totúmque in splendoris tui admirationem abripis, & convertis.

(c) Juvat hic inserere, quod P. Lucas Waddingus, familiæ nostræ Chronologus, in rem præsentem commodè narrat. Raptus aliquando in extasin S. Patriarcha no-

(a) *Serm. 19. de Verbis Apost.* (b) *1. Reg. 21.* (c) *Tom. 1. ad annum 1217. n. 2.*

noster Franciscus vidit Gallinam quamdam expansis alis pullos suos contra supervolitantes milvos defendentem. Attonitus rei novitate Pater Seraphicus, nec quid exinde sibi, suísve portenderetur, satìs gnarus, Divinum consuluit Oraculum, intellexítque, se Gallinæ, sodales verò suos pullorum sub imagine designari: cæterùm tamdiu suos tartarei accipitris infestationibus, malevolórúmque hominum obtrectationibus obnoxios fore, quamdiu non imploraretur quidam ex S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui palpitantibus, & miserè exagitatis Fratribus Minoribus sub alis suis, ceu (a) *Aquila grandis magnarum alarum* tutum perfugium præberet. Ex quo factum, quòd Vir Sanctus in Regula sua ordinaverit, ut petamus *unum de S. R. Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius fraternitatis; ut semper subditi, & subjecti* (b) *pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica paupertatem, & humilitatem, & sanctum Domini nostri JESU Christi Evangelium, quod firmiter promisimus, observemus.*

Quod de *Liberis*, D. Francisci fieri cernimus, *Eminentissime* Princeps! id pariter de *Libro* hoc intelligendum esto; cùm & istud nigrum in tali *Rubro* optimè explicetur. *Tibi* proin advolvitur: *Te Correctorem*, & *Protectorem* suum implorat: *Te Duce* vult semper esse subjectus Censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ, cupitque sub *Scala* tua Gentilitia, tanquam sub *Ala* Prægrandis Aquilæ protegi, & foveri.

Porro sicut hæc nostra Ascesis Patrocinii tui est summopere indiga, ita nec est omnino *indigna*: tractat enim de statu Perfectionis altissimæ, quam *Eminentissime!* vi Sta-

tûs

(a) *Ezech.* 17. ℣. 3. (*b*) *Cap.* 12. *S. Reg.*

tûs Episcopalis profiteris; agit de vitiis eliminandis, quibûs veluti ventorum turbinibûs apex Caucasi, mitrato vertice es multò sublimior: differit de implantandis virtutibus, quarum coronâ pulcherrimâ, ùt Apollo inter Musas, cingeris.

Sunt nimirum, sunt illi Tituli, quibûs Paulus Aresius Antistes Tortonensis Episcopos exornat, tua Encomia; (a) cùm æquè sis dignus Apostolorum Successor, perfectus Christi Discipulus, Homo irreprehensibilis, sanctitatis Exemplar, Magister vitæ Christianæ &c. *Schola denique omnium virtutum.*

(b) Si juxta Concilium Tridentinum Episcopi munus est, docere rudes; quis non in *Te* obstupescit singularem Zelum in instruendis fidelibus, præsertim parvulis, Doctrinâ fidei? in *Te*, inquam, hac Dignitate præfulgente, itinerum difficultatibûs sæpe lassato, aliisque arduis negotiis impedito. Ut adeò conqueri desineret S. Propheta Isaias, (c) si ad hæc tempora viveret; *Ubi est literatus, ubi Legis verba ponderans, ubi Doctor Parvulorum?*

Talibûs nimirum naturæ, & gratiæ donis instructus conspiceris *Clementissime Princeps*, quæ omnia, cùm in *Te* essent eminentia, tandem *Te* reddiderunt *Eminentissimum.* Congruè hic *Tibi* applicamus Lemma illud à Paulo Aresio Rosæ rubicundæ additum: *Maturè rubuit.* Siquidem Illustrissima Comitum de Lamberg Prosapia, & virtus cum Stemmate hæreditaria, optima jam ab Ephebo conversatio, animus nil vile sapiens, ingenium ad sublimia quæque natum, intellectus disciplinis optimis egregiè sub-

actus

(a) *Symb. 79.* (b) *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* (c) *c. 33. ℣. 18.*

actus jam pridem *Eminentissimam Dignitatem* præsagiebant, dum veluti cœlum pridie jam rubens sequentem serenitatem tuam indicabas.

Et verò debebatur simul *Pallium* menti tuæ apertæ, nudæ, nullóque duplicitatis velamine tectæ. Debebatur *Galerus Cardinalitius* huic capiti, adeò pro Romanæ Ecclesiæ incrementis defatigato. Debebatur *Purpura* Illi, qui pro Sedis Apostolicæ authoritate defendenda ipsum sanguinem profunderet. Qua de causa ingenioso quodam D. Philippi Picinelli Symbolo mereris adornari. Prælatum Ille quempiam gravissimîs muniis in S. Ecclesiæ utilitatem perfunctum, ac tandem pro meritis suis inter Purpuratos Ecclesiæ Patres recensitum, torcularis emblemate significavit, quod è compressa uva hanc Epigraphen reddidit: *Sub pondere Purpura fluet.* Nimirum & *Tibi* fluxit Purpura sub pondere gravissimarum curarum, quas athlanticis humeris supportâsti pro Deo, pro Fide, pro ovibus tuis. Felix pondus, felices Curæ Pastorales, felices pro Ecclesia exantlati labores! qui modò accessu splendoris Purpurei, ùt ferrum attactu lapidis Philosophici, inaurantur.

Patere jam existimamus *Eminentissime Princeps*, quantum è re nostra, Tuáque quodammodo Dignitate sit, gratioso obtutu *Scholam hanc Religiosam* respicere, hilaríque fronte, & manu benevola excipere. Sint *Schola* hæc, & *Scala*, quam Illustrissima Tua Insignia præferunt, vicina nomina: faxítque Deus, ut de Perfectionis Schola (in qua tam honorificos de virtute in virtutem *Gradus* es adeptus) conscendas cœli *Scalam*. Accipe itaque eâ, qua so-

les,

les, vultûs ferenitate opus iſtud Aſceticum, gratitudinis noſtræ teſſeram, teſtémque inſignium gratiarum, & beneficiorum in noſtram Provinciam ubertim profuſorum.

Accipe elucubrationem iſtam, in qua quot ſunt folia, toties Deum rogamus, ut *folium* vitæ, & gloriæ tuæ *non defluat*: quot dantur numeri, tot annis tuis adjici optamus: quot inveniuntur ſyllabæ, toties augeri ſyllabum heroicarum tuarum actionum gratulamur: quot literæ denique videntur, tot merita tibi in *Libro vitæ* deſideramus, immortalitatem *Nomini Tuo* voventes hìc famæ, illic æternitatis beatæ. Ita precatur nomine totius Provinciæ

EMINENTIÆ TUÆ &c. &c.

Humillimus, & devotiſſimus

Fr. MASSÆUS KRESSLINGER,
p. t. Miniſter Provincialis.

IMPRIMATUR.

(L.S.) Joan. Josephus L. B. de Welden,
Vicar. General.

Frisingæ 6. Aprilis 1737.

FACULTAS
Adm. R. P. Ministri Provincialis.

S*Cholam hanc Religiosam*, ab A. R. P. Sigismundo Neudecker, tertia vice Ministro Provinciali, & in Religione Jubilæo adhuc in vivis laboriosè, ac studiosè compositam, per deputatos Revisores eò exactiùs examinari feci, quò firmiùs decretum est, ex Eadem pro salubri Ty-



Tyronum nostrorum instructione in spiritu & virtute spirituales præscribere Lectiones. Cùm igitur juxta conscientiosam Censorum attestationem principia Scholæ hujus Asceticæ sint omnino Sanctorum Patrum, aliorúmque in Theologia Mystica Magistrorum, de industria in fonte ipso â potiori inquisitorum Doctrinæ ex integro conformia, tenore præsentium libentissimè meam (Licentiâ à Reverendissimo Patre Vice-Commissario Generali Felice à Roma Sacræ Congregationis Indicis Consultore &c. jam obtentâ) adjungo Facultatem, ut pro utilitate, præsertim Juventutis, à cujus bona Educatione, dependet Salus Reipublicæ Religiosæ, typis mandari valeat. Actum Monachii 7. Julii 1738.

F. MASSÆUS KRESSLINGER,
Lect. Jubilat. & tertiò Minister
Provincialis.



APPROBATIO THEOLOGICA.

EX Commiſſione A. R. P. Maſſæi Kreſslinger, Lectoris Jubilati, ac tertiò Miniſtri Provincialis Opus Aſceticum, cui Titulus: *Schola Juventutis Religioſæ*: ab A. R. P. Sigismundo Neudecker, Lectore Jubilato, Jubilæo, ac tertiò Miniſtro Provinciale compoſitum, ſedulò legi, relegíque. Opus hoc, cui ultimam ſeptuagenarius admovit manum, tacitè loquitur Juveni Religioſo: *Diſce virtutem ex me, verúmque laborem. Virtutem;* dum cum magno ſpiritualis vitæ emolumento ea cuncta ſuppeditat, quæ in Religioſæ Perfectionis juvamen excogitari poſſint, aut eſſe queant. *Laborem;* cùm Textus Sacræ Scripturæ, auctoritates Sanctorum Patrum, ac aliorum Aſcetarum indefeſſo ſpiritu conquiſiti ex ipſis fontibus hauſti ſint. Cæteroquin nil bonis moribus, aut Fidei Orthodoxæ contrarium inveni. Monachii 14. Februarii 1738.

Fr. GERARDUS ZETL,
Ord. Min. Strict. Obſerv. Lect.
Gen. Provinciæ Diffinitor.

APPRO-



APPROBATIO THEOLOGICA.

SChola Religiosa, seu Tractatus Asceticus Universalis pro Instructione & Educatione Religiosæ Juventutis in spiritu & virtute, ab Adm. Rev. P. Sigismundo Neudecker, Ord. Min. S. P. Francisci Strict. Observantiæ Provinciæ nostræ Bavariæ tertiò Ex-Provinciali, SS. Theologiæ, & Sacrorum Canonum Lectore Jubilato, operosè & limatissimè elucubratus, nedum Orthodoxæ dogmatibus Fidei, bonísve moribus nec in minimo adversatur; verùm insuper S. Scripturæ, & SS. Patrum principiis, nec non selectissimis Ascetarum doctrinis fundatissimè innixus, tantam soliditatem, styli etiam tersissimi pro facillimo captu Religiosorum Tyronum claritatem, ac materiarum denique pro saluberrima Asceseos praxi utilissimarum universalitatem continet, ut Opus hoc bipartitum censeam dignissimum, quòd non tantùm in tanti Viri à zelo regulari & præstantia doctrinæ oppidò celebratissimi, perennem memoriam, sed & in maximum Juventutis Religiosæ fructum ac incrementum in publicam è prælo prodeat lucem. Monachii ad S. Jacobum die 15. Februarii 1738.


Fr. PASTOR DIETRICH,
Ord. Min. Strict. Observ. Lect.
Gen. Provinciæ Diffinitor.

FACULTAS
Bibliopolæ facta, cum Privilegio Cæsareo.

EGo infra scriptus virtute Privilegii Cæsarei, super impressione, & distractione Librorum Fratribus Minoribus Strictioris Observantiæ concessi, facultatem facio Viduæ Domini Joannis Andreæ de la Haye, Bibliopolæ Academici Ingolstadiensis p. m. ut imprimi faciat, suisque sumptibus, & emolumentis distrahat SCHOLAM RELIGIOSAM &c. ab A. R. P. SIGISMUNDO NEUDECKER, Ord. Min. S. P. Francisci Strict. Observ. Provinciæ Bavariæ Lectore Jubilato, & Patre ter Emerito compositam, cum plenario usu præfati Privilegii Cæsarei, idque pro prima illius Editione. Actum Monachii in Conventu nostro S. Antonii de Padua nuncupato die 19. Febr. 1738.

F. MASSÆUS KRESSLINGER,
Minister Provincialis.

ELEN-



ELENCHUS
Capitum, Paragraphorum, ac Quæstionum.
PARS PRIOR.

Quæ-

CAPUT III.

De Peccato Mortali.

§. I.

De natura & malitia Peccati Mortalis.

§. II.

De damnis Peccati Mortalis, ac Remediis circa illud.

CAPUT IV.

De Peccato Veniali.

§. I.

De Natura, & Malitia Peccati Venialis.

§. II.

De Damnis Peccati Venialis.

CAPUT V.

De Tentationibus ad Peccatum.

§. I.

De Modo resistendi Tentationibus.

§. 2.

§. II.

CAPUT VIII.

De Communibus, & quotidianis Operibus in genere.

§. I.

§. II.

CAPUT IX.

De bona Intentione.

§. I.

§. II.

CAPUT X.

De Modo perfectè agendi.

§. unicus.

II.

CAPUT XI.

De Mediis perfectè operandi.

§. I.

Recensentur varia Media.

§. II.

De Memoria Præsentiæ Divinæ.

§. III.

De Memoria Operum Christi, & unione Operum nostrorum cum iisdem.

§. IV.

De Observandis post Opus.

§. V.

Compendiosa recapitulatio Dictorum.

CAPUT XII.

De Communibus, & quotidianis Operibus in specie, signanter de Oratione.

§. I.

De Præstantia, & necessitate Orationis.

 Quæ-

§. II.

De Oratione Vocali.

§. III.

De requisitis ad Orationem vocalem.

§. IV.

De Modo de manè debitè surgendi.

CAPUT XIII.

De Meditatione, seu Oratione Mentali.

§. I.

De Præstantia, & necessitate Meditationis.

III.

§. II.

De facilitate Meditationis.

§. III.

De Præparatione.

§. IV.

De Materia Meditationis.

CAPUT XIV.

De tribus Partibus Meditationum.

§. I.

De Partibus in genere, & in specie de Prima.

§. II.

De Secunda Parte, seu consideratione Materiæ.

§. III.

De Tertia Parte, seu Productione bonorum affectuum & propositorum.



§. IV.

De causis impedientibus, & mediis promoventibus Meditationem.

§. V.

Compendiosa recapitulatio dictorum.

CAPUT XV.

De Precibus, seu Orationibus Jaculatoriis.

§. I.

De Utilitate Aspirationum, seu Precum Jaculatoriarum.

§. II.

De variis Precibus jaculatoriis.


CA-











PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.


NOli mirari, Benevole Lector, quòd passim existentibûs præclarîs Asceseos Voluminibûs, simplicem hunc Tractatum *Schola Religiosa* intitulatum, luci publicæ committere non dubitem. Adegit me ad hoc obedientia, & voluntas Superiorum, qui seriò considerantes, â bona instructione, & educatione Juventutis Religiosæ salutem Religionis cujuscunque potissimùm dependere, resolverunt ordinare, ut universalis Doctrina Ascetica, eáque secura, ac principiis Fidei, S. Scripturæ, sanæ Theologiæ, & SS. Patrum conformiter combinetur, juxta quam Juvenes nostri Religiosi uniformiter solidè, & securè, theoricè, & practicè primîs præsertim duobûs annîs Novitiatûs, & Professorii instruantur, & educentur, ídque modô quasi scholasticô, per quotidianas Lectiones, repetitiones, explicationes &c. quatenus, sicut talî modô perfecti fieri possunt Philosophi, Theologi, & Juristæ, sic eodem modo pariter perfecti evadant Ascetæ, & Religiosi quoad

d in-

in- & exteriorem hominem. Huic itaque muneri, per Superiores imposito, humeros eò minùs subtrahere volui, quò majorem exinde in educatione Religiosæ Juventutis utilitatem, etiam aliis Sacris Ordinibus obventuram, firmiter confido. Porro Tractatum hunc non ornatô, & comptô, sed simplicî, & clarô stylô composui: tum, ut etiam minùs docti (quales subinde indubiè in Religionibus quoque dantur) eum facilè intelligere queant: tum, quia, ubi major styli, & verborum ornatus, legentes plerumque plùs ad hunc, quàm ad verum spiritum, & succum doctrinæ attendere solent. Id tamen benignum Lectorem paucìs admonitum velim, quòd (cùm puriores sint aquæ, quò fonti viciniores) in citandis SS. Patribus antiquiores assumpserim Editiones, quod in causa est, cur subinde cum recentioribus Editionibus (utì prætim circa S. Gregorium) quoad allegatum Librum vel Caput aliqualiter non concordent. Cæterùm cuncta correctioni, & emendationi Superiorum, ac judicio S. Romanæ Ecclesia Catholica penitus subjicio.



CA-



CAPUT I.

Præliminaria ad Scholam Religiosam.

§. I.

Prævia admonitio ad Tyrones Religiosos.

1.

*Udi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo,* commendans monita, instructionem, & præcepta Parentum, ad eáque adhortans alloquitur quemvis juvenem Religiosum Spiritus S. *Prov. c. 1. v. 8.* quod ut magis cujuslibet inculcet menti, *c. 6. v. 20.* repetit, suadétque, & monet, ne eorum quis unquam obliviscatur, sed semper & ubique memor, in corde conservet; ait enim: *Conserva, fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Cùm ambulaveris, gradiantur tecum, cùm dormieris, custodiant te, & evigilans loquere cum eis.*

2. Ecce, charissimi Tyrones Religiosi! traduntur vobis præcepta & leges, monita & disciplina parentum. Parentes vestri sunt Superiores vestri, quos, relictis propter DEUM carnalibus, spirituales acquisivistis. Disciplina eorum, legésque, ac præcepta, monita &c. præter S. Regulam, Ordinísque, ac Provinciæ Constitutiones & Statuta, est doctrina spiritualis Ascetica, juxta quam in spiritu, & virtute vos solidè instruere, & perfectè educare, sanctè intendunt.

3. Quapropter verbis Spiritus sancti (cujus locum & vices in terris respectu vestrûm tenent)

quemvis ex vobis pleno paternæ charitatis affectu adhortantes, & rogantes alloquuntur: Audi, fili, bene attende, & observa disciplinam. & præcepta, doctrinam, instructionem, principia, monita, & regulas Patris tui, id est, Superiorum tuorum (utpote à quibus procedunt) & legem, ordinationes, ac statuta Matris tuæ, Religionis videlicet, & Provinciæ, quam intrâsti; hæc enim nunc Mater tua est, quæ te jam spiritualiter conceptum, per Professionem generare, dulcissimóque lacte, & pabulô sanæ, ac solidæ doctrinæ Asceticæ, seu spiritualis tamdiu nutrire, & educare desiderat, donec crescas in virum perfectum.

4. Proin *liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo:* id est, conserva illa semper in corde, & habeto in ore tuo, quod per guttur intelligitur: in corde, de eis semper cogita, eáque rumina; in ore de eisdem, & secundùm ea loquere, ut tibi, & aliis prosint. *Cùm ambulaveris, gradiantur tecum:* in nullo loco eorum obliviscaris, sed ubicunque fueris, eorumdem semper recordare. *Cùm dormieris, custodiant te:* quod fit, si frequenter, & quasi assiduè de illis cogitandô, meditandô, loquendô, cogitationum species in memoria ita multiplicas, & firmas, ut non nisi de eisdem somnies, consequenter ab aliis diaboli illusionibus in somno custoditus, & liber existas. *Et evigilans loquere cum eis:* habendô primam cogitationem, curam, & propositum, quomodo juxta ea per diem ambulare velis, possis, & debeas.

5. Quodsi scire cupias, cur Spiritus S. tantopere velit, ut filii, & subditi præcepta, leges, monita, instructionem, & doctrinam Parentum, ac Superiorum præ cæteris attendant, atque custodiant? ratio in promptu, & quidem præcipua est; quia Parentes, & Superiores sunt filiis, & subditis locô DEI, utpote qui per Superiores specialiter docet, loquitur, & præcipit, vúltque, ut illis, sicuti sibi obediatur, eorúmque præcepta, monita, ac doctrina æquè ac sua in veneratione habeantur, æstimentur, & observentur, prout Christus *Luc. 10. v. 16.* ipse testatur, dicens: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.*

Meri-

Meritò ergo statuta, instructio, monita, ac doctrina, à Superioribus data, magìs quàm quævis alia æstimanda est, & sequenda: hoc ipso, quòd respectu subditorum sit cum doctrina DEI eadem; consequenter eam sequendô subditi errare, vel in tenebris ambulare nunquam possint, sed semper pleno lumine, viáque regiâ securè incedant, viam hanc præfatâ doctrinâ, ac disciplinâ, tan quam lucernâ jugiter monstrante; quod ipsum etiam Spiritus sanctus *Prov. cit. c. 6. v. 20. & seqq.* apertè insinuat, dum caussam, quare præ aliis tantopere æstimare, & observare deceat præcepta, monita, & instructionem Parentum ac Superiorum, subjungit illis verbis: *Quia mandatum* (Superiorum) *lucerna est, & lex lux, & via vitæ.*

6. Felices igitur, vos Religiosi juvenes, qui præter Regulam & Ordinis vestri ac Provinciæ Statuta percipietis etiam disciplinam, & doctrinam Asceticam ab ipsis Superioribus, vobis præscriptam, breviter & clarè, securè & solidè docentem, quomodo in omnibus, & per omnia quoad hominem tam internum, quàm externum rectè ambulare, quomodo vitia, & malas passiones eradicare, virtutes econtra implantare, quomodo in spiritu & virtute proficere, quomodo perfectionem Religiosam acquirere, quomodo DEO perfectè servire, consequenter quomodo ad finem, ob quem creati estis, & Religionem intrâstis, securè, & faciliter pervenire valeatis. Magna enim felicitas, *magnáque omnino securitas* (inquit S. Bonaventura *in Prologo Speculi Disciplinæ*) *vivendi modum novisse congruum.*

7. Multæ fuerunt, & etiamnum fortè sunt tam in, quàm extra Monasteria optimæ voluntatis animæ, quæ amore DEI, & salutis propriæ ad perfectionem suo statui convenientem anhelantes, DEOque perfectè servire cupientes, nihil magìs desiderârunt, quàm scire, quo modo, qua ratione, & viâ id assequi, & voluntatem optimam in opere & veritate exercere valerent: quæ propterea etiam multiplici lectione, longa consideratione, frequenti indagatione diu anxiè laborârunt, ut invenirent, colligerent, notarent, aut conscriberent sibi varios modos, doctrinas, principia, & sententias, qui-

bûs tanquam mediis ad finem exoptatum pervenirent; & tamen, quia in via perfectionis, & virtutum adhuc erant inexpertæ, & ignaræ, quia erant parvuli, esurientes quidem, & petentes panem, sed non habentes, qui frangeret eis, à vero scopo non pauci sæpissimè aberrârunt, & post multorum annorum laborem non nisi memoriæ & intellectûs, cordis & animi, totiúsque naturæ destructionem, suíque inhabilitatem ad alia reportârunt, cum subsecuto tædio, & remissione in via virtutum & perfectionis: imò nonnunquam aversione ab ipso etiam virtutum & perfectionis nomine.

8. Vos autem, charissimi, in hac Schola Religiosa, sive Tractatu Ascetico sinè omni vestro labore & fatigatione, sinè periculo, vel timore erroris, acquiretis omnem, scitu vobis necessariam, & admodum utilem doctrinam Asceticam, eámque solidam, & selectam, claram, & facilem, ac, quod præcipuum est, maximè securam, quippe à Superioribus, consequenter ab ipso DEO præscriptam; ut proin à vobis nil requiratur, quàm efficax voluntas, illam perfectè observandi, atque in opus, praxin & habitum deducendi.

9. Augetur felicitas vestra, quòd sæpe memorata doctrina non solùm à spirituali Moderatore simpliciter prælegatur, sed etiam, qui eam uberiùs explicet, declaret, dubia solvat, & praxin doceat, assignetur Magister: ac plurium insuper annorum concedatur spatium ad hoc, ut illam sæpius attentè legendô, consideratè ruminandô, frequenter repetendô, repetita ab aliis audiendô, ac discurrendô, atque continuò practicandô, eandem, si non statim, saltem successivè intelligere, memoriæ ob multiplicatas species firmiter imprimere, eíque conformes habitus generare valeatis, ita ut, etsi nonnunquam una, alteráve materia, præsertim ab initio captu, vel practicatu difficilis sit apparitura, crescente ætate, maturitate, experientiâ, & gratiâ divinâ, facilis & jucunda sit arrisura; præcipuè, cùm de cunctis addiscendis, & practicandis vera sit habenda schola, & exactum studium, adeò ut, sicut habetur schola, & studium Philosophicum, ita habenda sit schola, & studium Asceticum, id est, Schola,

la, & Studium virtutum, ac perfectionis: & ſicut alii Juvenes ſub Magiſtro in arte inſtruuntur Mechanica, ſic vos ſitis in hac *Schola Religioſa* inſtruendi in arte perfectè ſerviendi DEO, utpote quæ eſt ars omnium præſtantiſſima, utiliſſima, omniúmque maximè neceſſaria, & deſiderabilis.

10. Tandem completur felicitas veſtra, quòd doctrinam hanc doceamini, & juxta eam habitum in cunctis perfectè agendi generare valeatis in primis mox converſionis veſtræ annis. Unum enim ex principiis SS. Patrum, præſertim Divi Bonaventuræ eſt, ut omnes, præcipuè Juvenes, à ſæculo ad Religionem converſi, ab initio ſtatim optimam vivendi, & operandi formam in cunctis aſſumere, & in habitum, ſeu conſuetudinem deducere omnī conatu adlaborent, eò quòd vivendi, & agendi formam, aut conſuetudinem, quam ſive bonam, ſive malam, ſive perfectam, ſive imperfectam in juventute quis ſemel aſſumit, non facilè deponat; nam teſte æterna Veritate *Prov. 22. v. 6. Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Ut autem præviè ſciatis, quomodo meritoriè, & fructuosè, ſimúlque cum optato effectu Tractatum hunc Aſceticum legere, eíque ſtudere debeatis, ſequentes pro praxi traduntur Regulæ.

§. II.

Praxis, & Regulæ bene, ac fructuosè legendi hunc Tractatum Aſceticum, eique debitè, & utiliter ſtudendi.

Regula I.

11. Eſt prævia ſemper bona, pura, & perfecta Intentio, quæ alia non eſt, quàm voluntas, & beneplacitum DEI, ac Superiorum, quorum Superiorum voluntas cum divina ſemper eadem certò exiſtit; ut proin Juvenis Religioſus toties, quoties ex præſcripto Superiorum materiam aliquam ex hoc Tractatu legere, eíque ſtudere intendit, ſemper priùs ſequentem, vel ſimilem brevem intentionem faciendam habeat: *Domine DEUS, quia tu vis, quia tibi places, ut modò hunc Tractatum iterum*

rum legam, eique studeam, quatenus ex eo necessariam, utilem, ac securam doctrinam rectè vivendi, tibique perfectè serviendi hauriam, ideo cum gratia tua pro tenuitate mea eidem attentè, & sedulò studere intendo: Adjuva me, quia sinè te nihil possum.

Errant proin, & imperfectè agunt *primò*, qui legunt, aut student, ne lectionem præscriptam minùs intelligentes puniantur, aut confundantur, vel pro minùs capacibus, aut diligentibus habeantur.

Errant *secundò*, qui legunt, aut student, ut à Magistro, vel aliis æstimentur, laudentur, respiciantur &c.

Errant *tertiò*, qui sola curiositate, aut inclinatione naturali, aut quia modò placet, delectat &c. legunt.

Errant *quartò*, qui legunt, aut student tantùm, ut tempus terant, aut ex tædio aliud faciendi; prout magis patebit infra, quando de bona intentione in omnibus habenda agetur.

Regula II.

12. Est bonum & efficax propositum, ea, quæ legendô cognoscimus, in effectum, praxin, & habitum deducendi; *Servus* enim, *qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. 12. v. 47.*

Errant contra hanc Regulam, qui solâ notitiâ doctrinæ contenti, nullum efficax propositum, nullámque, aut modicam curam habent, quomodo haustæ doctrinæ conformiter vitam instituant.

Errant item, qui, postquam præscriptam lectionem Asceticam didicerunt, & in schola aut circulo repetierunt, aut repeti audierunt, minimè ampliùs soliciti sunt, quomodo actu practicent, & in habitum deducant.

Regula III.

13. Est, ante omnem lectionem, & studium humillimè, cum plena sui diffidentia confidenter invocare DEUM pro gratia ejusdem & auxilio; cùm enim sinè DEO penitus nihil, præsertim fructuosè, & meritoriè possimus, dicente Christo: *Sinè me nihil potestis facere: Joan. 15. v. 5.* Ante omnia DEum semper humiliter, & confidenter invocare oportet, maximè, quia invocari vult, & invocatus auxilium, & gratiam dare paratus est.

Errant,

Errant, qui vel inordinato affectu, vel putantes, se per orationem præviam quid temporis, aut laboris negligere, sinè omni, aut certè nonnisi cum lurida, tepidáque prævia oratione & invocatione gratiæ, & auxilii divini, sanctum hunc lectionis, ac studii Ascetici laborem incipiunt: cùm tamen per lectionem & studium unius horæ, prævia humili, & devota oratione, intentione, ac præparatione inceptum, plus fructûs, & meriti forent reportaturi, quàm si sinè, vel lurida cum præparatione prævia pluribûs horis legentes se fatigarent; id, quod SS. Patres propriâ experientiâ edocti testantur.

Regula IV.

14. Est, materiam omnino attentè, ac consideratè legere, & relegere, donec bene capiatur, & aliqualiter memoriæ jam tunc imprimatur. Fiant etiam intermediæ pausæ, quibus materia lecta magis expendatur, & consideretur cum aliqua reflexione, an, & in quo circa materiam præsentem legens erret, vel deficiat, simúlque cum proposito doctrinam, & agnitam veritatem sequendi, ac in habitum deducendi. Ad quem finem fiant subinde sub ipsa lectione & studio nonnullæ breves preces jaculatoriæ, & actus virtutum, prout ipsa materia ministrabit.

Errant circa hoc multi, præsertim felicioris ingenii, qui hoc ipso, quòd nullam difficultatem in materia intelligenda sentiant, obiter tantùm, & sinè ulla reflexione legunt, putantes sufficere, quòd legant, & intelligant, minimè soliciti, quomodo, quæ legerunt, mente & corde retineant, ac (quod potissimum esse deberet) in effectum, praxin & habitum deducant; cùm non exinde fructus habeatur, quòd quis bene legat, & intelligat, sed unicè, quòd quis juxta bene lecta & cognita bene operetur, eáque, antequam iterum obliviscatur, in praxin & habitum quamprimum deducere, juxta exigentiam materiæ, pro viribus conetur. Et hæc Regula summè habeatur cordi, errórque ei oppositus omnino vitetur.

Regula V.

15. Est, Doctrinam, & Materiam hujus Tractatûs non ali-

aliter, quàm à DEO dictatam considerare, & propterea eandem præ aliis maximè semper revereri, & æstimare, nec non eandem cum memoria præsentis DEI, & quasi ipse præsens hæc legenti loqueretur, legere, & excipere. Quamvis enim juxta commune dictum SS. Patrum, præsertim S. Augustini *in Psal. 85.* quotiescunque Sancta & Spiritualia legimus, censeatur DEUS loqui nobiscum: *Quando legis* (inquit *loc. cit.*) *DEUS tibi loquitur, quando oras, cum DEO loqueris:* Specialiter tamen in lectione hujus doctrinæ, & materiæ, utpote à Superioribus, consequenter ab ipso DEO (cujus ipsi semper vices agunt) præscriptæ & dictatæ, id verificatur.

Errat proin, qui de illa minùs reverenter sentiens, alias doctrinas æquè, imò forsan magis, quàm isthanc æstimaret, ac propterea hac neglecta, illas propriô judiciô & voluntate sequeretur, vel ob eas minorem fidem, & obsequium tribueret, aut de illa dubitaret contra expressum monitum D. Pauli *ad Hebr. c. 13. v. 9. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci:* sed *v. 7. mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbum DEI.*

Regula VI.

16. EST, non attendere simplicitatem styli, & verborum, nec desiderare, vel expectare ornatum dictionis; cùm enim in schola Ascetica, seu virtutum & perfectionis non tantùm quoad talenta excellentiores, sed & simpliciores sint futuri discipuli, simplici & clarô stylô docere oportet, ut tam isti, quàm illi cuncta facilè capiant: præsertim, quia æquè pro istorum, ac illorum profectu & salute soliciti esse, & rationem dare debent Superiores, prout in persona Superioris loquens bene advertit D. Paulus *ad Rom. c. 1. v. 14. Sapientibus, & insipientibus debitor sum.* Accedit, quòd, ubi doctrina Spiritûs exquisitis verbis proponitur, & speciali dictionis ornatu, plus plerumque vanitatis, quàm utilitatis reportet lector vel auditor, utpote non rarò magis attendens ornatum, quàm fructum. Certè æterna Sapientia, Divinúsque Magister Christus ipse, versans in hoc mundo, suam non nisi sim-

ſimpliciter proponebat doctrinam; quid enim ſimplicius doctrinâ Evangelicâ à Chriſto Domino traditâ? Unde etiam Apoſtolus, etſi Doctor gentium exiſtens, Chriſti tamen exemplum ſequens, in doctrinæ ſuæ ſimplicitate gloriatur *1. ad Cor. c. 2. v. 4.* illis verbis: *Sermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritûs & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute DEI.*

Erraret proin haud dubiè, ſi quis ſciolus doctrinam hanc Aſceticam, ex eo parvi penderet, quòd ad Chriſti, & Apoſtolorum exemplum, ac majorem auditorum fructum & utilitatem, ſimplicì exarata ſit ſtylô. Non minùs inſuper delinqueret, & manifeſtam latentis ſuperbiæ ſpeciem præberet, ſéque hac virtutum ſchola indigniſſimum redderet, qui propterea eandem etiam contemnere, & apud alios traducere, aut aliàs minùs honorificè de ea loqui præſumeret.

Regula VII.

17. EST, non terreri, nec deſpondere, aut abjicere animum ob multitudinem materiarum, variarúmque Regularum ac Principiorum præſcribendorum; nec deſperare, aut triſtem animum induere, vel puſillanimem eſſe, ſi quæ ſubinde vel omnino non, vel non ſtatim, vel non bene intelligantur, aut bene intellecta, dum aliis ſtudetur, è memoria iterum excidant: aut ſi in exequendo, vel operando magna ſentiatur difficultas, averſio, aut tædium; quia etſi materia ſatìs copioſa ſit futura, tamen, quia non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſivè tradetur, & plures anni pro ea addiſcenda concedentur, copia ejuſdem nullam ſpecialem difficultatem, minùs confuſionem cauſabit. Neque refert, ſi unum aliúdve ſubinde, præſertim ab initio impoſſibile, aut ſaltem difficile captu & practicatu videatur; idipſum enim ſæpius rediens, accedente experientia, & praxi cum tempore facile apparebit, prout omnes incipientes in quavis arte experiuntur. Minùs curandum, ſi quæ iterum è memoria excidant; quia, cùm totam materiam ac doctrinam quivis ad manum ſemper habeat, id, cujus forſan oblitus eſt, ſemper & pro libitu relegere, ſícque memoriam juvare poterit.

 Ne-

Neque tantum erit oblivionis periculum, quin potissima, saltem quoad substantiam & praxin necessaria, in memoria remaneant, eò quòd quævis materia persæpe repetatur, legatur, & audiatur, sícque memoriæ firmiùs imprimatur; *Primò* enim, quando à Magistro pro futura repetitione explicatur, jam aliqualiter intelligitur. *Secundò*, si postea ipsi discipuli illam pro futura repetitione attentè, & consideratè legunt ac relegunt, eíque verè & perfectè student, prout juxta Regulam IV. debebunt, magìs penetrant, ac memoriæ multùm imprimunt. *Tertiò*, dum in actuali repetitione, eandem vel ipsi repetunt, vel ab aliis repetitam, atque à Magistro, ubi opus erit, uberiùs declaratam audiunt, species iterum multiplicant, firmántque, ut tam facilè non obliviscantur: præsertim, si *quartò* eadem materia etiam in circulis repetitur: Et *quintò*, si de illa in privatis colloquiis tam inter se, quàm cum Magistro discurritur: Ac quia *sextò* privatim suis temporibus pro exigentia circumstantiarum, & pro examine particulari, aut pro majori cognitione denuo relegitur.

Accedit (quod præcipuum est) quòd pleræque materiæ semel traditæ, sæpe jam repetitæ, & auditæ, plenéque intellectæ, à potiori vel in praxin statim deducantur, vel certè in praxi continuò occurrant, &, ut in dictam praxin cum tempore reducantur, in eáque discipuli perfectè habituentur, tam Magistri, quàm Superiores locales juxta officii sui exigentiam jugiter vigilent, ac juvent, in publicis & privatis Capitulis adhortentur, charitativè moneant, negligentes correptione & pœnis adigant.

Et sane penitus nullum esse poterit periculum, obliviscendi quotidianorum, quæ unà cum perfectissima praxi in hoc Tractatu præscribuntur, exercitiorum & actuum Religiosorum, v. g. de manè perfectè surgendi, matutinas & alias preces vocales peragendi, meditandi, legendi, confitendi, communicandi, Venerabile visitandi, examen generale & particulare instituendi, preces vespertinas peragendi &c. si, prout fieri debebit, per actus frequentatos in praxin, & habitum statim deducantur.

Pari-

Pariter nullum erit periculum obliviscendi principiorum, & mediorum quorumdam generalium, praxísque eorundem, v. g. bonæ voluntatis, diffidentiæ erga seipsum, confidentiæ in DEUM, orationis, abnegationis, & mortificationis necessariò inferendæ, bonæ intentionis, præsentiæ DEI, praxis & modi universalis quodvis opus ritè peragendi, passiones, pravos habitus, & vitia extirpandi, externam conversationem instituendi, mores, totúmque hominem modestè, exemplariter, & perfectè exhibendi &c. eò quòd hæc cuncta continuò occurrant, & quotidie necessariò practicari debeant: quod idem de vitiis in specie à potiori se habet.

Foret certè evidens, & inevitabile oblivionis valde nocivæ, confusionis item, aliorúmque damnorum periculum, si materia & doctrina Ascetica, Religiosis scitu utilis & necessaria, oretenus tantùm, & non in scriptis vel typo traderetur: consequenter eandem toties legendi, relegendi, repetendi, audiendi, practicandi, de eáque discurrendi, disputandi occasio, aut necessitas non esset: vel si Magistri non omnem scitu necessariam materiam, vel hanc non satis solidè ac securè, vel non conformiter vos docerent, Magistro Novitiorum vel Instructore illud, Superiore locali iterum aliud dicente, suadente, docente, jubente &c. Sed hæc est felicitas vestra, Charissimi, quòd omnis materia spiritualis & Ascetica Religioso scitu necessaria, aut specialiter utilis, eáque non nisi solida, ac selecta à Superioribus Majoribus, consequenter ab ipso DEO præscripta, sícque securissima vobis in hoc Tractatu tradatur, & ad manus pro omni commoditate vestra perpetuò relinquatur, simúlque Magistri, & Superiores vestri locales, subsequenter cuncti adstringantur, ut non pro libitu, vel proprio judicio, sed juxta eandem, & per consequens uniformiter, sempérque perfectè vos dirigant.

Profectò si ex eo, quòd Materia Theologica in scriptis, vel typo tradatur, vel habeatur, explicetur, speciali studiô penetretur, repetatur, declaretur, disputetur, atque in praxi sæpe recurrat, non obstante materiarum copiâ, nec confusionem,

nec perplexitatem, nec tantum oblivionis periculum causet, quin fiant perfecti Theologi: haud apparet, cur copia materiæ Asceticæ dictos effectus causet, aut impediat, quin quoad scientiam perfecti Ascetæ, & accedente praxi perfecti fieri queant Religiosi; præsertim cùm materia, & doctrina Ascetica captu sit longè facilior, lectu & auditu jucundior, practicatu utilior, quàm quævis alia scientia.

Considerate, quòd non obstante magna copia materiarum & Regularum in addiscendis Rudimentis, Grammatica, Poësi, Rhetoricâ, Linguâ latinâ &c. nec obstante difficultate, ab initio in pluribus se offerente, successu temporis, & accedente frequenti repetitione, ac praxi, finaliter cuncta non tantùm facilè didiceritis, & quoad substantiam, ac necessaria ita retinueritis, ut modò eis conformiter, simúlque faciliter, atque perfectè loquamini, boni Grammatistæ & Rhetores existatis. Idem, & quidem certiùs vobis continget, quòd non obstante materiæ & doctrinæ Asceticæ, regularúmque & principiorum copiâ, non obstante etiam difficultate ab initio in nonnullis se offerente, cuncta cum tempore, & successivè non tantùm faciliter, & perfectè sitis percepturi, atque quoad substantiam, & necessaria retenturi, sed etiam boni Ascetæ quoad scientiam, & in reipsa boni Religiosi sitis evasuri; præsertim cùm scientia Ascetica in continua praxi, qua cuncta redduntur facilia, magìs occurrat, sítque ex se facilior captu, & timentibus DEUM jucundior practicatu, quàm quævis alia scientia, prout mirè insinuatur per totum ferè Psalmum 118. in Horis Minoribus recitari solitum; ubi inter alia Vir DEI exclamat: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Sunt etenim teste Psalmista *Psal. 18. v. 11. desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* De eadem suavitate & facilitate testatur Christus *Matth. 11. v. 30.* illis dulcissimis verbis: *Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

Hæc, Charissimi! de hac Regula aliquantùm fusiùs dicere oportuit, ad præcavendam dæmonis fraudem, qua multos decipit,

cipit, dum eis ab initio statim necessariam scientiam Asceticam nimis obscuram, & captu difficilem, viam virtutis & perfectionis duram, & odiosam falsò exhibet, ut sic difficultate perterriti, vel tædiô affecti, animum abjiciant, vitam spiritualem aversentur, eámque vel omnino deserant, vel tepidè, remissè, inquietè, atque anxiè in ea incedant.

Regula VIII.

18. **E**St, summopere cavere, ne quis unquam indiscretè, & quasi violenter conetur in suis exercitiis, actibus, & operibus bonis juxta præscriptum Superiorum, & doctrinam tradendam peragendis, habere affectum, aut consolationem sensibilem: seu, ne ad eam acquirendam quis seipsum indiscretè quasi cogat, aut ne eâ deficiente, vel absente, consueta, vel debita exercitia, & opera bona perfunctoriè, ac negligenter perficiat, vel omnino omittat, sed potiùs cuncta semper perfectè, quietè, discretè, simpliciter, humiliter, ac quantùm in se est, exactè peragat. Quod si DEUS subinde sensibilem devotionem, aut consolationem alicui tribuat, eâ discretè, & humiliter utatur, ac fruatur: si minùs, non sit de ea solicitus; quia, cùm illam nostrîs viribûs procurare non valeamus, DEUS eam à nobis non requirit, sed habet pietatis actus & exercitia nostra æquè, imò plerumque magìs accepta, quæ sinè, quàm quæ cum devotione, & consolatione nostra sensibili fiunt: ut propterea etiam sanctissimas animas, ipsam quoque sanctissimam Matrem suam omni sensibili devotione, & consolatione internâ destitutas, per plures annos in summa spiritûs ariditate, & sterilitate pro majori earum merito reliquerit, ut magis infra dicetur.

Errant in hoc frequenter Juvenes Religiosi, & inexperti adhuc in via perfectionis, qui, si devotionem sensibilem in suis piis exercitiis non sentiunt, & consolatione interna carent, tristes & pusillanimes evadunt, putantes, opera & actus suos coram DEO non esse acceptos, nec verè ex corde procedere, ac propterea ea omnino omittunt, vel truncatim, aut perfunctoriè, & negligenter absolvunt, aut nimiùm & indiscretè se in-

tendunt, omníque conatu, & quasi violenter devotionem sensibilem extorquere satagunt, per quod cor, & caput debilitant, naturam destruunt, & notabiliter, saltem ad tempus, se inhabiles reddunt.

Regula IX.

19. Est, materiam hanc & doctrinam Asceticam, à Superioribus, consequenter à DEO præscriptam, non tantùm, dum quis studet, & præparare se debet ad Scholam & Lectionem ordinariam, sed etiam aliis temporibûs sæpiùs, præsertim tunc, & quoad illa consideratè legere, & relegere, quando, & in quibus adhuc difficultas & dubium, vel minùs sufficiens notitia deprehenditur; item quæ magis necessaria, aut utilia sunt: item circa quæ hìc & nunc examen particulare fit: item circa quæ quis se adhuc magis ignarum, minúsque expertum vel habituatum, aut in re ipsa culpabilem agnoscit; ídque non tantùm primis annis, quibûs adhuc sub Magistro vivitur, sed insuper per totam vitam; siquidem doctrina hæc Ascetica non pro solis primis annis Religionis, sed pro toto vitæ decursu in via perfectionis observanda præscribitur, & relinquitur, ut quivis eam semper ad manus habens, ex eadem quovis tempore se recolligere, séque & alios facilè juvare, vitámque suam constanter instituere, & habitus conformiter generare, atque firmare valeat.

Erraret proin plurimùm, qui finitis Novitiatûs, & Magisterii annis eam negligeret, aut non ampliùs revolveret: vel qui tantùm illam legere, eíque studere vellet, tunc, quando in schola, aut circulo facienda urgeret repetitio.

Regula X.

20. Est, plenè renuntiare omni curæ, & solicitudini de Parentibus, consanguineis, amicis, rebúsque temporalibus cunctis tam suis, quàm suorum; cura enim & solicitudo hujus sæculi continuas distractiones causat, verbúmque DEI, & famam spiritûs ac virtutum doctrinam attentè recipere aut non permittit, aut receptam iterum suffocat, ita, ut fructum ferre non possit, juxta testimonium Evangelii *Luc. c. 8. v. 7.* Unde

Apo-

Apostolus ait *1. Cor. 7. v. 32. Volo vos sinè solicitudine esse:* Et Christus *Luc. 14. v. 23. Qui non renunciat omnibus, non potest esse meus discipulus.* Et *v. 26 Qui non odit patrem, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres & sorores* (deponendô videlicet propter DEum omnem inordinatum affectum, curam, & solicitudinem de eis) *non potest meus esse discipulus.*

Erraret itaque, qui inter legendum, & studendum de doctrina Ascetica, varias cogitationes, vel curas foveret de parentibus, consanguineis, & de rebus mundanis, aut complacentias de vanitatibus in mundo habitis, vel gustatis admitteret.

Regula XI.

21. EST, per sinceram, apertam, exactam, & humilem Confessionem Sacramentalem primis statim diebûs, & antequam ad ulteriora fiat progressus, purgare conscientiam suam à cunctis peccatis in mundo commissis, præsertim gravibus, si (quod DEUS avertat) talibûs quis esset gravatus; æternæ siquidem Veritatis est: *Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia* (id est, scientia & notitia de rebus divinis, & spiritualibus) *nec habitabit in corde subdito peccatis. Sap. 1. v. 4.* Ideo hanc, & præcedentem Regulam pro vetustatis depositione ante omnia suadet D. Bonaventura *in Prol. Spec. Discip. ad Novitios.*

Regula XII.

22. EST, ipsas has regulas, de perfectè legendo & studendo materiæ Asceticæ, hucusque præscriptas consideratè sæpiùs relegere, & videre, an in praxi quis eas observet, simúlque omni nisu conari, donec in habitum deducantur.

Cæterùm, quia tota doctrina Ascetica, scitu utilis & necessaria, simul tradi non potest, nec eam simul capere valetis: consequenter ignorantiâ multarum rerum, ad profectum Religiosum scitu partim utilium, partim necessariarum, diu laborabitis, Regula universalis, simúlque facilis, & secura, semper bene agendi, & proficiendi, DEIque voluntatem certò cognoscendi, & perfectè exequendi vobis præscribitur, & est. Ut interea totali cum abnegatione proprii judicii & voluntatis, in omnibus simpliciter credatis, & perfectè obe-

obediatis Superiori, & Magistro vestro, haud aliter, ac si DEUS ipse vobis loqueretur, præciperet, vósque doceret, instrueret, & dirigeret. Ipsi enim revera vice, & locô DEI vobis sunt & loquuntur: debetis proin eorum vocem, tanquam vocem DEI audire, accipere & sequi: Nam *quidquid vice DEI præcipit homo* (inquit ad propositum S. Bonaventura *in Spec. Discipl. p. 1. c. 14.*) *quod non sit tamen certum, displicere DEO, hoc omnino accipiendum est, quasi præcipiat DEUS. Quamobrem*, pergit idem S. Doctor: *Obedientiæ filii se totos ad obediendum exponant, móxque ut Prælati vocem audierint, quasi divinitus imperetur, moram pati nesciant, sed relictis omnibûs ad injuncta quæque fideliter exequendum prompta devotione consurgant, ut vicino obedientiæ pede, velut uno momento vocem facti exhibitione sequantur.*

Imò debetis eisdem ita perfectè obedire, ut non tantùm contra illorum præceptum, & voluntatem nil unquam agatis, sed etiam absque voluntate, directione, aut mandato eorundem, ex voluntate, opinione, aut devotione propria penitus nihil attentetis, consequenter voluntatem propriam perfectè abnegetis; Nam, *quia non confidis tibi ipsi* (ait S. Bonav. *de Institut. Novit. p. 1. c. 2.*) *ut præsumas te scire, quid velit DEUS, ideo commisisti te Superiori tuo, ut ipse te regat, & in viam DEI inducat; unde non licet tibi vivere pro velle tuo, sed quò ductor tuus ire jubet.* Accedit, quòd etiam bonum, ex propria voluntate factum, sæpe omni careat bonitate, teste S. Bernardo *Serm. 71. in Cant. in fine: Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint.*

Hanc ergo universalem Regulam perfectè si servabitis charissimi Filii, etiam in simplicitate & ignorantia adhuc vestra semper securè, & absque errore, errorísque periculo incedetis, benéque & meritoriè, imò perfectè agetis & vivetis; eò quòd teste S. Bonavent. *cit. cap. 4. Spec. Discipl. Tota Religionis perfectio in voluntatis propriæ abdicatione consistit*, & in executione voluntatis divinæ, quam vobis certò manifestat Superior & Magister vester, & quæ cum voluntate Superioris eadem est, juxta repetitum illud: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Hîs præliminaribûs prælibatîs ponitur

CA-

CAPUT II.

De Statu Religioſo.

§. I.

De vero fine Religionis, & Religioſorum.

1.

PRimò & ante omnia meritò agitur de fine Religionum, & Religioſorum; quia, ut prudenter, & rectè quis agat, aut eligat, neceſſariò attendere priùs, & conſiderare debet finem, & intentionem, quare nempe, ſeu ob quem finem, & ex qua intentione quid agere, & eligere velit, juxta tritum illud: *Quidquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.* Finis etenim, & intentio ſuam cuivis operi qualitatem moralem potiſſimùm tribuit, illúdque bonum, vel malum, perfectum, aut imperfectum, meritorium, vel demeritorium, ſupernaturale, vel naturale, excellens, vel utile reddit, prout videlicet finis, qui intenditur, ſe habet; nam *quidquid agunt homines, intentio judicat omnes.* Nec ſufficit bonum facere, aut eligere, niſi etiam ex bono fiat fine. *Multùm intereſt*, inquit S. Auguſt. *Serm. 12. in Pſal. 118. Cùm aliquid boni facimus, cujus rei contemplatione faciamus; Officium quippe noſtrum non initiò, ſed fine penſandum eſt, ut ſcilicet non tantùm, ſi bonum eſt, quod facimus, ſed præcipuè, ſi bonum eſt id, propter quod facimus, cogitemus.* Et *in Pſal. 31. Non valde attendas, quid homo faciat, ſed quid, cùm faciat, aſpiciat;* ſiquidem DEUS *cor, & non ſubſtantiam penſat: nec perpendit, quantum ejus Sacrificium, ſed ex quanto proferatur,* dicit D. Gregorius *Hom. 5. in Ev.* ut ampliùs dicetur infra *Cap. 9. §. 1. de bona Intentione.*

2. Hinc, etſi mundum, cum omnibus, quæ in mundo ſunt, deſerere, & Religionem ingredi, Sacrificium ex ſe ſit ſanctiſſimum, & actus ſanè heroicus ac optimus, bonitate tamen, & ſanctitate carebit, niſi etiam ex bono fine fiat.

3. Qualis autem esse debeat finis ingrediendi Religionem, ut sit, & dicatur bonus, dabit præsens Paragraphus.

4. Quæritur I. Quis sit finis principalis S. Religionis, & Religiosorum? Ante responsionem nota, multiplices, & varios esse fines bonos, ob quos à DEO institutæ sunt Religiones. Alius est universalis, & communis cuivis Religioni; alius particularis, seu specialis, cuivis Religioni proprius. Communis item alius principalis; alius minùs principalis, secundarius, & quasi accessorius, ita tamen, ut ad principalem finem facilè reduci valeat. Hoc notato

5. Resp. Finis principalis, & cuivis Religioni communis est, consequenter cujusvis Religiosi principalis esse debet, *ut quis abjectis impedimentis, & periculis in mundo existentibus, & econtra assumptis opportunis mediis in quavis Religione præparatis, DEO fide jam cognito, ex amore ejusdem, in hac vita perfectè, modóque à Religione præscripto, servire, consequenter veram perfectionem acquirere: in altera verò vita eundem clarè cognitum adhuc perfectiùs amare, honorare, & laudare, eòque in æternum frui, cum, & in illo æternùm gaudere, ac felix esse, sicque ad primarium creationis suæ finem securè pervenire valeat.* Ita in re communis SS. Patrum, Theologorum, & Ascetarum. Explicatur, &

6. Dicitur *primò: Ut abjectis impedimentis, & periculis in mundo existentibus.* Mundus enim plenus est, imò abundat impedimentîs & periculîs, quæ hominem à servitio divino, perfectáque charitate ejusdem mirè impediunt, & à fine creationis quasi violenter retrahunt: adeò, ut rarum sit, reperire in mundo viros perfectos, aut veros DEI servos; nam *mundus totus in maligno positus est. 1. Joan. 5. v. 19.* utpote in quo vix aliquid existit, quod non à DEO retrahit, & ad peccatum, perniciémque perducit; quoniam *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Joan. 1. c. 2 v. 16.* Hinc S. Paulinus *Epist. 2. ad Severum*, ait: *Tota hujus mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda prolectat, diabolicis prætenta retibûs, in qualibet sui specie, laqueus mentis, & gladius est.* Et S. Bernardus *Serm. 6. de Ascens. Dom. Mundus est, ubi malitia plurimùm, ubi sapientia modicùm, ubi omnia*

operta tenebris, & obsessa laqueis, ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur, ubi omnia vanitas, & afflictio spiritûs; ut proin meritò dicatur *Jac. 4. v. 4. Quicunque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus DEI constituitur:* & providè moneat S. Joannes *in Epist. 1. c. 2. v. 15. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo:* siquidem *amicitia hujus mundi inimica est DEI.* Et, quod specialiter est pensandum, mundus etiam per suam amicitiam, vel maximè nocet, majoráque, & potiora impedimenta perfectionis, ac salutis pericula causat per ea ipsa, quæ magis in mundo æstimantur, & amantur, atque ab amatoribus mundi maximè ambiuntur.

7. Quatuor præcipuè sunt, quæ mundus maximè æstimat, videlicet *primò* divitiæ. *Secundò* carnis & corporis voluptates. *Tertiò* honores. *Quartò* voluntas, & judicium proprium. Et hæc ipsa sunt, quæ præ cæteris à virtute, & perfectione magis impediunt, potioráque causant salutis pericula, & majorem præbent ansam peccandi, quod ad longum posset probari; sufficiat autem pauca adducere.

8. Et quidem *imprimis*, Divitiæ quanta salutis causent impedimenta, & pericula, abundè colligitur ex terribili illa sententia Christi *Matth. cap. 19. v. 23. & 24. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum.* Unde meritò dicitur *Eccli. 10. v. 10. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim & animam suam venalem habet.* Nam, *si dives fueris, non eris immunis à delicto,* ut ibidem habetur *cap. 11. v. 10. Si animum;* inquit S. Chrysost. *Hom. 48. in Matth.* de homine divitias amante, *perspexeris, invenies sicut vestem mille tineis corrosum, sic utique à curis perforatum, à peccatis putrefactum, & habendi solicitudine tabescentem.* Hinc non mirum, quòd Christus inter alia æternum *Væ* specialiter prædixerit divitibus *Luc. 6. v. 24. Væ vobis divitibus.*

9. Porro non tantùm actu divites innumera, eáque maxima patiuntur impedimenta virtutum, & pericula peccatorum, sed etiam illi, qui divitiis destituti, eas inordinato affectu ambiunt, & quærunt, divitésque fieri cupiunt,

piunt, ut per Apostolum testatur Spiritus S. *1. ad Timoth. 6. v. 9.* illis verbis: *Nam, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Ecce! quanta impedimenta, & pericula ex solis divitiis, à toto ferè mundo tantùm & unicè desideratis, ita ut paucissimi in mundo existant, qui divitias vel non habent, vel saltem non ambiunt, & divites fieri cupiunt; consequenter ferè omnes in mundo ingentibûs impedimentîs & periculîs salutis obruti sunt.

10. *Secundò.* Haud minora virtutum, salutísque obstacula, & impedimenta causant corporis voluptates non tantùm venereæ, sed etiam quæ ex inordinato usu cibi, & potûs quæruntur. Et quidem ex voluptatibus carnalibus integer requireretur liber, si damna, si pericula, si impedimenta, quæ ab illis causantur, recensere vellemus; erit de his sermo infra de Castitate, & Vitiis oppositis. Hic sufficiat, unam, alterámque sententiam ex SS. Patribus adducere, ex quibus satis patebunt virtutum impedimenta, & salutis pericula ex vitio carnis causata. *Fuerit forsitan peccatorum quispiam libidinosè deterior?* inquit S. Thomas de Villanova *Conc. 2. de S. Ildephonso. Nullus certè ad DEI contemptum promptior, ad malum perpetrandum audacior, nullus ad persistendum in peccato tenacior.* Cui consonat Oleaster à Lohner *in Auct. Tit. Luxuria.* citatus: *Sunt quædam vitia sic colligata, ut, quamprimum unum admittis, aliud te invadere necessum sit: trahit luxuria, & libidinis ardor ad omnia, quæ vult, etiamsi maxima sint peccata.* Nec tantùm inducit ad quævis peccata, sed insuper delet omnem pietatem, & retrahit ab ea, teste S. Gregorio *Lib. 21. Moral. cap. 9. Qualibet alia fuerint opera bona, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus criminis obruuntur. Nam etsi*, ait D. Thom. de Villanova *loc. cit. fuerit quispiam in juventute sua omnium virtutum decore præfulgidus, & veluti paradisus DEI, vernantibûs undique, & fragrantibûs gratiarum liliis dealbetur; si semel intima ejus penetraverit rogus* (luxuria videlicet) *totum funditus urit, totum absumit, totum redigit in favillam, ex amæno paradiso in desertum horridum, & ex angelo*

re-

reducit in belluam. Et tamen, eheu! nullum vitium adeò grassatur in hoc mundo, quàm hoc ipsum periculosissimum, & perniciosissimum, ut bene advertit S. noster Bernardinus *tom. 3. serm. 18. de luxuria.* ibi: *Non est aliquod vitium, per quod mundus adeò subjiciatur diabolo. Hoc peccatum lætificat infernum, & quasi totum mundum trahit ad supplicium;* adeò, ut S. Remigius *in Epist. ad Rom.* relatus à S. Thoma de Villanova *loc. cit.* tremenda illa verba, de existentibus in mundo, dicere non dubitaverit: *Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur.* Ecce! quanta iterum pericula, & quanta salutis impedimenta ex eo, quô nil frequentius in mundo.

11. Voluptatibus carnalibus venereis vicina, & in effectu causandi impedimenta virtutum, & perfectionis, salutísque pericula, sunt corporis oblectamenta & voluptates, quas mundani in cibi & potûs inordinato usu quærunt, quæ eò magis sunt periculosæ, quò minùs in mundo suspectæ, & vix non ab omnibus magno in pretio habentur, appetuntur, & pro libitu gustantur: cùm tamen certum sit, nullum unquam ad perfectionem, & solidam virtutem aliquam pervenisse, nec perventurum impósterum, sed potiùs in perpetuo periculo plurimorum peccatorum, ac interitûs victurum, & permansurum, nisi subjugaverit vitium Gulæ, ùt amplius dicetur *in Parte posteriore de Gula,* & *virtute opposita.*

12. *Tertiò.* Æqualia, eáque innumera perfectionis, & virtutum impedimenta, vitiorúmque pericula generant mundani honores, & dignitates, cæteræque laudis ac æstimationis vanitates; de quibus amplè *in Parte* videlicet *posteriore* dicetur, agendô de *Humilitate,* & vitio opposito scilicet *Superbia.* Sufficiat nunc, quòd, qui has inordinatè (ùt in mundo plerumque fit) ambiunt, & appetunt, hoc ipso superbi existant: ubi autem superbia, ibi omne virtutis, & gratiæ impedimentum, & econtra omnium vitiorum radix invenitur; nam *initium omnis peccati est superbia. Eccli. 10. v. 15. Superbia,* inquit S. Isidorus *de Summo bono. L. 2. cap. 38. sicut est origo omnium criminum, ita est ruina cunctarum virtutum.* Nec mirum, quia DEUS superbis gratiam suam, sinè qua nihil possumus, non tantùm denegat, sed

etiam, quod terribile est, positivè resistit, juxta illud *Jac. 4. v. 6. DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

13. *Quartò.* Quòd etiam Voluntas propria, propriúmque judicium maxima causet virtutis ac perfectionis obstacula, atque impedimenta, neminem latet, & amplè patebit infra *in Parte posteriore.* Sufficiat hìc illud notum D. Bernardi *serm. 3. in Pasch. Cesset propria voluntas, & infernus non erit:* ubi per *voluntatem propriam* illa intelligitur, qua volumus, & eligimus, non quod DEI, vel proximi charitas, aut ratio, sed quod inordinatæ passiones nostræ, concupiscentiæ, & affectus exigunt: de qua voluntate loquens S. Paulus *1. ad Tim. 6. v. 10. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.* Unde monet Spiritus S. *Eccli. 18. v. 30. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere:* Et *Genes. 4. v. 7. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.*

14. Propriæ voluntatis socium plerumque agit, & grandia perfectionis obstacula causat proprium judicium, quô quis, spretô aut neglectô præceptô, consiliô, ratione, aut opinione aliorum, præsertim prudentûm & Superiorum, soli suæ opinioni pertinaciter adhæret, eámque sequitur; de quo *in Parte posteriore de mortificatione proprii judicii & voluntatis.*

15. *Quintò.* Præter memorata, etiam maxima in via virtutum objiciunt impedimenta, & continua præbent pericula labendi, innumera oculis, alíisque sensibus continuò, & quasi ubique in mundo oberrantia scandala, seu mala exempla plurimorum, etiam talium, quorum societas vitari non potest; per quæ exempla proximus facilè ad sequelam incitatur, & trahitur; *Exempla* enim *trahunt.* Siquidem valde difficile est, cum malis, aut saltem imperfectis continuò versari, & eorum actus aut mores non imitari; nam juxta Verbum divinum *Eccli. 13. v. 1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.* Quod idem de aliis vitiis puta; enimvero *versari in spinis, & minimè lædi, divina est potentia, & non virtutis tua,* inquit S. Bernard. *Serm. 48. in Cant.* Unde etiam quantumvis cauti, & quasi nolentes malis exemplis,

&

& societate malorum inficiuntur existentes in mundo; nam sicut *qui contagiosa inficiuntur peste, non eam contrahunt voluntariè, sed ex commercio & consortio cum personis infectis: ita & plurimi, dum in malorum vivunt consortio, eorum bibunt culpas, & vitia, longè licèt invitissimi.* Mansi *Tract. 17. disc. 8.*

16. Et quod ingemiscendum, sufficit persæpe ad proximum inficiendum unicum unius socii malum exemplum, uti *loc. cit.* bene observat Mansi: *Sicuti vel unicum filum infectum potest transfundere pestem, ita vel unicum verbum, gestus, vel malum exemplum unicum, quæcunque res mala, quantumvis minima sufficiens est, ut nos contaminet.* Quod ipsum Ludovicus Granatensis *in Loc. com. v. Societas.* etiam in sacris communitatibus observat illa similitudine: *Sicut in suavissima multarum vocum consonantia, si vel una tantùm dissona vox accedat, totam harmoniam dissolvit; ita vel unus improbus in Conventu & societate bonorum moribus inter se similium totam planè concordiam conturbare solet.* Unde S. Paulus graviter indignatus est contra Corinthios, quòd aliquem malè & scandalosè inter eos viventem è communitate non ejecerint, addens rationem illis verbis: *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 1. ad Corinth. c. 5. v. 6.* Ob quod etiam zelosè admonet *2. ad Thess. 3. v. 6. Denuntiamus autem vobis, Fratres, in Nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè.* Si autem unicum malum exemplum tantæ efficaciæ est, quid non poterit frequentissimum, & quasi continuum malum exemplum eorum, quibuscum conversandum est in mundo, ubi paucissimi de perfectione cogitant, & plurimi continuis imperfectionibus, & peccatis saltem levibus innatant? ac, *ubi alij venenatis persuasionibûs, alij undique exemplis pejoribûs ad peccatum alliciunt, alij adulationibûs in vanam gloriam, alii detractionibûs in impatientiam animum dejiciunt &c.* S. Bernardus *Serm. 3. de Circumcis.* Planè miraculum dixero, in mundo hoc per totum vitioso, viscoso, & lutoso semper conversari, & non sæpe inquinari.

17. *Sextò.* A virtute, & vera perfectione in mundo vel maximè impediunt innumeræ, & quasi continuæ de rebus temporalibus curæ, ac solicitudines. Hoc ipso

ipso enim, quòd, experientiâ teste, sæculares omnes continuîs curis, & solicitudinibûs diu noctúque inquietentur, distrahantur, occupentur, angantur, & crucientur, ut vitæ necessaria ac sufficientia juxta præsentem, & adhuc majorem, quem plerumque ambiunt, vitæ statum, ac conditionem acquirant, acquisita augeant, vel ne minuant, & perdant, propterea etiam invicem æmulentur, invideant, persequantur, & litigent, laborent, & se fatigent, totúmque ferè vitæ tempus in his miserè insumant, rarissimè & obiter tantùm, ac planè insufficienter curant, & cogitant, quomodo DEO perfectè servire, eíque placere, quomodo vitia & passiones extirpare, & econtra virtutes implantare, quomodo ad perfectionem Christianam tendere, quomodo animam suam securè salvare, quomodo fini, ad quem creati sunt, satisfacere, & ad eum pervenire valeant, memoratîs temporalium curîs & solicitudinibûs bonas cogitationes, inspirationes, aut proposita, ex semine Verbi divini, aut aliunde conceptas, illico suffocantibûs, & fructum ferre non sinentibûs; ùt clarè docuit ipse Divinus Magister Christus *Luc. 8. v. 7.* ubi dixit, Verbum DEI, bonásque cogitationes cadere inter spinas, statímque ab his ita suffocari, ut fructum non afferant, quando veniunt in corda illorum, qui curîs, & solicitudinibûs hujus vitæ obruti sunt, ibi: *Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, ac voluptatibus vitæ suffocantur, & non referunt fructum.* Hinc sæpe idem nos monuit, ut à solicitudine hac caveremus, ut *Luc. 12. v. 22. Nolite soliciti esse &c.* quam solicitudinem etiam longè abesse vult S. Paulus *1. ad Corinth 7. v. 32. Volo vos sinè solicitudine esse*, id est, superfluâ, & inordinatâ temporalium.

18. *Septimò.* Cuncta hactenus recensita mundi impedimenta & pericula augentur, ac firmantur per pessima mundi principia, quibûs periculosissimus etiam vivendi modus, mores corrupti, nec non plurima vitia defenduntur, manutenentur, & sub specie liciti excusantur, explosîs contrariîs, quantumvis certîs, in fide, & doctrina Evangelica fundatîs principiîs; unde fit, quòd pericula etiam gravissima minimè curen-

curentur, plura mandata tanquam figmenta reputentur, Ecclesiæ, & Pontificum Decreta contemnantur, Divina monita & consilia non attendantur, exhortationes, dehortationes, admonitiones &c. eorum, quibus animarum cura incumbit, rideantur; sícque laxatis habenis non tantùm omnis cura christianæ perfectionis penitus negligatur, sed liberrimè in varia etiam crimina ruatur, adeò, ut S. Joannes *Epist. 1. cap. 5. v. 19.* pro suo, & futuris temporibus meritò dixerit: *Mundus totus in maligno positus est.*

19. Ob tot ergo, & tanta virtutum, perfectionisque christianæ impedimenta, ac tanta salutis nostræ pericula amantissimus Redemptor Christus, ex infinita sua bonitate, nostri misertus statum Religiosum, variósque successivè sacros Ordines & Religiones tum per se, tum mediantibus dilectis suis servis instituit, (Christus siquidem revera primus Religiosi Status Institutor fuisse censetur) easque ita formavit, ut earum natura, & essentia, proprietates, & qualitates memorata impedimenta perfectionis christianæ tollerent, eisque, sicut & salutis periculis immediatè contraria, & convenientia præberent remedia, quatenus DEO perfectè servire, sícque ad perfectionem, & ad creationis suæ finem venire efficaciter desiderans haberet locum, ubi immunis à tot impedimentis & periculis, sanctum voluntatis suæ desiderium executioni mandare liberè valeret, arripiendô saluberrima media in Sacris Religionibus ordinata. Ac propterea ulteriùs

20. Dicitur *secundò* in Responsione *num. 5.* datâ: *Et econtra assumptis convenientibus mediis, in quavis Religione præparatis.* Etenim Religio non tantùm impedimenta, & pericula removet, sed etiam auxilia, & media ad DEO perfectè serviendum, & perfectionem acquirendam aptissima, præstantissima & copiosa exhibet, prout patebit ex dicendis §. *II. de Præstantia, & Felicitate Status Religiosi.* Unde etiam ob hunc finem, videlicet, ut non tantùm pericula, & impedimenta quis declinet: sed etiam, ut præstantissima, & optima, quibûs Religio abundat, & mundus caret, acquirat; & semper habere possit media, DEO perfectè serviendi, & ad perfectionem ve-

veniendi, si quis Religionem ingreditur, bonum finem habet.

21. Additur tandem in allegata Responsione *num. 5.* datâ: *Ut DEO, fide jam cognito, ex amore ejusdem in hac vita perfectè, modóque in Religione præscriptô servire; consequenter veram perfectionem acquirere: in altera verò vita eundem clarè cognitum adhuc perfectiùs amare, laudare, & honorare, eóque in æternum frui, cum, & in illo gaudere, ac felix esse, sicque ad primarium creationis suæ finem securè pervenire valeat.* Hic enim cujusvis Religionis, ac Religiosi est, & esse debet verus, ac principalis finis ingrediendi Religionem, atque manendi in eadem, ut nempe DEO, ex charitate erga eundem perfectè servire, eúmque amare, & ad perfectionem, finémque creationis suæ pervenire valeat. Hic siquidem est primarius & principalis finis, ob quem à DEO creatus est, & conservatur omnis homo. Enimvero principaliter, & primariò *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, uti ipse testatur Spiritus sanctus *Proverb. 16. v. 4.* Huc ergo principaliter, & primariò omnes tendere, collimare, omniáque dirigere, & in hoc solo, tanquam fine, & centro nostro quiescere debemus. Sola notanda verba: *Fide jam cognito:* quia in hac vita DEUM non clarè, sed tantùm obscurè, &, ùt dicit Apostolus, *1. Cor. 13. v. 12. per speculum in ænigmate* videmus, & cognoscimus: adeóque eundem amamus, eíque perfectè servimus, quia fide credimus, eum amore, & servitiô dignissimum esse; in altera autem vita, quia illum facie ad faciem, & prout est, clarè cognoscemus, simúlque videbimus, eum omni amore, laude & honore infinitè dignum esse, perfectiùs adhuc, imò perfectissimè, ac intensissimè eundem amabimus, laudabimus, honorabimus, ejúsque laude & gloriâ lætabimur &c. & hinc dicitur: *in altera verò vita eundem clarè cognitum &c.*

22. Cæterùm quid sit DEO perfectè servire, & in quo Perfectio, ad quam tendere debemus, verè consistat, dicetur *in Parte posteriore.* Sufficiat interea compendiosè dicere, DEO perfectè servire, aliud non esse, quàm *ex amore erga illum sanctissimam ejusdem voluntatem in omnibus perfectè exequi: consequenter Perfectionem consistere in perfecta executione volun-*

luntatis Divinæ, seu in perfecta conformitate nostra quoad omnia cum voluntate Divina; ita ut quis ex amore erga DEUM omnia, & nihil aliud desideret, aversetur, agat, omittat, & patiatur, quàm quod vult DEUS, quomodo vult, & quia vult: id est, quod vult DEUS, ut quis velit, desideret, aversetur, agat, omittat, & patiatur: item quomodo vult, & quia vult; de quo magis *loc. cit.*

23. Dices: si ob hunc finem creatus est, conservatur, & existit omnis homo; ergo finis Religiosorum, & mundanorum est idem: consequenter nulla intervenit differentia. Resp. Eundem quidem esse finem principalem mundanorum, & Religiosorum, in eóque illos revera convenire: differre nihilominus plurimùm in via, mediis, & modo tendendi ad eundem finem. Mundani siquidem ad Perfectionem incedunt viâ valde ancipiti, erroneâ, periculis plenâ, impedimentísque, & obstaculis refertâ, ita ut pauci ad finem optatum perveniant; Religiosi econtra paratam habent, & ambulare possunt viam regiam, tritam, & certam, ab impedimentis, obstaculis, & periculis immunem: adeò ut ad finem præfixum facilè, & securè pervenire valeant; dummodo velint, & nisi per extremam socordiam, ac negligentiam stare, vel retrogredi, aut voluntariè, & deliberatè, petulanter, ac malitiosè deviare, & aberrare ipsimet velint.

24. Item Religiosi plurimis, iísque efficacissimis, optimísque auxiliis, ac mediis, & quasi rhedâ, vel equô vecti ad finem, & terminum sinè fatigatione pergunt: Mundani econtra præfatis auxiliis, & mediis destituti, quasi pedestres, non sinè maxima difficultate iter agunt, ita, ut fatigati plerumque in via deficiant, consequenter ad finem & metam non pertingant.

25. Religiosi item modô perfectiorî, ab Ordinis Regulis præscriptô iter perficiunt, servandô non tantùm divina, & Ecclesiastica præcepta, sed etiam sequendô plura DEI consilia, *Paupertatem* præcipuè, *Castitatem*, & *Obedientiam*. Mundani autem modô minùs perfectô, utpote solam mandatorum observantiam attendentes, nihil, vel parùm de consiliis Divinis, & Evangelicis soliciti. Hæc de fine principali & primario; jam

26. Quæritur II. Quis sit finis minùs principalis Religionis, & Religiosorum? Resp. Finis minùs principalis, sive secundarius, bonus tamen, quem quævis Religio habet, & consequenter quivis Religiosus habere potest, est multiplex. Patet inductione.

Sic enim inter alios I. Finis secundarius est, ut quis in Religione certiùs, & securiùs æternam damnationem evadat, beatitudinémque cœlestem acquirat, seu ut certiùs, & securiùs salvus fiat. Nam sicut Ter Optimus DEUS principaliter, & primariò creavit omnes homines propter semetipsum, & gloriam suam, ut videlicet homo ei perfectè serviat, eúmque hìc, & in æternum amet, laudet, & honoret: secundariò autem, seu minùs principaliter, ut seipsum, & bonitatem suam homini communicet, perpetuòque beatum, & felicem efficiat; sic etiam Christus præter finem principalem secundariò, & minùs principaliter instituit Satum Religiosum, ut intrantes eundem, remotis obstaculis, impedimentis, & periculis, ac econtra assumptis Religionis mediis regnum cœleste certiùs, & securiùs consequerentur. Nam sunt plerique, ait S. Gregorius *Lib. 2. Ep. 61.* *Qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud DEUM nullatenus possunt.* Et teste S. Cypriano *de singular. cleric.* *Lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati se salvari se sperat.* Hunc finem Christus indicavit, dum Religiosum Statum assumentibus certò promisit æternam vitam, *Matth. cap. 19. v. 29.* ibi: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

27. II. Finis secundarius Religionis est, & Religiosi esse potest, ut agat pœnitentiam, & satisfaciat pro peccatis in sæculo jam perpetratis. Nulla enim pœnitentia, & satisfactio pro peccatis præteritis præstantior est, quàm assumptio Statûs Religiosi. Nam *si ab aliquibus eleemosynis factis* (inquit S. Thomas *2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.*) *homo potest statim satisfacere pro peccatis suis, secundùm illud Danielis 4. Peccata tua eleemosynis redime; multò magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter Divinis obsequiis mancipet per Religionis ingres-*

gressum, quæ excedit omne genus satisfactionis.

28. III. Ut quis evitet in futurum peccata, peccandíque pericula, quæ planè innumera in mundo existunt, prout jam dictum *supra*. Quibus addimus verba S. Bernardi *de Convers. ad Cleric. cap. 30. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam. Fugite de medio Babylonis, fugite, & salvate animas vestras.* Denique

29. IV. Fines secundarii sunt excellentia, perfectio, utilitas, & felicitas Status Religiosi; de quibus §. *sequenti.*

30. Interea notandum, quemlibet ex his accessoriis, & secundariis Religionis finibus, ac motivis intrandi Religionem, & manendi in ea, esse bonum quidem, meritorium, & DEO placentem; perfectiorem tamen, DEOque magis gratum, & cuivis magis meritorium esse finem principalem, ac primarium: ita, ut, quamvis bene, bonóque agat ex fine, qui primarii finis immemor Religionem præcisè intrat, ut certiùs, & securiùs infernum evitet; vel, ut pro peccatis suis satisfaciat; vel, ut ea vitet, ac declinet &c. meliùs tamen agat, si ex fine primario & principali *n. 5.* indicato id faciat: ut proin quivis satagere deberet, ex memorato fine Religionem intrare, vel, si præcisè ex secundario, aut minùs principali fine jam intravit, mutatâ intentione, ex principali fine in ea manere; præsertim, cùm quis secundarios fines ad primarium facilè reducere, sicque omnes perfectè habere valeat: si videlicet ideo etiam ex secundario fine, aut motivo, v. g. ut securiùs salvus fiat, vel peccati pericula declinet, poenitentiam agat &c. Religionem assumpsit, aut in ea manet; quia DEUS etiam vult, & maximè desiderat, ut salvemur, ut peccata, eorúmque pericula pro possibili declinemus, ut poenitentiam agamus &c. si enim simile quid quis intendit, quia idem DEUS vult, & desiderat, eíque placet, jam hoc ipso finem principalem habet, prout magis patebit infra *num. 58.* afferendô pro praxi perfectæ intentionis actum intrandi, vel manendi in Religione.

31. Quæritur III. Quis sit specialis finis Ordinis nostri Seraphici, & consequenter quis esse possit, & debeat FF. Mino-

 rum?

rum? Ante responsionem notandum, finem, & motivum Religionis nostræ tam principalem, quàm secundarium, seu minùs principalem in substantia convenire quidem, & esse communem, & eundem cum fine, & motivo aliarum Religionum, differre tamen ab illo in modo, & via tendendi ad finem; ùt statim patebit ex sequenti Responsione.

32. Resp. itaque I. Finis primarius, & principalis Seraphicæ nostræ Religionis, consequenter & FF. Minorum est, ut quis abjectîs mundi impedimentîs, obstaculîs, & periculîs, ac econtra assumptîs optimîs mediîs, & auxiliîs in eadem præparatîs DEO ex amore erga eundem perfectè servire valeat modô Evangelicô, ab ipso Christo, & Apostolis verbîs, & exemplîs traditô, & S. P. Francisco per singularem revelationem à Domino divinitus ostensô. Hæc Responsio patebit magìs infra §. *2. à num. 112.* & liquet statim ex initio Divi Francisci Regulæ, ubi compendiosè id totum exprimitur illîs paucîs verbîs: *Regula, & vita Fratrum Minorum hæc est: scilicet sanctum Domini nostri JESU Christi Evangelium observare.* Evangelium autem principaliter vitam, & doctrinam Christi, & Apostolorum, eorúmque modum vivendi verbô atque exemplô traditum continet, consequenter, cùm Regula, & vita Fratrum Minorum aliud non sit, quàm Evangelium observare, finis eorundem principalis est perfectè DEO servire modô Evangelicô.

33. Interea illud advertendum circa finem Seraphicæ Religionis, quòd, sicut Christus, & Apostoli non solam contemplativam, nec solam vitam activam, sed mixtam ducebant vitam (id est, partim contemplativam, partim activam) ita, ut non solùm meditandô, & contemplandô, vitámque abstractam ducendô, solam propriam intenderint animæ salutem, sed etiam exemplô, doctrinâ, & labore, propter DEUM proximorum quæsierint salutem, sic etiam S. Francisci Religio vitam contineat mixtam, quam ejus Alumni partim meditandô, contemplandô, orandô, psallendô, amori Divino, & saluti propriæ intendunt: partim verò laborandô, exhortandô, docendô, instruendô, concionandô, Confessiones excipiendô, ægrotos, & afflictos consolan-

lando, aliósque labores, & charitatis actus exercendô, proximorum quoque quærant salutem, eósque præcepta DEI servare, & eidem juxta cujusvis conditionem debitè servire faciant.

34. Quem mixtum vivendi modum ipsusmet revelavit, & S. Patri nostro demandavit DEUS. Nam cùm is aliquamdiu hæsitaret, ac propterea per suas, & suorum preces pro revelatione Divinæ voluntatis ferventer instaret dubius, num ipse cum Fratribus suis per vitam contemplativam, & solitariam soli amori, & laudi Divinæ, solîsque saluti propriæ vacare, an verò etiam pro salute proximorum laborare, sícque vitam mixtam tenere deberet, responsum accepit à DEO, Religionem, & Ordinem suum non tantùm propter propriam Fratrum suorum, sed etiam propter aliorum salutem esse institutum, consequenter debere FF. Minores ex speciali fine Religionis, & Regulæ suæ non solummodo per vitam contemplativam, ac solitariam soli amori Divino, solîsque saluti propriæ vacare, sed etiam propter DEUM studiô, & labore, verbô, & exemplô salutem proximorum juxta exemplum Christi, & Apostolorum per vitam mixtam quærere: quod S. Ecclesia quoque in S. Francisci Officio sive Breviario Ordinis annotavit primâ ad Laudes Antiphonâ, illîs verbîs: *S. Franciscus prævits orationum studiis, quid faciat, instructus: non sibi soli vivere, sed & aliis proficere vult DEI zelò ductus.*

35. Resp. II. Secundarii quoque, & minùs principales fines Religionis Seraphicæ in substantia conveniunt quidem, & communes sunt cum fine, & motivis minùs principalibus aliarum Religionum, in modo tamen tendendi ad illos rursus differre videntur, ita, ut licèt Religio Seraphica, sicut aliæ, pro fine secundario habeat, & FF. Minores habere possint, ut quis in ea securiùs, & certiùs pœnitentiam de peccatis præteritis agere, peccata, & pericula eorum in futurum vitare, æternam damnationem evitare, & ad cœlestem beatitudinem pervenire valeat &c. tamen differt in hoc, quòd ad hujusmodi fines tendat, modô, auxiliîs, & mediîs, quæ habet, optimîs, & per ipsum Christum, & Apostolos verbô, & exemplô traditîs.

36. Enimvero Religio Seraphica FF. Minorum S. Regulam in sua puritate observantium inprimis tria cujusvis Religionis essentialia Vota, Obedientiam nempe, Paupertatem, & Castitatem tanquam principalia media præcipuis mundi impedimentis, obstaculis, & periculis immediatè, & maximè opposita, in perfectiori gradu præscribit observanda juxta dicenda infra §. 2. *num. 113. & seqq.*

37. Deinde singularis eorum austeritas vitæ ex nocturnis vigiliis, ac copiosis jejuniis, ex rigido vestitu, in duro strato, ex frigore, & calore; ex humilitate Evangelica, ex subjectione erga omnes, ex nuditate membrorum; ex solo paupere usu rerum, aliisque innumeris incommodis, proprietatibus, & sociis extremæ paupertatis; nec non ex aliis pluribus humanæ sensualitati, & voluntati duris præceptis, ac statutis proveniens, modúsque vivendi Evangelicus vitæ Christi, ac Apostolorum conformis, perfectiùs sanè, ac securiùs tollere videtur salutis impedimenta, & peccandi pericula.

38. Quæritur IV. Quinam Religiosi, & quomodo errent circa finem ingrediendi Religionem, vel manendi in ea? Resp. Plures in hoc, & variè errare; omnes videlicet, qui non ex præfato principali, aut saltem aliquo secundario fine supernaturali, sed alio temporali, v. g. naturali, aut sensuali Religionem intrant, aut in eadem manent. Patet inductione.

39. *Primò* itaque errant, qui ideo Religionem intrant, vel manent in ea, quia in mundo sufficientia media non habent, unde honestè vivant, & sustentari valeant.

40. *Secundò* errant, qui Religionem ingrediuntur, vel manent in ea, quia vident se carere iis mediis, & qualitatibus, vi quarum ad alium statum, vel officium promoveri, aut honestè accommodari possent.

41. *Tertiò* errant, qui intrant, vel manent ex respectu, aut timore parentum, aut consanguineorum, fratrum, sororum &c. v. g. ut eos ab onere sustentationis liberent, vel ut dein fratres, aut sorores majorem portionem acquirant, vel præcisè, quia vident, id valdè acceptum esse parentibus; aut fore, ut ab eisdem persecutionem, disaffectum.

ctum, aut alia incommoda sint passuri, nisi intrent, aut maneant in Religione.

42. *Quartò* errant, qui intrant, vel manent, quia audiunt, sciunt, vel advertunt, se ibidem bonum, & forsan meliorem habere victum, quàm in mundo.

43. *Quintò* errant, qui intrant, vel manent, ut ibidem sinè cura, & labore otiosè, & pro sua commoditate vivere valeant.

44. *Sextò* errant, qui in mundo vulgares, aut aliàs abjecti, contempti, despecti &c. Religionem intrant, & manent, ut ibidem intuitu sacri Habitûs, vel Ordinis honorentur, respiciantur &c.

45. *Septimò* errant, qui intrant, vel manent animô veniendi ibidem ad Prælaturas, Dignitates, Superioratus, aut alia honoris, & præeminentiæ Officia.

46. *Octavò* errant, qui præcisè manent, ne ex causa etiam justa egredientes confundantur, & vilipendantur.

47. *Nonò* errant, qui ex nullo serio fine, sed inconsideratè, aut quia alii intrant, vel intrârunt, vel propter bonum socium, & amicum ingrediuntur, aut manent.

48. Quæritur V. Qualiter in praxi fieri possit, & debeat intentio ex bono, & recto fine ingrediendi Religionem, aut manendi in illa? Resp. Talem in praxi quemvis optimè facere, si inprimis seipsum bene examinet, qualem hucusque intentionem, motivum, aut finem habuerit, Religionem, & quidem hanc vel illam ingrediendi, aut jam ingressus in eadem manendi? Si invenit, eum bonum esse, ac perfectum juxta dicta *à num. 5.* maneat, & pergat in ea: si invenit, eum bonum quidem, sed tamen minùs perfectum e. g. præcisè aliquem ex motivis, & finibus secundariis *à num. 26.* recensitis fuisse, studeat eum perfectiorem reddere; si autem inveniat, eum fuisse unum ex merè naturalibus, aut temporalibus, vel etiam peccaminosis *à num. 39.* recensitis, omnino debet eum revocare, & mutare, contra illum protestari, & locò illius bonam, eámque perfectam, & optimam formare intentionem, aut finem.

49. Hæc est enim maxima felicitas Novitii Religiosi, quòd, etsi forsan ex malo, aut imperfecto fine Religionem intrârit, possit talem finem, ac intentionem

nem ex toto mutare, & ejus locò perfectissimam formare, eodem ferè cum subsequenti merito, fructu, & effectu, acsi eandem ante ingressum habuisset, hoc ipso, quòd nondum professus, Religionem liberè desérere posset, & consequenter non deserendô eam, quasi de novo assumere, sícque ex optimo fine, & intentione intrare, aut saltem Professionem, à qua tota dependet substantia, ex dicto optimo fine emittere.

50. Ut autem minùs perfecta intentio perfectior reddi, vel mala mutari ritè valeat, maximè conducet, si quis ante, vel saltem post ingressum primîs statim diebûs, aut septimanîs, præsertim tempore Meditationis, Recollectionis, aut post Communionem, vel privatim in sua cella, vel camera sequentia puncta, aut unum ex eis subinde consideratè perpendat. I. Finem creationis nostræ, qui est, ut, quamdiu in hac vita degimus, DEO ex amore illius perfectè serviamus, & mandata illius custodiamus, eúmque amemus, & ita vitâ functi ad cœlum perveniamus, DEUM ibidem clarè visuri, indéque eundem adhuc magìs amaturi, illóque perpetuò fruituri.

51. II. Quàm dignum, quàm æquum, & justum, quàm obligatorium, & necessarium, quàm jucundum, & utile sit servire DEO, utpote summo, & infinito Bono, Domino, Creatori, Conservatori, Redemptori, Protectori nostro, à quo omnia, per quem omnia, propter quem omnia: qui innumerîs donîs, & beneficiîs naturæ, & gratiæ nos ditavit, & omni momento adhuc ditat: simúlque ab innumeris corporis, & animæ, temporalibus, & æternis nos eripuit, & etiamnum eripit periculis &c.

52. III. Mercedem eidem fideliter servientium, cœlestia nempe, eáque æterna gaudia, imò ipsummet DEUM tanquam infinitum Bonum perpetuò fruendum, econtra pœnam eidem non servientium, videlicet ignem infernalem, eúmque æternum, &, quod gravius est, perpetuam privationem Visionis beatificæ.

53. IV. Gravitatem, turpitudinem, malitiam, effectum, & pœnam peccati. De quo specialiter infra *Cap. 3. & 4.*

54. V. Innumera omnis generis impedimenta, & obstacula, quæ homines in mundo existentes ferè ubique, & semper à vero DEI amore, & servitio impediunt, & avertunt.

55. VI. Pericula, scandala, mala exempla, & pessima principia pariter innumera, quæ miserum hominem in mundo existentem ferè semper, & ubique à bono abducunt; econtra ad omnis generis peccata, & DEI offensas alliciunt, ac quasi trahunt, quin & rapiunt.

56. VII. Summam, & inexplicabilem felicitatem, quâ Religiosus à præfatis impedimentis, periculis, & laqueis non tantùm immunis existit, sed insuper copiosissima media, & auxilia memoratis obstaculis, & periculis immediatè contraria, econtra ad perfectionem acquirendam, DEOque perfectè serviendum maximè conducentia, semper, & ubique ad manum habet.

57. VIII. Præterea considerare juvat, quidquid mundus boni habet, vel habere videtur, & dare potest de suis divitiis, honoribus, & gaudiis: econtra quidquid S. Religio difficile, ac voluntati, sensualitati, & perversæ naturæ nostræ contrarium habet, v. g. paupertatem cum omnibus incommodis, perpetuam, eámque perfectissimam ab omni etiam suspecto consortio alienam castitatem, obedientiam illimitatam in omnibus, quæ non sunt contra DEUM, vel animam, perpetuam mortificationem, & abnegationem proprii judicii, voluntatis, & passionum nostrarum, contemptum etiam à superbo mundo tolerandum &c. ut taliter cunctis perfectè cognitîs, tum iîs, quæ propter DEUM, & amore DEI deserere, tum illîs, quæ ob ipsum agere, ac sustinere volumus, resolutio Religionem, & quidem hanc vel illam in specie assumendi, in eadémque perpetuò manendi, magìs considerata, & deliberata, sícque magìs perfecta, DEO magìs grata & accepta, Religioso autem magìs meritoria, & fructuosa fiat, hoc vel simili modo:

Actus perfectæ Intentionis, assumendi Religionem quamcunque, vel manendi in ea.

58. O Sanctissima & Individua Trinitas! Immense, Infinite, & Amandissime DEUS!

Credo firmiter, à te me ideo creatum esse, & conservari, ut, quamdiu in hac vita existo, super omnia te diligam, & ex amore erga te perfectè tibi serviam, exequendô & patiendô in omnibus tuam sanctissimam voluntatem, ac perfectè servandô justissima, æquissima, & sapientissima tua mandata, ab eorúmque transgressione qualibet tanquam tui injuriâ & offensâ, consequenter damnabili errore & peccatô abstinendô; vitâ verò hac functus te perfectè & clarè cognoscam, ac intuear, indéque magis adhuc, & perfectiùs te diligam, laudem, & honorem, simúlque te tanquam infinitô Bonô in æternum fruar, tecum, & in te in æternum gaudeam.

59. Agnosco etiam, ter optime DEUS! finem, & intentionem, quâ me creâsti, & conservas, justissimam esse, æquissimam & optimam. Credo enim rursus, te solum esse Dominum, DEUM, Creatorem, & Conservatorem mei, & totius universi ab æterno existentem, infinitum, omnipotentem, & sapientissimum. Credo te mei, & omnium providentissimum Gubernatorem, Rectorem, continuum Custodem, & Protectorem, æquissimum, ac justissimum Legislatorem, & Judicem, clementissimum ac benignissimum Miseratorem, largissimum Benefactorem, æternum & infinitum Retributorem, mirabilem Amatorem & Redemptorem, Majestatem insuper immensam, gloriosissimam, splendidissimam, incomprehensibilem, pulcherrimam: verbô, Bonum infinitum, quô majus, aut melius esse, vel excogitari non potest, omne aliud in toto universo jam existens, & adhuc possibile bonum eminentissimô modô in se continens, & incomparabiliter superans &c. consequenter omni amore, laude & honore, servitiô & obsequiô dignissimum.

60. Verùm Amandissime DEUS meus! quia video, cognosco, & experior, in hoc mundo innumera ubique, eáque gravissima esse tendendi ad sanctissimum creationis nostræ finem obstacula, impedimenta, pericula item, exempla, & principia pessima, quibûs mundani à fine suo, amore nempe, & perfecto servitio tuo jugiter non tantùm impediuntur, & retardantur, sed violenter quasi ab illo reducuntur.

tur, & in omnis generis mala, atque peccata, fini creationis maximè contraria, summa & continua cum offensa, & injuria Majestatis tuæ pertrahuntur; econtra verò in Statu Religioso hæc obstacula, impedimenta, & pericula non tantùm abesse, sed etiam media ad finem à te intentum aptissima, convenientissima, & efficacissima, eáque plurima adesse.

61. Hinc amore tui solius, & propter te unicè, videlicet ut tibi perfectiùs & securiùs servire, amorémque meum erga te in opere ipso securiùs, liberiùs, ac perfectiùs exercere valeam, mundum hunc cum omnibus, quæ habet, aut habere, & dare potest, deseram, Statúmque Religiosum amplector.

62. Deseram propter te, & amore tui periculosas mundi divitias, honores, dignitates, non tantùm modicissimas, quas ipse possideo, sed & omnes, quas mundus habet, aut dare potest, adeò ut, etiamsi essem, aut fieri possem potentissimus, ditissimus & gloriosissimus totius mundi Rex, & Dominus, vellem propter te cuncta relinquere, & paupertatem, pauperémque ac humilem Statum Religiosum assumere, simúlque eligere, abjectus esse in domo DEI, magìs quàm habitare in tabernaculis peccatorum; præsertim, cùm dilectus Filius tuus Magister, & Redemptor meus clarè dicat: *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc. 14. vers. 33.*

63. Deseram propter te, & amore tui, etiam parentes, fratres, sorores, consanguineos, & amicos, omnémque inordinatum affectum, & amorem erga eosdem, utpote amoris & servitii tui valde impeditivum, ùt idem Filius tuus testatur, dicens: *Qui non odit patrem, & matrem, fratres & sorores &c. non potest meus esse discipulus. Luc. 14. v. 26.*

64. Deseram propter te, & amore tui, non tantùm illicitas, sed etiam licitas, in matrimonio concessas carnis voluptates, & econtra Castitatem perpetuam ad exemplum dilecti Filii tui servabo; præsertim quia virtus hæc tibi gratissima, tui amoris, cæterarúmque virtutum fœcunda mater, & nutrix est: ubi econtra carnis voluptates, etiam licitæ, cum perfecto & puro tui amore aut non, aut vix compati-

tibiles sunt, utpote cor, amorem, ac solicitudinem dividentes, & in creaturam transferentes; prout etiam Magister meus docuit, dicens: *Qui uxorem non odit, non potest meus esse discipulus.* Et Paulus dicit *1. Cor. 7. v. 32. & 33. Qui sine uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO; qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.*

65. Propter te, tuíque amore deseram etiam, & abnegabo memetipsum, voluntatem scilicet, & judicium, unà cum omnibus inordinatis affectibus, inclinationibus & passionibus, amori, sanctissimæque legi, & voluntati tuæ semper contrariis, ad nihil aliud, quàm ad malum, tuíque offensam & injuriam tendentibus, ac impellentibus; adeò ut bene iterum dilectus Filius tuus dixerit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum &c. adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Luc. 14. v. 26.* & *Matth. 16. v. 24. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Abnegabo autem meipsum per obedientiam perpetuam, quâ me propter te in omnibus subjiciam tenentibus locum tuum, Superioribus videlicet, eísque me abnegatô eò libentiùs & perfectiùs obsequar, quò certiùs scio, mandatum, & voluntatem eorum cum tua esse eandem, teste Filio tuo, *Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit:* fieríque tibi gratius obsequium per obedientiam, quàm per victimam, cùm ipse per Samuelem dixeris: *Melior est obedientia, quàm victima. 1. Reg. 15, vers. 22.*

66. Deseram mundum, tuíque amore amplectar sacram hanc Religionem, ut dignos fructus pœnitentiæ facere, & pro innumeris peccatis meis omni perfectiori, & possibili modo satisfacere, sícque æterna inferni supplicia peccatis meis debita evadere, & in cœlo te clarè videre, ac cognoscere, amare, & laudare, te ipso tanquam infinitô Bonô frui, tecúmque, & in te æternùm gaudere perfectè valeam; quia tu ipse mandas, & præcipis, ut dignos fructus pœnitentiæ faciamus, símulque ex infinito erga nos amore, bonitate, & misericordia summè cupis, vis, & desideras, ut infernum evitemus, & ad cœlum perveniamus, in æternum ibidem te visuri, amaturi, laudaturi, te frui,

fruituri, tecúmque, & in te gavisuri.

67. Et hæc est, Immense, Infinite, ter Optime DEUS! vera, sincera, tibíque cognita intentio, & finis meus, ob quem sacram Religionem, & quidem hanc præ reliquis profiteri, in eáque per totum vitæ tempus permanere firmiter concludo. Quapropter omnem aliam temporalem, naturalem, aut aliàs minùs bonam, minúsque perfectam intentionem, quam in ingressu, vel hactenus habui, vel quam forsan me habuisse tu cognoscis, ex hoc momento revoco, & muto, perpetuóque revocatam, & mutatam volo, dum libertate, Religionem hanc deserendi, vel manendi in eadem adhuc gaudeo.

68. Quâ intentione, dum resolutionem, & propositum meum humillimè tibi offero, simul lubens confiteor, non tam tibi à me summè debitum præstari obsequium, quàm à te mihi maximum exhiberi beneficium, gratiámque conferri specialissimam, quòd me à tenebris ad lucem, à misera servitute ad felicem libertatem, à fictis & falsis ad vera gaudia, ab anxia cura & solicitudine ad jucundam tranquillitatem, ab amaro labore ad dulcem requiem, à periculosissimo pelago ad securum portum, à morte ad vitam, à mundo videlicet ad Religionem, & quidem ad hanc sanctissimam, doctrinæ, ac vitæ Filii tui, & Apostolorum maximè conformem, consequenter vel ideo etiam tibi gratissimam, utilissimam, ac felicissimam vocare, eidémque me aggregare dignatus sis, innumeris aliis in miserrimo mundo, vel statu minùs felici relictis, qui omnes meliùs, & perfectiùs tibi utique serviissent, quàm ego.

69. Quapropter pro hac specialissima Vocationis gratia tua specialissimas, perpetuas, ac infinitas ex toto corde & animo ago gratias, rogans te humillimè per infinitam bonitatem & amorem tuum, quô me tantâ vocationis gratiâ beare dignatus es, simúlque per merita, & Nomen JESU Filii tui, ut in eadem me conserves, ulterioríque gratiâ & auxiliô tuô divinô me in omnibus prævenias, adjuves, confortes, & confirmes, ut tantæ gratiæ correspondeam, fini & intentioni in opere ipso satisfaciam, te solum, & super omnia dili-

diligam, tuíque amore perfectè tibi serviam, prout ex hoc momento firmiſſimè, efficaciſſimè, ac inviolabiliter cum eadem tua gratia facere propono, juro, ac ſtatuo.

70. Hic actus, quamvìs aliqualiter longior, nihilominus quia negotium ſummi momenti, profitendi nempe S. Religionem, & toto vitæ tempore manendi in eadem, concernit, tempore Novitiatûs una & altera vice, aut aliquoties à quovis Novitio, maximè ante S. Profeſſionem, conſideratè, & attentè meritò fieri debet, ut ejusdem Profeſſio, & tota ſubſequens vita Religioſa perfectior, magìs meritoria, DEOque magìs grata evadat. Poteſt etiam (mutatîs mutandîs) poſt Profeſſionem utiliter fieri, ſaltem ſemel in anno, v. g. anniverſaria die Profeſſionis, aut tempore Exercitiorum, aut tempore Confeſſionis annuæ. Et quoniam hic actus continet plura puncta, poteſt ſubinde etiam aliîs temporibûs, præſertim tempore Meditationis, aut occurrentis occaſionis, aliquod ex eis, vel ſimile eidem elici.

71. Quæritur VI. Qualitèr circa Religionis finem practicè ſe habere debeat Religioſus? Reſp. Facta aliquando firma & perfecta reſolutione, DEO in hac vel illa Religione perpetuò ſerviendi, debet Religioſus circa finem ſuum in praxi ſequentia obſervare. I. Debet frequenter ad mentem revocare, *ad quid*, ſeu quare, & propter quid venerit in Religionem, juxta doctrinam Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ *Part.1.Cap.1. de Inſtit. Novit.* ubi ait: *Primò ſemper debes conſiderare, ad quid veneris, quare veneris, & propter quid veneris.* Quod verbô & exemplô docuit S. Bernardus, utpote qui teſte Surio *lib. 1. Vitæ. c. 4.* ſemper in corde, & ſæpe in ore habuit: *Bernarde! Bernarde! ad quid veniſti?* Ad quorum exemplum etiam quivis Religioſus mente, vel ore ſæpe debet ſeipſum interrogare: *Ad quid veniſti?* Nonne folùm, ſeu præcipuè, ut abjectîs impedimentîs & periculîs ſoli DEO ex amore erga eundem perfectè ſervires? Nonne &c. Ergo ſi ſolummodo ob hunc finem veniſti, ad hunc ſolum tendere, eíque ſoli intendere de-

debes, nisi in statu violento, semperque desolatus esse velis. Sicut enim nulla creatura quiescit, sed semper in statu violento est, & vim patitur, nisi in suo, ad quem creata est, existat fine & centro, aut nisi pergat, & tendat ad illum; ùt videre est in levibus, quorum finis & centrum est, esse sursum, ac pergere illuc: & in gravibus, quorum finis & centrum à Creatore determinatum est, esse deorsum, & pergere illuc: ac propterea in statu violento & inquieto existunt, adversámque naturæ vim patiuntur, si levia sursum, & gravia deorsum tendere impediantur, vel retardentur; sic etiam creatura rationalis, homo videlicet nunquam quietus, vel verè consolatus erit, sed semper in statu quasi violento desolatus erit, nisi in suo solo, ad quem à DEO creatus est, existat fine & centro, vel ad illud tendat: quod est, soli DEO perfectè servire, eóque perpetuò frui.

72. Unde etsi de quovis homine, specialiter tamen de Religiosis verificatur illud bene imprimendum, & sæpe repetendum S. Augustini *L. 1. Conf. cap. 1.* dictum: *Domine creâsti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.* Ob quod plenus consolatione exclamavit David *Psal. 72. v. 25. & 26.* (& cum ipso sæpe deberet Religiosus) *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum, DEUS cordis mei, & pars mea, DEUS, in æternum.*

73. II. Observare debet, ut non tantùm bona proposita ad finem tendendi concipere, sed etiam media ad eundem finem acquirendum conducentia & necessaria perquirere, cognita arripere, & sinè ulla cunctatione manum operi admovere, sícque bona proposita, & desideria, prima quavis occasione executioni mandare studeat; quia sinè mediis impossibile est venire ad finem. Hinc qui sinè mediis & usu eorum ad finem pervenire proponunt, cum DEO, quantum est in ipsis, tantùm ludunt, eúmque irrident: Verùm, *Nolite errare, DEUS non irridetur,* seriò monet S. Paulus *ad Galat. 6 v. 7.*

74. Nec sufficit curam de mediis, & propositum de usu illorum habere, nisi etiam bonum hoc propositum executioni quis mandet, &, ùt dictum, primâ habitâ occasione manum operi il-

lico admoveat; tum quia fervor boni desiderii cunctandô languescit, & gratia divina priùs habita diffluit: præsertim quia juxta tritum illud S. Ambrosii *L. 2. in Lucam. Nescit tarda molimina Spiritûs S. gratia.* tum quia latet, num DEUS, & quale tempus, occasionem, & gratiam adhuc concedat; Unde *hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: Psal. 94. v. 8.* Et: *Dum tempus habemus, operemur bonum. ad Galat. 6. v. 10.*

75. Illud etiam quivis Religiosus vitæ mixtæ circa finem suum in praxi observare debet, quòd, cùm Religionis suæ finis particularis sit, non tantùm propriam, sed etiam proximorum salutem propter DEUM quærere, & procurare, talis graviter erret, & fini Religionis suæ minimè satisfaciat, consequenter coram DEO multùm reus existat, si non juxta talenta, & dona à DEO sibi collata pro viribus laboret, & conetur, ut habilem, debitè qualificatum, & capacem se reddat, fructuosè procurandi salutem proximorum, eósque in quovis animæ negotio juvandi, instruendi, consolandi &c. Item nisi debitè jam qualificatus, & habilis effectus, salutem proximorum in actu, & in opere procurare, ubi potest, satagat.

76. Errant proin, & coram DEO minimè securi existunt Religiosi vitæ mixtæ, *primò,* qui in studio litterarum negligentes, ac remissi sunt, debitúmque conatum, & diligentiam in acquirenda scientia Scholastica, præsertim Theologica non adhibent; quia sinè hac scientia profectus animarum nec securè, nec solidè, nec fructuosè procurari valet. Et quoniam scientia Theologica sinè Philosophica perfectè haberi nequit, culpabiles quoque existunt, & fini Religionis non satisfaciunt illi, qui in perfectè adipiscenda etiam hac scientia debitam diligentiam, & conatum juxta talenta, & vires à DEO datas, non adhibent.

77. Errant *secundò,* qui solâ scientiâ litterarum Philosophicâ, & Theologicâ contenti, post absoluta studia per lectionem, & relectionem materiarum hujus Tractatûs, aut aliorum librorum spiritualium, annotationémque lectorum, scientiam Asceticam acquirere, & firmare pro viribus non satagunt, aut in ea acqui-ren-

renda negligentes, remissi, & minùs soliciti existunt; quia ad perfectè procurandam proximi salutem scientia litterarum sinè scientia Ascetica minimè sufficit: cùm impossibile sit, quòd quis per motiva efficacia à vitiis ad virtutes, ac perfectionem Christianam persuadere, aut per principia, regulas, & media convenientia à via perditionis ad viam salutis reducere, ac in semita virtutis & perfectionis securè alios deducere valeat, qui harum ignorantiâ ipsemet laborat, aut illorum notitiâ obiter tantùm, & leviter tinctus est. De talibus, qui absque scientia necessaria, sive Theologica, sive Ascetica salutem proximorum procurare attentant, dicit Christus *Matth. 15. v. 14. Cæci sunt, & duces cæcorum; cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Et *Luc. 6. v. 39. Nunquid potest cæcus cæcum ducere, nonne ambo in foveam cadunt?* Et sanè immensum quasi, & indicibile est præjudicium ac damnum, quod ex defectu necessariæ scientiæ tam Asceticæ, quàm Theologicæ patitur cura animarum: eò quòd ob hunc defectum plurimi salutem proximi vel omnino negligant, vel non nisi remissè, tepidè, & imperfectè procurent, imò subinde plus noceant, & destruant, quàm prosint, & ædificent.

78. Errant *tertiò*, & fini Religionis non satisfaciunt etiam illi, qui sufficienti scientia ornati pro salute proximorum laborare, & scientiam suam applicare sinè sufficienti causa recusant, & negligunt, occasiones in Confessionali vel alibi proximorum salutem procurandi fugiunt, & declinant, aut certè levi brachio, obiter, absque debito animarum zelo & fervore expediunt, soli commoditati propriæ intendentes, aut ex inordinato affectu, & voluntate propria ad alia properantes.

79. Errant contra præfatum Religionis finem specialiter *quartò*, qui non semper, & ubique proximis prælucere student bonô exemplô; tum quia ad salutem proximi procurandam remedium omnium efficacissimum est bonum exemplum, eóque longè plures, longéque certiùs, & securiùs convertuntur homines, quàm doctrinâ: imò hæc sinè bono exemplo plerumque parùm, aut nihil prodest; *Malunt homines exempla, quàm verba,*

 inquit

inquit Lactantius *lib. 4. de vera Sapient.* nam *citò ſedet animus, quod docetur exemplis,* ait S. Valerianus *Hom. 13.* & ſecundùm S. Chryſoſtomum *Hom. 12. in Geneſin. Multò fidelior & certior doctrina operum, quàm ſermonum; nam qui talis eſt, etiam ſilens, & cùm non videtur, docere poteſt: & alios quidem, qui eum vident, alios verò, qui de eo audiunt, & multâ fruetur DEI gratiâ non ſolùm propter ſe, ſed & propter alios, qui eum vident, & incitantur, ut glorificent Dominum ſuum. Talis per mille linguas, & multò plures, gratias & laudes referet DEO.*

§. II.

De Excellentia, & Præſtantia, Utilitate, & Felicitate Statûs Religioſi, conſequenter & Religioſorum.

80. Quandoquidem ex fine rerum plurimùm deſumitur excellentia, & conditio earum, ideo recto ordine poſt finem Statûs Religioſi, & Religioſorum declaratur Excellentia, ac Præſtantia eorum. Quoniam verò hæc tanta, & tam ampla eſt, ut integrô etiam Tomô ſatis exprimi non valeret, pauca duntaxat de illa hìc communicantur tibi, Religioſe Juvenis; tum ut exinde ingens DEI beneficium, quod tibi contulit vocandô te, & juvandô ad S. Religionem, dignè æſtimare, & pro eodem gratus exiſtere diſcas: tum etiam, ut inde majorem tuam obligationem erga DEUM agnoſcens, magìs ei ſervire, magíſque eundem amare ſtudeas.

81. Quæritur I. Quanta ſit, & in quo conſiſtat Excellentia, & Præſtantia Statûs Religioſi? Reſp. Eam eſſe tantam, ut Status Religioſus ſit excellentior, & perfectior quovis alio ſtatu. Eſt communis, & certa doctrina Theologorum, ac SS. Patrum; faciléque probatur: quia ille ſtatus eſt excellentior, & perfectior, qui ex natura ſua habet excellentiorem finem & objectum, melioráque media, & perfectiora tendendi ad illum; atqui Status Religioſus ex natura ſua habet excellentiorem finem, & objectum, ſimúlque media meliora & perfectiora tendendi

ad

ad illum, quàm quivis alius status; ergo est excellentior & perfectior quovis alio statu. *Major* caret controversiâ. *Minor* probatur; quia, uti patet ex dictis, finis primarius, & principalis Statûs Religiosi est, DEUM perfectè amare, & ex amore illius eidem perfectè servire, illúmque laudare, & honorare, qui finis omnium perfectissimus est, utpote propter quem omnis creatura rationalis primariò à DEO creata, ita ut nec B. V. Maria, nec Angeli alium habuerint, vel habeant finem. Altera pars, *Minoris* videlicet, quòd per meliora, & perfectiora media tendat ad hunc finem, patet partim ex dictis, partim ex mox dicendis; itaque

82. Probatur Responsio ulterius. Ille status hominum est perfectior, qui ex natura, & essentia sua perfectiùs, & per media præstantiora tendit ad finem, ad quem à DEO creati sumus; sed hoc facit Status Religiosus: ergo. *Major* est extra controversiam: *Minor* probatur; quia juxta omnes Theologos tria Vota *Obedientiæ*, *Paupertatis*, & *Castitatis* sunt de essentia cujusvis Religionis, ita, ut Religio non sit, quæ hæc tria Vota non habet. Tria autem hæc Vota sunt media ad memoratum finem perveniendi omnium præstantissima, utpote per quæ omnium maximè, & efficacissimè tolluntur impedimenta, & obstacula tendendi ad dictum finem; ergo.

83. Siquidem quæ hominem à fine suo, à virtute, & perfectione maximè impediunt, & retrahunt, sunt I. Divitiæ, eísque annexi honores, & dignitates, atque solicitudo pro eis. II. Voluptates carnales, & corporales. III. Propria voluntas juxta dicta supra §. *1. à num. 7.* Hæc autem tolluntur per sæpe dicta tria Vota.

84. *Primò* enim pericula, & impedimenta, quæ ex divitiis, vel cura earum consurgunt, tolluntur per Votum *Paupertatis*. Hoc ipso namque, quòd quis per hoc votum renuntiet omnibus rebus temporalibus, & seipsum perpetuò voluntariè spoliet omni proprietate, & dominio ad eas, liberat se etiam à quovis impedimento, & malo affectu possessionem divitiarum & rerum temporalium afficiente, immunísque evadit à maximè nociva cura, & solicitudine earum.

 Nam

Nam Paupertas, ùt rectè dicit S. Climacus *grad. 16. Curarum est depositio, securitas vitæ, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides, seu fidelis observatio.* Et juxta S. Ambrosium *Lib. 2. Offic. cap. 4.* Ut rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum, ita horum abnegatio genitrix est, nutrixque omnium virtutum. Hinc præstantiam, imò necessitatem hujus medii ad acquirendam perfectionem, & finem nostrum manifestans Christus ait *Matth. cap. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.* Siquidem, *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet* (inquit idem Christus *Luc. 14. v. 33.*) *non potest meus esse discipulus.* Plura de Præstantia, & necessitate hujus medii, *Paupertatis* videlicet, infra *in Parte posteriore*, ubi specialiter agetur *de Paupertate.*

85. Pariter tollit Paupertas obstacula, & impedimenta ex mundano honore, ac dignitate, curáque, ac ambitione eorum provenientia; Paupertas siquidem *fomentum est humilitatis* teste S. Bernardo *Serm. 1. in Festo Om. SS.* pauperíque proprium est, contemni, negligi, aliis subesse, & subjici, honore, & dignitate carere, adeò, ut horum ambitio in paupere superbia foret intolerabilis, & DEO maximè exosa, prout testatur Spiritus Sanct. *Eccles. 25. v. 4.* ubi inter tria, quæ specialiter coram DEO abominabilia sunt, primò statim ponit *pauperem superbum.*

86. *Secundò*, copiosa impedimenta, & obstacula virtutis ac perfectionis, quæ partim ex illicitis voluptatibus carnis, partim ex dura servitute Matrimonii, eíque annexis perpetuis curis, & solicitudinibus pro familiæ sustentatione, prolium educatione, & studio placendi uxori proveniunt, tolluntur per Votum *Castitatis*: sicut enim, *qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. ad Cor. 1. cap. 7. v. 33.* sic, *qui sinè uxore est, solicitus est, quomodo placeat DEO*, ùt ibid. *v. 32.* advertit Apostolus, & ideo omnibus *Castitatem* suadet. „ O Castitas! (exclamat S. Ephrem *tom. 1. de Castitate.*) „ quæ cor possidentis te „ lætificas, & animæ ad cœlestia „ alas adjungis: ô Castitas! quæ „ passiones minuis, & animum à „ perturbationibus liberas: ô „ Ca-

„ Castitas! quæ justos illuminas, „ & diabolo tenebras offundis: „ ô Castitas! . currus spiritalis „ possessorem suum in sublime „ evehens: ô Castitas! quæ ro„ sæ instar in medio animæ & „ corporis flores, universámque „ domum odoris fragrantiâ reples. De qua virtute, & præstantia specialiter quoque infra.

87. *Tertiò*, impedimenta, & obstacula virtutum, & perfectionis, quæ causat proprium judicium, & voluntas, perfectè tolluntur per Votum *Obedientiæ*, utpote vi cujus in Religione voluntas, & judicium proprium plenè abnegatur, & mortificatur, dum semper, & ubique illud solum, & taliter agi debet, quod, & qualiter vult Superior, quantumvis voluntati, inclinationi, & opinioni propriæ adversetur. Ex quo non tantùm innumeri defectus, errores, & peccata impediuntur, sed inexplicabilis fructus, & meritum, mira tranquillitas, & securitas continuò, & incessanter sequuntur: prout ampliùs dicetur infra *de Virtute Obedientiæ*.

88. Probatur insuper, quòd Status Religiosus sit perfectior quovis alio; quia videlicet est magìs conformis doctrinæ, ac vitæ Christi, & Apostolorum. Christi siquidem vita est exemplum, & norma omnis perfectionis, adeò ut Pater cœlestis summam in eo complacentiam habens unicè velit, ut ipsum audiamus, & sequamur, juxta illud *Matth. 17. v. 5.* ubi vox Patris de cœlo intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Unde de semetipso etiam Christus testatur *Joan. 8. v. 12. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Et iterum *Joan. 14. v. 6. Ego sum via, & veritas, & vita:* quem propterea Apostoli omnes sunt secuti, & ut alii quoque sequantur, verbô, & exemplô sunt hortati; ut proin eò perfectior sit status alicujus, & modus vivendi, quò magìs est conformis vitæ, ac doctrinæ Christi, & Apostolorum: atqui Status Religiosus, & Religiosorum modus vivendi est magìs conformis vitæ, doctrinæque Christi, & Apostolorum, quàm quivis alius, cùm omnes Apostoli, qui eundem cum Christo tenuerunt modum vivendi, fuerint veri Religiosi habentes, & servantes essentialia Vota Obe-

Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, ut cum aliis docent S. Chrysost. *Lib. 3. contra Monast. vitæ vituperat.* S. Hieronymus *in Libro contra Jovinianum*, & Hyacinthus Donatus *Tom. 4. tr. 1. q. 8.* allegans D. Thomam.

89. Et ex his facilè patet Responsio ad alteram partem Quæstionis *num. 81.* positam, in quonam scilicet consistat excellentia, & præstantia Statûs Religiosi: consistit nempe principaliter in hoc, quòd ex natura, atque essentia sua removeat pericula, impedimenta, & obstacula DEO debitè serviendi, ac econtra efficacissima præbeat, ac subministret media tendendi, ac perveniendi ad dictum finem: ac insuper secundùm naturam, & essentiam suam sit magis conformis perfectissimæ vitæ, ac doctrinæ Christi, & Apostolorum, consequenter sit securissima, ac regia via ad DEUM.

90. Hinc licèt etiam sæcularis homo ad eundem quoque creatus sit finem, tamen quia status illius, in quo existit, ex natura sua principaliter non tendit, nec ordinatus est ad hunc finem, nec ex natura sua impedimenta removet, sed potiùs causat, neque media affert, sed potiùs tollit, & aufert, ideo status ejus longè imperfectior est, quàm Status Religiosus.

91. Quæritur II. Quanta sit, & in quo consistat utilitas, & felicitas Statûs Religiosi? Resp. eam non solùm esse majorem quovis statu alio, sed revera summam, & inexplicabilem, tam respectu ipsorum Religiosorum, quàm respectu totius mundi. Et quidem respectu assumentium eum, seu ipsorum Religiosorum est tanta, ut nisi DEUS eam ob conservationem totius universi absconderet, omnes Religiosum Statum assumerent, & Religiosi fierent, prout bene advertit S. Laurentius Justinianus *c. 9. in vita*, illis verbis: *Consultò DEUS gratiam Religionis hominibus occultavit, ne si cognosceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent*, idque ob plurimas causas, quarum aliquas breviter hìc adducimus.

Status itaque Religiosus summam utilitatem, & felicitatem præstat assumentibus eum, seu ipsis Religiosis; quia juxta hucusque dicta

92. *Primò* ex natura sua, & fine suo principali ducit eum directè ad finem, ad quem est creatus, & in

& in quo vera, & æterna felicitas consistit.

93. *Secundò.* Quia itidem ex natura, & essentia sua, per tria Vota, videlicet Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis tollit, & aufert gravissima impedimenta, & obstacula perveniendi ad finem nostrum.

94. *Tertiò.* Quia ex natura sua liberat à principalibus, iisque gravissimis, & innumeris periculis peccandi, & aberrandi à via ducente nos ad finem nostrum, & veram felicitatem æternam.

95. *Quartò.* Quia ex sua natura liberat Religiosum ab omni penitus cura, & solicitudine terrenorum, liberúmque, & expeditum reddit, quòd soli DEO, & saluti suæ vacare, suúmque ad finem securè pervenire valeat: adeò, ut meritò dicat S. Bernardus *Serm. 46. in Cant.* *In Ecclesia lectum, in quo quiescitur, Claustra existimo esse, & Monasteria, in quibus quietè vivitur à curis sæculi & solicitudinibus vitæ.*

96. *Quintò.* Quia est perfectissima, & securissima pœnitentia pro peccatis.

97. *Sextò.* Quia æquiparatur, & æquivalet *Baptismo*; dum æquè, ac iste plenè confert remissionem pœnæ omnium peccatorum tam mortalium, quàm venialium quoad culpam jam remissorum; prout communiter docent SS. Patres, apud D. Thomam *2. 2. quæst. 189. a. 3. ad 3.* & propterea Professionem Religiosam alterum *Baptismum* nominant.

98. *Septimò.* Quia æquiparatur, & æquivalet *Martyrio* ob multas causas, quas affert Lancicius *Tom. 1. Opusc. 1. cap. 4.* quod etiam absolutè affirmat S. Theresia illis verbis: *Vita boni Religiosi est continuum Martyrium.* Hi enim propter DEUM, & virtutem seipsos, suásque passiones inordinatas, propriam voluntatem, sensus, & rebellem carnem continuò persequuntur, cruciant, & mortificant, sícque longè gratissimos, & constantes Martyres se DEO exhibent.

99. *Octavò.* Utilis est Religio propter societatem bonorum, & bonum eorum exemplum; sicut enim mala societas, malúmque exemplum plurimùm nocet, & gravissima causa salutis pericula, ita bona societas, bonúmque exemplum plurimùm prodest ad salutem.

Adde, quod de utilitate Societatis bonæ testatur Scriptura *Psalm. 17. v. 26. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris.* Nam, qui sancto adhæret, ex ejus assiduitate, & usu locutionis exempla operis accipit, ut accendatur in amore veritatis: ex Sanctorum etenim gestis (ait S. Basilius *Hom. de S. Gordio M.*) *sicut ex igne naturaliter emicat splendor, ex unguento quoque præstanti diffunditur odor, sic ad omnes provenit utilitas.* Idem confirmat S. Damascenus *Parall. lib. 1. cap. 95.* hîs verbîs: *Quemadmodum fragrantia unguenta propinquum aërem suavitate sua perfundunt, sic etiam probi viri præsentia iis, qui propiùs cum eo versantur, emolumentum affert.* Et, ùt scribit Discipul. *serm. 56. lit. A. Sicut carbo frigidus accenditur ex adjunctione cum aliis ardentibus, ita & tepidi ex adjunctione ferventium calescunt.* Bene etiam ad propositum felicitatem Statûs Religiosi ex bonorum societate commendat Tho. de Kemp. *Part. 1. serm. 2. ad Nov.* illîs verbîs: „Ibi quis alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur; istius obedientiâ movetur; ibi invenit, quos timet; ibi habet, quos diligit, & sic ex omnibus proficit, ibi alterius correptio fit ejus admonitio; ibi alienum periculum proprium efficitur speculum.

100. *Nonò.* Quia in Religione plurima alia adhuc, & efficacissima habentur auxilia, & media ad virtutem, & perfectionem assequendam, & vitia declinanda: v. g. quotidianæ meditationes, continua laus Divina, & Orationes vocales ab Ecclesia, vel Ordine præscriptæ, indéque efficacissimæ, frequentatio Sacramentorum, Examen generale, ac particulare, Lectio spiritualis, Exercitia spiritualia suîs temporibûs fieri solita, Communicatio bonorum operum, & orationum cum aliis, copiosæ, & quasi continuæ Indulgentiæ, Statuta, Ordinationes, Regulæ, & Principia Ordinis, Directio, & Correctio Superiorum &c.

101. *Decimò.* Ter felicem Religiosum reddit continua ferè in omnibus Obedientia. Ex obedientia enim Religiosus comedit, & bibit: ex obedientia dormit, & vigilat: ex obedientia meditatur, & orat: ex obedientia sacrificat: ex obedientia studet,

det, & legit: ex obedientia egreditur, & manet in Monasterio: ex obedientia est in certo loco: ex obedientia fungitur certô officiô: verbô: ex obedientia cuncta agit, & omittit, vel saltem facere, & omittere, atque ad obedientiam cuncta redigere potest. Ex quo sequitur, quòd, quia obedientia cum Divina voluntate est eadem, Religiosus semper, & in omnibus certus, & securus sit, quòd DEI voluntatem faciat, eique placeat; proinde cuncta illi meritoria obediendô existant, ipséque securè semper incedat, & nunquam errare valeat. Ex cujus consideratione inexplicabilis quies, & tranquillitas animi, gaudium, & lætitia spiritûs consurgit; ùt magis infra *in Parte posteriore de Obedientia* dicetur.

102. *Undecimò.* Felicem facit Religiosum Christus, qui eum assecurat, & certum reddit de æterna Beatitudine (si statum suum rectè observat) ùt patet ex D. promisso *Matth. 19. v. 29. Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

103. *Duodecimò.* Quia DEUS Religiosis etiam temporalia, cibum nempe, & potum, vestitum, & habitationem, aliáque vitæ necessaria, juxta cujusvis status exigentiam providentissimè, ac largissimè semper, & ubique mirabiliter tribuit, ita, ut absque omni inordinata cura, & solicitudine illa habendi, vel acquirendi, soli DEO, animæque saluti liberè, ac sinè impedimento vacare, atque intendere valeant, unicam, eámque dulcissimam, jucundissimam, & quietam habentes curam, quo modo DEO perfectè servire, suámque, & (quorum status exigit) aliorum salutem procurare queant.

104. Nimiùm excresceret materia, si adduceremus insuper ea, quæ de utilitate, & felicitate Statûs Religiosi consolatoriè scribunt SS. Patres. Sufficiat notum illud S. Bernardi *Hom. super Verb. Dom. Simile est.* „ Quæ est „ ista quæso tam pretiosa margarita, pro qua universa dare „ debemus, ut possimus eam habere? Nonne hæc Religio sancta? in qua homo vivit puriùs, „ cadit rariùs, surgit velociùs, „ incedit cautiùs, irrigatur frequen-

„ quentiùs, quiescit securiùs, moritur fiduciùs, purgatur citiùs, „ præmiatur copiosiùs.

105. Præter utilitatem, & felicitatem, quam ipsis Religiosis affert Status Religiosus, affert etiam summam utilitatem toti Ecclesiæ, imò universo Orbi, ac præcipuè locis, in quibus Religiosi habitant. Quare Christus ad S. Thereſiam dixit: *Væ mundo, si Religiosi non essent.* Ribad. *l. 1. c. 12. in vita.*

106. Quæritur III. Quænam inter sacras Religiones sit perfectior? Ante Responsionem notandum, Religionem ùt sic præcipuè dividi in Activam, Contemplativam, & Mixtam. *Activa est*, quæ præter observationem trium Votorum essentialium, ex fine particulari, & primæva sua institutione specialiter, ac principaliter ordinatur ad vitam activam, opera nempe spiritualia, vel etiam corporalia misericordiæ, & charitatis erga proximum, quibûs DEO placere, & servire specialiter intendit.

107. *Contemplativa est*, quæ ex fine suo particulari, & primævo instituto ordinatur ad vitam solitariam, & contemplativam, ac potissimùm se exercet in contemplatione rerum Divinarum, qua ad DEI cognitionem, & amorem venire intendit, propriásque suorum alumnorum animas quærit. Cujusmodi Religio ex primævo suo instituto est Carthusianorum, vel aliorum, præcisè Monachatum profitentium.

108. *Religio Mixta* est, quæ de utraque participat, utpote ex particulari suo fine, & primæva institutione ordinata ad vitam Mixtam, id est, tam ad Contemplativam, quàm Activam, exercens se, & DEO serviens, partim contemplandô, & meditandô, partim actus, ac opera charitatis, & misericordiæ præsertim spiritualia exercendô v. g. concionandô, ægrotos, afflictos, & captivos visitandô, ac consolandô, ignorantes instruendô; Confessiones excipiendô &c. Cujusmodi Religio est S. Dominici, Religio Societatis JESU, Religio nostra Seraphica, & aliæ &c. Hoc prænotato

109. Resp. I. Certum est, & ab omnibus concessum, quòd Religio Contemplativa sit perfectior, quàm Activa. Hanc respon-

sponsionem fusè probant tam SS. Patres, quàm Theologi, & Canonistæ *Tit. de Regular.* Nobis sufficiant verba Christi, quibûs vitam Contemplativam Mariæ præferens laboribus, & vitæ activæ Marthæ dixit: *Maria optimam partem elegit. Luc. 10. v. ult.*

110. Resp. II. Religio Mixta est perfectior, quàm Contemplativa, consequenter etiam perfectior, quàm Activa. Ita rursus Communis SS. Patrum, Theologorum, & Canonistarum. Probatur ex doctrina, & exemplo Christi, utpote non tantùm verbô docentis, sed etiam opere exercentis vitam Mixtam; nocte enim (Evangelio teste) ascendit in montem solus orare, consequenter exercere vitam Contemplativam: de die autem erat docens in templo, & exercens varios actus misericordiæ, & charitatis erga proximum, seu ducens vitam Activam, docendô, instruendô, concionandô &c. consequenter partim Contemplativam, partim Activam, sicque Mixtam.

111. Cæterùm, quæ nominatim, & in specie inter Mixtas, aut universaliter inter omnes Religiones sit perfectior, quæstio quodammodo censetur odiosa, cùm omnes comparationes sint odiosæ. Responderi tamen potest genericè, & quidem inprimis: omnes Religiones esse bonas, posséque quemlibet in sua, ad quam vocatus est, Religione supranominata felicitate Statûs Religiosi frui, DEOque, si velit, perfectè servire, & facilè salvus fieri. Hinc pro singulari principio firmiter, & semper juxta saluberrimam instructionem nostri P. Bonavent. Dernoye *in Medulla S. Evangel.* observandum, ne quis ullam Religionem, vel Religiosos cujuscunque demum Ordinis vilipendat, vel de eis minùs honorificè discurrat, vel in cathedra comparationes odiosas instituat. Responderi etiam potest ulteriùs, illam esse perfectiorem Religionem, in qua Constitutiones, Regulæ, ac Statuta illius perfectiùs, & exactiùs observantur, cunctáque sic ordinata, ac disposita inveniuntur, ut Religiosi in illa DEO ordinariè perfectiùs serviant, verbô & exemplô mundum magìs ædificent, & proximorum saluti magìs prosint. Verùm magìs specificè loquendô,

112. Resp. III. Inter ipsas etiam Religiones Mixtas apud P. Reiffenstuel *Lib. 3. Decret. Tit. 31. n. 65.* saltem quoad substantialia Status Religiosi, & quoad majorem Votorum rigorem (citra ullum tamen cujuscunque S. Religionis præjudicium) perfectior videtur Religio Seraphica Sancti Francisci, Regulam in sua puritate & litera, juxta primævam suam institutionem observans. Hanc Responsionem nulla Religio ægrè feret, si sequens argumentum, & probationem legere dignabitur.

113. Illa Religio est perfectior aliis, quæ in perfectiori gradu observanda præscribit essentialia, seu substantialia Religionis, tria videlicet Vota Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis, magísque conformis est vitæ, ac doctrinæ Christi, & Apostolorum; atqui talis est Religio Seraphica: ergo. *Major* est extra controversiam, & à nullo negari potest. Cùm enim juxta omnes essentia cujusvis Religionis consistat in præfatis tribus Votis, utique quoad essentiam, & substantiam illa Religio erit perfectior, quæ memoratas tres partes essentiales, consequenter totam essentiam in perfectiori gradu possidet. Et insuper, quia vita, & doctrina Christi est summæ perfectionis perfectissima norma, eámque plùs cæteris imitati sunt Apostoli, procul dubio illa Religio perfectior erit, quæ magìs conformis est vitæ, & doctrinæ Christi, & Apostolorum.

114. *Minor*, videlicet, quòd talis sit Religio Seraphica FF. Minorum Regulam in puritate observantium, probatur. Et quidem, quòd in perfectiori gradu observanda præscribat tria Vota essentialia, inde patet; quia inprimis *Obedientiam* Religio, seu Regula S. Francisci in tam perfecto gradu vovendam, & servandam exigit, ut Frater Minor non tantùm in iis, quæ expressè præscribuntur in Regula, sed etiam in omnibus aliis sinè omni exceptione ad amussim obedire teneatur suo Superiori, nisi præcipiat aliquid, quod est contra DEUM, aut peccaminosum, aut expressè contra ipsam Regulam, utì patet *ex cap. 10. Regulæ.* Ibi: *Præcipio firmiter, ut obediant Ministris* (id est, Superioribus, quos Ministros aliorum S. Pater appellat) *in omnibus, quæ non sunt contraria animæ, & Regulæ nostræ*

nostra. Ut proin illud D. Bernardi locum non habeat in nostra Religione: *Nihil mihi præcipiat Prælatus, quod non vovi:* seu, ùt loquitur *Tract. de præc. & disp. c. 8. Nil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi.*

115. Dein *Castitas* in tanto perfectionis gradu observanda præscribitur, & vovetur, ut non tantùm omnem in- & externam impudicitiam, & quodvis periculum ejus, sed insuper omnem, etsi non malam, sed de se bonam, suspectam tamen conversationem cum mulieribus, vi Regulæ sub gravi peccato vitare, consequenter omnem umbram castitati adversam declinare teneatur quivis hujus Religionis Professus.

116. Tandem, quòd *Paupertatem* in perfectiori gradu observet, nullus est, qui negat; quia eandem non solùm in particulari, sed etiam in communi observandam præscribit, ita, ut non tantùm quivis in particulari, sed etiam quovis jure tota Communitas totius Religionis proprietate omnium rerum careat, penitúsque nihil proprium habeat, aut habere possit, solo contenta rerum simplici usu facti, quod de nulla alia Religione dici potest, cùm quævis saltem in communi proprium habeat, & habere possit, ùt definitum habetur in Concilio Tridentino *Sess. 25. de Regular. cap. 3.*

117. Hinc perfecta, & altissima hæc paupertas est speciale symbolum Religionis nostræ Seraphicæ, eíque specialiter conveniunt mira encomia, & laudes à SS. Patribus *Paupertati* attributa. Ab illa insuper mirabiles, & optatissimi effectus, utilitates, & fructus proveniunt: præsertim felicissima illa libertas, & immunitas à periculis divitiarum, curísque, & solicitudinibus hujus vitæ.

118. Enimvero præter infallibilem assecurationem Evangelicam à Christo Apostolis, & vitam eorum sequentibus factam *Matth. 6. v. 25 & seqq.* cujus verba Evangelio inserta, etsi longiora, dignissima tamen sunt, ut hìc inserantur, & à Fratre Minore sæpiùs considerentur: *Dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quàm esca, & corpus plus, quàm vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt,*

metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magìs pluris estis illis? Et de vestimento quid soliciti estis? considerate lilia agri, quomodo crescunt? non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis: si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, DEUS sic vestit, quantò magìs vos modicæ fidei? Nolite ergo soliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt: scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primùm regnum DEI, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua. Præter præfatam Evangelicam assecurationem, inquam, Christus specialissimè promisit S. Francisco, quòd, si Fratres ejus Regulam observent, eisdem de vitæ necessariis semper providere velit, ídque eò ampliùs, quò magìs Religio, & Fratrum numerus crescet, adeò quidem, ut, etsi totus mundus unicum tantùm panem haberet, dimidium illius vellet Fratribus Religionis hujus Seraphicæ dare, & solum alterum dimidium toti mundo relinquere.

119. Estque profectò hoc Christi promissum Religioni nostræ factum, ultra quinque jam sæcula opere ipso semper, & ubique tam evidenter, & mirabiliter confirmatum, & verificatum, ut revera non nisi impius, ac infidelis Frater Minor in futurum diffidere, aut de futura necessaria sua sustentatione dubitare possit; dummodo cæteroquin Regulam suam observare studeat. Enimverò experientiâ multiplici, & quasi continuâ tot sæculorum constat, quòd quovis etiam gravissimæ famis, pestis, ac belli tempore, ubi innumeri alii etiam aliàs ditissimi, defectu necessariorum vitæ eguerunt, & perierunt, pauperes S. Francisci Alumni securissima sua fundatione, infallibili nempe promisso, & Providentiâ Divinâ semper, & ubique necessaria vitæ mirabiliter, & plerumque ad abundantiam habuerint, adeò, ut inde aliis quoque charitativè sucurrere valuerint. Quod pariter eisdem contigit tempore gravissimarum persecutionum, quæ excitante invido diabolo, &

& permittente ad probationem, & utilitatem nostram Amantissimo DEO sæpe jam contra sacram, & Seraphicam nostram Religionem insurrexerunt, prout ex Wadingo & aliis Chronistis clarissimè patet. Ter mirabilis enim DEUS, qui omnium corda in manu sua habet, & totius Universi Dominus existit, Divini sui promissi memor, aut ipsorum persecutorum animum immutabat, aut aliorum Fidelium corda permovebat, aut mirabili suâ providentiâ rerum circumstantias ita dirigebat, ut doctrinæ, & vitæ suæ fideles pauperésque imitatores semper haberent, unde viverent, & nunquam conqueri, aut dicere possent, se vel semel necessariìs caruisse, aut DEUM promissô suô non stetisse. Revera enim, si, uti olim Apostolos, ita hodie & Apostolorum imitatores interrogaret Christus, *Lucæ 22. v. 35. Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* deberent cum Apostolis veritatem fateri, ac dicere, *Nihil:* & cum Apostolo *2. Corinth. 6. vers. 10. Nihil habentes, & omnia possidentes.*

120. Ex quibus evidenter patet, inanem, & falsam esse quorundam opinionem, quâ putant, Religionem Seraphicam hoc ipso, quòd bonis temporalibûs, annuis redditibûs, & temporali fundatione careat, necessariò esse subjectam plurimis, imò continuis curis, & solicitudinibus, unde, & quomodo vitæ necessaria pro tot Fratribus quotidie emendicare, aut alio Regulæ non contrariô modô habere valeat; præsertim persecutionum, penuriæ, famis, aut belli tempore, quo etiam illi, qui aliàs dederunt, egent, & largiri non ampliùs possunt. Constat enim ex mox dictis, etiam talibûs temporibûs pauperes S. Francisci filios vi promissi, & providentiæ Divinæ infallibilis, tanquam securissimæ fundationis suæ semper habuisse, & infallibiliter etiam habituros in futurum vitæ necessaria sine omni nociva cura, aut solicitudine de his habendis.

121. Pariter maximè erronea est opinio, & judicium eorum, qui sancti Francisci Religionem saltem exinde minùs felicem reputant; quòd Religiosi ejusdem, ob præfatam altissimam paupertatem ferè ab omnibus homini-

bus dependeant, coram quovis ſe humiliare, & ei ſe ſubjicere debeant, minùs etiam honorentur, ac reſpiciantur, imò etiam nonnunquam ab aliquibus vilipendantur, ac contemnantur. Item quòd debeant inſuper continuò timere, & attendere, ne actione etiam juſta hunc, aut illum offendant, néve apud hunc, aut illum gratiâ excidant, conſequenter beneficiîs, & eleemoſynîs deſtituantur. Ex quo etiam ſequi putant, quòd ſæpe tanta libertate loqui, aut agere non audeant, quantam veritas, & juſtitia, zelus, aut ſalus animarum, DEIque honor, & gloria, vel ipſa etiam conſcientia ſubinde requirit.

122. Nam contra eſt, quòd mendicare, coram quovis ſe humiliare, & ab eo quaſi dependere, minùs honorari, aut reſpici, quin & contemni, ſint incommoda, & veræ proprietates paupertatis, actúsque verè pauperibus proprii, qui paupertatem ſummè meritoriam reddunt, conſequenter ejusdem Sectatores minimè infelices, ſed maximè felices efficiunt; non eſt verè pauper, nec paupertatis copioſa percipit merita, qui paupertatis non ſentit incommoda, ut bene advertit ex D. Bernardo S. Bonaventura *in Meditat. vita Christi c. 21.*

123. Neque ullum talem patiuntur inopiæ, aut disgratiæ timorem, qui eos privaret ea libertate, quam DEI gloria, animarum ſalus, juſtitia, aut veritas requirit; præſertim, quia inſuper ſecuri ſunt, quòd, ſi ob juſtitiam, & veritatem, aliámve virtutem unum quantumvis magnum benefactorem offendant, & perdant, Fundator, & Protector eorum Omnipotens, cordáque hominum in manu ſua habens, Ter Optimus DEUS, locò illius plures alios pro ipſis diſponat, aut taliter offenſum brevì immutet, magísque affectum, ac priùs efficiat, aut certè iniquè perſequentem horrendè puniat, brevíque è medio tollat, ad terrorem, & exemplum aliorum: ſicut econtra Ordini addictos temporali, & æterna benedictione repleat; prout ex ſpecialibus Divinis promiſſis, ac minis per tremenda exempla contra perſecutores, & ſummè conſolatoria pro benefactoribus plenè conſtat.

124.

124. Unde etiam tam in Annalibus Ecclesiasticis, quàm Ordinis Chronicis refertur, pauperes S. Francisci Alumnos, extrema eorum paupertate minimè obstante, sed potiùs opitulante, & animante, timorémque omnem pellente, pro DEI gloria, pro animarum salute, & pro totius Ecclesiæ utilitate promovenda, quovis tempore summè ardua, ac difficilia aggressos, maximáque animi libertate (exigente subin necessitate) contra summos etiam Principes, & Magnates processisse.

125. Reddit insuper memorata altissima paupertas eosdem minimè odiosos, quin & acceptos coram toto etiam infideli mundo, omnibûs videntibûs, & considerantibûs, quòd pauperes Religiosi non inhient aliorum bonis temporalibus, nec ea cum aliorum successivo magno præjudicio congregent, vel attrahant; consequenter altiorem finem habeant, puréque DEI gloriam, & animarum salutem quærant, de reliquo naturæ necessariîs, quæ ubique facilè haberi possunt, contenti vivant.

126. Ex quo etiam venit, quòd iidem Sectatores pauperis Francisci, non obstante, sed opitulante eorum summa paupertate, in plerasque vastissimas, & barbaras Infidelium Nationum Regiones in magna copia devenerint, & admissi sint, ibíque prima Fidei Catholicæ fundamenta jecerint. Prout ampliùs patet ex Libello *de Ortu & progressu S. Ord. FF. Min. Anno 1732.* edito.

127. Eadem paupertate propagante evenit, quòd pauperrima S. Francisci Religio, & Ordo major sit, & amplior, quàm quævis alia in toto mundo, etsi plures Religiones aliquot centenîs annîs ante Religionem S. Francisci extiterint. Ex quo Christus toti mundo patenter manifestat, quantùm diligat, juvet, augeat, & conservet eos, qui vitam, & doctrinam Ejus sequuntur, ejusdémque promissioni Evangelicæ, & providentiæ confidunt, ac innituntur.

128. Hinc minimè mirandum, cur S. P. Franciscus, pauperum Patriarcha paupertatem adeò æstimârit, & adamaverit, illámque communiter *Dominam* appellaverit, & mille aliîs encomiîs deprædicaverit, ac eam tanquam pretiosam solicitè custodiendam margaritam, & strictissimè ob-

servandam principalissimè, ac intensissimè suis Fratribus commendaverit, utì inter alia etiam constat ex illis spiritu, fervore, & amore plenis verbis Regulæ *cap.6. Hæc est illa Celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos Fratres meos, hæredes, ac Reges regni cœlorum instituit, pauperes rebûs fecit, virtutibûs sublimavit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viventium, cui dilectissimi Fratres totaliter inhærentes nihil aliud pro Nomine Domini nostri JESU Christi in perpetuum sub cœlo habere velitis.* Verba sanè cordi cujusvis veri Filii tanti Patris altè imprimenda, & pro amore paupertatis sæpe ruminanda.

129. Secunda pars Minoris *num.113.* positæ, videlicet, quòd Seraphica S. Francisci Religio etiam vitæ, & doctrinæ Christi, & Apostolorum magìs conformis videatur, consequenter etiam ex hoc capite quoad substantiam perfectior sit, ex eo satìs dignosci posse videtur, quòd hæc Religio, Christi, & Apostolorum altissimam paupertatem imitetur præ aliis; sicut enim Christus, & Apostoli altissimam paupertatem servantes, nec domos, nec agros, nec vineam, nec prædia, nec annuos redditus, nec quid aliud temporale tanquam proprium possidebant, adeò ut Filius hominis non haberet, ubi caput reclinaret, nudísque pedibus, & unicâ tunicâ contentus cum Apostolis incederet, sic etiam in altissima hac paupertate conformes præ aliis se exhibent pauperes Filii S. Francisci.

130. Pariter in cæteris Religio nostra Seraphica magìs conformis est vitæ, ac doctrinæ Christi, & Apostolorum: vita siquidem, & doctrina Christi, & Apostolorum continetur in Evangelio: Religio autem, Regula, & vita Fratrum Minorum aliud non est, quàm dictum Evangelium observare; consequenter vitam, ac doctrinam Christi, & Apostolorum perfectè imitari, utì in compendio clarè patet statim ex primis verbis S. Regulæ *cap.1.* ita incipientis; *Regula, & Vita Fratrum Minorum hæc est: scilicet Domini nostri JESU Christi Evangelium observare.* Et ex Testamento S. Patris, ubi dicit: *Ipse Altissimus revelavit mihi, quòd ego deberem secundùm formam S. Evangelii vivere.*

131. Idem quoque de S. Francisci Regula, & Religione etiam sen-

ſenſerunt Chriſti in Terris Vicarii, Summi Pontifices, eámque propterea contra quoscunque contradictores, detractores, & perſecutores potentiſſimè, ac juſtiſſimè ſemper defenderunt, plurimîs, iísque maximîs privilegiîs, & favoribûs decorârunt, ac ſummîs laudibûs extulerunt, eásque etiam publico Juri communi Canonico inſeruerunt, uti videre eſt *c. Exiit. de V. S. in 6.* ubi inter alia S. Religionis, & Regulæ noſtræ encomia ita loquitur Nicolaus III. „ Hi ſunt illius S. „ Regulæ Profeſſores, quæ Evan- „ gelicô fundatur eloquiô, vitæ „ Chriſti roboratur exemplô, „ Fundatoris militantis Eccleſiæ, „ Apoſtolorum ejus ſermoni- „ bûs, actibúsque firmatur. Hæc „ eſt apud DEUM, & Patrem „ munda & immaculata Religio, „ quæ deſcendens à Patre lumi- „ num, per ejus Filium exem- „ plariter, & verbaliter Apoſto- „ lis tradita, & dein per Spiritum „ Sanctum Beato Franciſco, & „ eum ſequentibus inſpirata, to- „ tius in ſe quaſi continet teſti- „ monium Trinitatis. Hæc eſt, „ cui (atteſtante Paulo Apoſto- „ lo) nemo de cætero debet eſ- „ ſe moleſtus, quam Chriſtus „ Stigmatibus ſuæ Paſſionis con- „ firmavit, volens Inſtitutorem „ ipſius, Paſſionis ſuæ ſignîs no- „ tabiliter inſigniri. Quid poſſet plus, & efficacius dici ad probandam conformitatem Religionis, & Regulæ noſtræ Seraphicæ cum vita, & exemplo Chriſti, & Apoſtolorum, indéque emergentem ſummam ejus perfectionem, quàm quod Oraculum Pontificium Chriſti Vicarius ipſe protulit?

132. Accedit ulterius, & ſanctam hanc Religionem præ cæteris adhuc magìs commendat, quòd Regula illius non ab homine fuerit inventa, ſed ab ipſo Chriſto de verbo ad verbum S. Franciſco dictata, prout ipſe Chriſtus S. Birgittæ revelavit illîs verbîs *lib. 7. Revel. cap. 20. Iſtius Franciſci Regula, quam ipſe incepit, non fuit dictata, & compoſita ab ipſius humano intellectu, ſed à me ſecundùm meam voluntatem; quodlibet enim verbum, quod in ea ſcriptum eſt, à Spiritu meo fuit ſibi aſpiratum.* Idem alia vice præſentibûs, & audientibûs Generali Eliâ, ac pluribûs Ordinis Superioribûs clara, ac ſenſibili voce teſtatus eſt Chriſtus, dum S. Franciſcum ob Fratres de nimio S. Regulæ rigore

querulantes, aliquatenus tristem, & afflictum sequentibûs increpavit verbîs: „ Homuncio, „ quid turbaris, quasi tuum opus „ esset? Túne Legislator? túne „ hujus vitæ præceptor? nonne „ hæ tabulæ à me formatæ? tu „ duntaxat tenue hujus operis „ instrumentum, & calamus scribentis. Novi ego, quid dictaverim, novi, quid velim „ præcipere: vires humanæ sunt „ mihi compertæ: scio, quid „ possint, & quid ego valeo, & „ volo præstare subsidium: volo proinde, ut Regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, „ sine glossa, sine glossa. Ita verba Christi clarè, distinctè, & sensibiliter audientibûs, non tantùm ipso S. Patre Francisco, sed etiam Generali Eliâ, plurimísque Ordinis Superioribûs, tunc actu præsentibûs; ad quos proin se convertens Sanctus Pater trina vice dixit: *Audistis? audistis? audistis?*

133. Tandem præter plura alia specialis prærogativæ, & perfectionis signa de S. Religione nostra etiam illud non immeritò hìc pro coronide est adducendum, quòd DEUS revelaverit, Religionem S. Francisci pro Ecclesiæ Catholicæ emolumento, & auxilio duraturam usque ad finem mundi. Ita Sannig. *de Regul.* Wadingus, Sedulius, & Ordinis Chronica.



CAPUT III.

De Peccato mortali.

1.

COgnito fine, ob quem Religionem ingressi estis, vel saltem in ea manere cogitatis charissimi, videlicet, ut DEO ex amore ejusdem perfectè servire, & ad veram perfectionem, finémque creationis vestræ pervenire valeatis: jam manus operi admovenda, & præprimis videndum est, quid ante omnia requirat à vo-

vobis Amandissimus DEUS, ac Dominus noster, cui soli per totam vitam perfectè servire resolvistis; cùm juxta dicta, & adhuc magìs dicenda, perfectè ei servire aliud non sit, quàm ex amore erga illum voluntatem ejusdem in omnibus perfectè exequi, & pati.

2. Quid autem ante omnia à servis suis desideret DEUS, clarè indicat Spiritus S. *Psalm. 36. v. 27.* illìs verbìs: ***Declina à malo, & fac bonum.*** Priùs, & ante omnia declina à malo, seu à peccato, id est, extingue, & dele peccata jam commissa, eáque imposterum vita, declina, time, horre, & *quasi à facie colubri fuge peccata, Eccles. 21. v. 2.* postea *fac Bonum*, id est, opera bona exerce, & virtutes implanta, postquam videlicet animam à quovis peccato purgaveris, illúdque tanquam omnium malorum extremum, & pessimum, omniúmque maximè abominabile malum cognoscere, & reputare, consequenter plus quàm quodvis aliud malum totius Universi timere, horrere, odio habere, & fugere didiceris, simúlque potiùs omne malum aliud sustinere, aut incurrere, quàm peccatum aliquod voluntariè committere efficacissimè, & firmissimè concluseris.

3. Ratio inter alias est: tum quia nihil à fine nostro ita nos impedit, & removet, ac peccata: tum quia juxta infra dicenda nullus actus, nullus labor, nullum opus, quantumvis aliàs in se excellens, sanctum, & bonum sit, DEO gratum, ac de condigno meritorium est, quod homo in peccato mortali existens producit; utpote quod non tantùm animam cum cunctis bonis priùs habitis mortificat, sed cuncta etiam bona opera, eo peccato scilicet animæ adhuc inexistente facta mortua reddit, DEIque ex servo, & amico, servum, & mancipium dœmonis, DEIque inimicum efficit; consequenter DEO perfectè servire, & ad finem perfectè pervenire omnium maximè impedit, indéque ante omnia tollendum, & cavendum venit.

4. Nam sicut is, qui vasi alicui pretiosum liquorem infundere desiderat, priùs evacuet, & diligentissimè illud purget, oportet, si fœtida sanie repletum, aut inquinatum conspicit, ne infusio liquoris pretiosi omnino impediatur, aut infusus inficiatur, & de-

& destruatur: sic qui animam Gratiâ, & charitate tanquam pretiosissimo liquore, eámque virtutibûs, & bonîs operibûs ornare, sícque DEO acceptam famulam, & sponsam efficere cupit, priùs eandem à fœtidissima sanie, & scabie peccatorum exactissimè purget, & custodiat, necesse est.

5. Hinc omnes SS. Patres, præsertim D. Bonaventura, suadent, ut volentes DEO perfectè servire, imprimis viam purgativam incedant, id est, ante omnia per veram confessionem animam à peccatis purgare, vitiáque, & malos habitus in ea radicatos extirpare, illáque tanquam omnium maximum malum summè horrere, odio habere, & timere, consequenter eadem imposterum magìs quàm quodvis aliud malum fugere, vitare, & declinare omni conatu, diligentia, & vigilantia nitantur, & studeant. Ut autem horror, timor, & odium peccati magìs concipi, eorum confessio, & vitatio faciliùs & perfectiùs fieri queat, de natura, malitia, remediis, & extirpatione peccatorum, eorúmque confessione perfectè instituenda tractabitur; hinc ponitur

§. I.

De Natura, & Malitia Peccati mortalis.

6. Quæritur I. Quid, & quantæ malitiæ sit peccatum in genere? Resp I. Peccatum *est voluntaria transgressio obligatoria legis, vel mandati à DEO immediatè, vel mediatè positi.* Ita in re communis tam SS. Patrum, quàm Theologorum, quamvìs aliîs verbîs utantur. Placuit hanc definitionem præ aliis dare; quia universalis, solida, & clara, captúque facilis est. Dicitur I. *Voluntaria transgressio*; quia si voluntaria non est, jam hoc ipso peccatum non est, juxta omnes. Unde tritum illud S. Augustini *Lib. 2. de vera Relig. cap. 14. Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.*

7. Dicitur II. *Transgressio obligatoria legis*, tunc enim revera committitur peccatum æquale, quan-

quando lex, seu mandatum Divinum actu violatur, sive dein fiat omittendô, sive agendô, sive verbô, sive cogitatione, sive opere; quovis enim ex his modo, si lex, aut mandatum violatur, peccatum comittitur. Hinc cuncta peccata in genere exprimere volens S. Augustinus *lib. 22. contra Faustum, cap. 27.* ita describit peccatum: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra æternam legem.*

8. Dicitur III. *Obligatoria legis,* ad excludendas è numero peccatorum transgressiones illarum legum, quæ sub peccato, & culpa non obligant; quales sunt nonnullæ leges præcisè directivæ, & consultivæ, ac leges merè pœnales, de quibus magis in Theologia.

9. Dicitur IV. Vel *Mandati*, quia non solius veræ, propriæ, & universalis legis, sed etiam particularis præcepti à Superiore v. g. injuncti (quæ propriè lex non est) transgressio, seu violatio peccatum est.

10. Dicitur V. *à DEO immediatè, vel mediatè positi:* sunt enim leges quædam, & mandata immediatè ab ipso DEO posita, uti v. g. leges, & præcepta Decalogi. Et sunt aliquæ mediatè à DEO positæ; videlicet omnes justæ leges, & præcepta humana legitimorum Superiorum. Hoc ipso enim, quòd DEUS velit, & præcipiat, ut justis legitimorum Superiorum legibus, & præceptis obediamus, ipsíque in terris vices DEI agant, eorum leges, & mandata, mediatè etiam mandata, & leges DEI sunt, ita, ut qui legem aut mandatum Superioris transgreditur, DEI quoque mandatum mediatè saltem transgredi censeatur; juxta illud *Lucæ 10. v. 16. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Imò transgressio legis, aut præcepti humani non aliter est peccatum, nisi quia est contra legem DEI volentis, ut præceptis Superiorum obediamus. De quo ampliùs in Theologia.

11. Resp. II. Malitia peccati principaliter consistit in hoc, quòd, dum quis DEI voluntatem, legem, aut mandatum voluntariè transgreditur, seu violat, hoc ipso DEUM (saltem dum quis peccat mortaliter) ejúsque sanctissimam, & justissimam voluntatem, legem, aut mandatum re ipsa, & factô vilipendat, minúsque curet, quàm vilissimam crea-

creaturam, voluptatem, aut vanitatem, utpote quam DEO, ejúsque voluntati præponit, intuitu cujus legem DEI transgreditur, & violat; consequenter DEUM ipsum injustissimè offendit, eíque gravissimam injuriam infert: adeò, ut offensa, aut injuria DEI, item vilipensio, realis despectus, & contemptus DEI, ejúsque sanctissimæ voluntatis cum peccato idem ac synonima sint; idémque sit, ac significet peccare (saltem mortaliter) ac DEUM, ejúsque sanctissimam legem, ac voluntatem rè, & factô vilipendere, & contemnere, réque, & factô magìs curare, & amare vilissimam creaturam, & abjectissimam vanitatem, quàm DEUM, ejúsque sanctissimam legem.

12. Unde peccatum tantam malitiam, & injustitiam importat, DEOque tantam injuriam irrogat, ut juxta gravissimos Authores nulla creatura, nec omnes creaturæ simul sumptæ, præteritæ, præsentes, futuræ, & possibiles pro unico peccato mortali DEO condignè satisfacere potuissent, etiamsi omnes, & singulæ, B. V. Maria quoque cum omnibus Angelis, Sanctis, & Electis à creatione mundi usque ad ejus interitum, vel etiam in æternum omnia excogitabilia, & possibilia opera pietatis, & pœnitentiæ exercuissent, omniáque tormenta, & mortem innumeris viribûs acerbissimè repetitam sustinuissent; sed ad condignam satisfactionem omnino necesse fuerit, ut DEUS fieret homo, sícque ab infinito Subjecto fieret satisfactio infinito Objecto per creaturam offenso: fuítque magìs conforme Justitiæ Divinæ, ut DEUS fieret homo, extrema pateretur, & moreretur, quàm ut imperceptibilis peccati malitia maneret impunita.

13. Quæritur II. Quid, quantæque gravitatis sit peccatum mortale? Resp. I. Peccatum mortale est voluntaria transgressio legis talis, quam observari DEUS summè, ac tantopere vult, & desiderat, ut ejus observantiam sub privatione gratiæ sanctificantis, amicitiæ, & fruitionis Divinæ, regníque cœlestis, ac insuper sub pœna æterni ignis præcipiat. Ita in re communis SS. Patrum, & Theologorum; patebúntque singulæ definitionis particulæ ex Responsione sequenti. Vocatur *mortale;* quia in-

infert animæ mortem ſpiritualem, ſcilicet privationem gratiæ ſanctificantis, & amicitiæ cum DEO.

14. Reſp. II. Gravitas, & malitia peccati mortalis eſt maxima, & conſiſtit in hoc, quòd, dum quis bene ſcit, & firmiter credit, ſe per transgreſſionem, ſeu violationem talis legis, gratiam, & amicitiam Divinam, imò DEum ipſum, ejúsque viſionem, & fruitionem in æternum amittere, & perdere; nihilominus talem legem transgrediatur, conſequenter viliſſimam creaturam, momentaneam voluptatem, aut abjectiſſimam vanitatem (ob quam peccat, & legem transgreditur) revera magìs quàm DEUM ipſum reſpiciat, & diligat, hoc ipſo, quòd certò ſciat, & credat, ſe per talem viliſſimam creaturam, voluptatem, aut vanitatem DEUM, ejúsque gratiam, amicitiam, viſionem, ac fruitionem beatificam, quam præparavit DEUS diligentibus ſe, æternùm deperdere; & tamen illam non derelinquat, ſed præ DEO eligat, eámque DEO præponat, & propter eandem DEUM æternùm amittere, minimè curet. Per quod utique etiam DEUM re ipſa, & facto vilipendit, graviſſimè offendit, ſummáque injuriâ afficit, conſequenter malitiam, & injuſtitiam erga DEUM extremam, imò ſuô modô infinitam iniquiſſimè committit.

15. Aggravatur peccati mortalis malitia & gravitas ex infinita diſtantia, & inæqualitate offenſum inter & offendentem, ſeu DEUM & hominem: qui enim offenditur, eſt ſumma, immenſa & infinita Majeſtas, Omnipotens, æternus, Summus & Optimus DEUS, Dominus, Creator, Conſervator & Gubernator cœli, & terræ, & omnium, quæ in eo ſunt; ipſe eſt, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia, & propter quem omnia, bonum infinitum; ipſe eſt omnium, & quidem ipſiusmet peccantis continuus Benefactor, & Salvator, & intenſiſſimus Amator, adeò ut amore ipſius, vitam & ſanguinem dederit; ipſe eſt, à quo peccator omni momento in omnibus dependet, & à quo omni momento in infernum detrudi, aut aliìs innumeris miſeriìs, & pœnìs affligi poteſt &c. econtra qui peccat, DEUM offendit, & contemnit &c. eſt viliſſima ipſius DEI creatura, totum ſuum eſſe

ab ipso solo habens, sine ipso nihil sciens, nil valens quàm errare, & respectu DEI vermis, pulvis, imò nihil.

16. Augetur malitia, & iniquitas peccati mortalis etiam ex eo, quòd, qui peccat, creaturam, vanitatem, ac voluptatem indirectè, re, & factô pro DEO sibi constituat, æstimet, & amet, consequenter, quantum est in se, DEUM verum dethronisare, è Regno dejicere, delere, & non esse velit; hoc ipso enim, quòd talem creaturam magis, quàm DEUM æstimet, & amet, hunc ob illam perdere, & contemnere &c. non dubitet. Hinc meritò S. Paulus *ad Philippenses cap. 3. v. 19.* de peccatoribus dicit: *Quorum DEUS venter est:* cui conformiter S. Hieronymus *in Psal. 80.* dicit; *Quotcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos; iratus sum, ira mihi Deus est: vidi mulierem, & concupivi, libido mihi Deus est. Unusquisque enim, quod cupit* (plus quàm DEUM) *& veneratur, hoc illi Deus est.*

17. Ulteriùs augetur peccati malitia, quòd etiam redundet in extremam injuriam, contemptum, & gravissimam offensam Christi JESU Redemptoris, & Salvatoris nostri; cùm per quodvis peccatum mortale tota vita, & passio, omniáque merita Christi in peccante frustrentur, & ab hoc redemptio, & Sanguis illius, imò ipsemet Christus quasi pedibus conculcetur, & de novo crucifigatur &c. prout clarè indicat D. Paulus *ad Hebr. 10. v. 29. Qui Filium DEI conculcaverit:* & *ad Heb. c. 6. v. 6.* ubi de peccatoribus dicit, quòd sint *rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes:* eo ipso, quia faciunt id, ob quod Christus passus, & crucifixus est: *Vulneratus* est enim *propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isaiæ 53. vers. 5.* consequenter de novo ponunt causam passionis, & mortis Christi, ita ut, si passio Christi tantæ efficaciæ non fuisset, ut pro omnibus etiam possibilibus peccatis satisfaceret, necesse foret, Christum toties iterum pati, & crucifigi, quoties peccatum committitur; præsertim, cùm nullus purus homo, imò nec omnes homines, neque Angeli, neque B. V. Maria defacto per omnia sua merita etiam pro unico peccato de condigno satisfacere potuissent.

18.

18. Peccati gravitas præterea per hoc excrescit, quia peccatum Christus DEI Filius plùs aversatur, horret, & odit, quàm omnes quantumvis immanes, ac intensissimos dolores, quos in passione, & morte sua pro nobis sustinuit, ita ut, si ex una parte flagella, spinæ, sputa, clavi, fel, crux, & alia passionis ponerentur instrumenta, ex altera verò parte unicum peccatum mortale, hoc solum Christo magìs foret contrarium, & eum magìs affligeret, quàm omnium tormentorum cumulus; quæ omnia millies majora, eáque millies repetita libentiùs, quàm injuriam ex unico peccato mortali in Patrem cœlestem, & seipsum redundantem pateretur. Atque adeò, etsi peccator Christum materialiter, & physicè non crucifigat, hoc tamen moraliter facit, & æquivalenter, imò incomparabiliter magìs, quotiescunque committitur peccatum mortale, utpote quod causat, & irrogat injuriam eidem incomparabiliter magìs molestam, quàm omnia non tantùm jam exantlata, sed etiam possibilia tormenta etiam millies repetita.

19. Intenditur extrema iniquitas peccati mortalis etiam ex eo, quòd homo bene sciat, & credat, peccatum mortale DEO summè injuriosum, & suæ Majestatis gravissimè offensivum esse, adeò, ut ad illud avertendum privationem Regni cœlestis, pœnámque æternam ignis infernalis, imò etiam pœnas temporales minitetur, peccantibúsque certò infligat, quæ hominem terrere, & à peccando absterrere meritò possent; illud nihilominus committat, consequenter voluntariè, & deliberatè id faciat, quod DEO summè odiosum, injuriosum, & abominabile esse, optimè scit, & firmiter credit; ac quod, ne fiat, intensissimè desiderat, & ferè omnia tentat, & adhibet, exceptô, quòd homini libertatem agendi non adimat.

20. Intenditur insuper inexplicabilis malitia Peccati mortalis etiam ex hoc, quòd in præsentia, & in conspectu DEI omnia præsentissimè intuentis, & cognoscentis committatur. Sicut enim major injuria, & offensa meritò reputaretur, si quis subditus suum sibi semper beneficentissimum, & aliàs justissi-

mum & potentissimum Regem, præsentem, aspicientem, & audientem vilipenderet, eique rebellem se exhiberet, quàm si id absente & ignorante Rege faceret: sic etiam plurimùm augetur peccati malitia ex eo, quòd homo sciat, & firmiter credat, DEUM sibi semper esse præsentissimum, cuncta intuentem, & audientem, & tamen audeat in præsentia, conspectúque illius per peccatum inexplicabili offensa, & injuria eum afficere, eidem creaturam, & vanitatem vilissimam præponendô, háncque magìs, quàm illum æstimandô, imò hanc locò DEI sibi constituendô, sícque DEUM verum indirectè, re, & opere vilipendendô.

§. II.

De Damnis, & effectibus Peccati mortalis: nec non de Remediis, ac Principiis practicis circa illud.

21. QUæritur I. Quæ damna, quósque effectus causet peccatum mortale? Resp. Peccatum mortale præter infinitam offensam, & injuriam DEI tot, & tanta causat damna, ut pro enarrandis, & declarandis eisdem magnum non sufficeret volumen. Adducemus solummodo aliqua.

22. *Primò.* Quodvis peccatum mortale, etiam unicum, & respectu aliorum leve, v. g. unica morosa delectatio venerea delet in anima, destruítque gratiam sanctificantem, & per consequens spiritualiter mortificat, seu occidit animam, & privat illam jure ad Regnum cœleste; gratia enim sanctificans est vita animæ, & illa sola tribuit jus ad Regnum cœlorum: quapropter si illa perditur, unacum illa etiam perditur vita animæ, & Regnum cœlorum. Est totum de Fide: unde dicitur *Tob. 12. v. 10. Qui faciunt peccatum, & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.* Et *ad Galat. 5. v. 21. Prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt* (peccata videlicet mortalia) *regnum DEI non consequentur.*

23. *Secundò.* Quodvis peccatum mortale animam aliàs pulcherrimam, & mirabilem imaginem SS. Trinitatis coram oculis

DEI

DEI turpissimam, horribilissimam, & summè abominabilem reddit, adeò quidem, ut si quis videret, & aspiceret animam in peccato mortali existentem, præ mero horrore, & pavore terribilis turpitudinis ejusdem illico mori deberet, prout dilectis suis animabus sæpiùs revelavit DEus. Imò tanta est turpitudo animæ in peccato mortali existentis, ut ipsius etiam dœmonis turpitudinem, abominationem, horribilitatem, & fœditatem superet; teste S. Chrysostomo *Homil. 39. ad Popul.* quod pluribus rationibus probat Lancicius *Opuscul. 1. cap. 8. & 9.*

24. Ad hæc (ùt modò citatus Auctor loquitur) dœmon ob unicum in sola cogitatione consistens peccatum mortale superbiæ tam abominabilis, & horribilis effectus est, ut juxta eundem S. Chrysostomum, si DEus illi permitteret formidabilem illum suum, & horrendum aspectum nobis ostendere, continuò mente dimoveremur, & solutis artuum compagibûs evolaret anima è corpore. S. Catharina Senensis, postquam semel per unicum quasi ictum oculi formam dœmonis vidit, & à DEO specialiter conservata, iterum sensus recepit, contestata est, *velle se potiùs ire per unam viam igneam usque ad diem judicii duraturam, quàm ampliùs eam intueri.* Quanta igitur erit turpitudo, & abominatio animæ in peccato mortali existentis, si, prout est, turpitudinem dœmonis superat, præsertim si non uno, sed pluribûs peccatis mortalibûs inquinata est?

25. *Tertiò.* Quodvis peccatum mortale ex homine priùs filio, amico, ac servo DEI efficit filium dœmonis, ejúsque miserum servum, & mancipium; imò diabolum incarnatum. Filium dœmonis satis indicat S. Joannes *Ep. 1. cap. 3. v. 8. Qui facit peccatum* (mortale) *ex diabolo est:* consequenter filius ejus est. Servum, & mancipium dœmonis talem esse, docet cum aliis S. Augustinus *in Expositione Epistol. ad Roman. n. 42.* addens rationem: *Unusquisque* (ait) *peccandò animam suam diabolo vendit, acceptô tanquam pretiô, dulcedine temporalis voluptatis.* Diabolum incarnatum ipse DEUS S. Catharinæ Senensi apparens vocat hominem in peccato mortali existentem. Hinc

26.

26. *Quartò.* Quodvis peccatum mortale hominem non tantùm privat Regno cœlesti, sed eundem tanquam filium, servum, & mancipium dœmonis, & diabolum incarnatum in infernum detrudit, æterno igne cum aliis dœmonibus ibidem cruciandum; nisi ante mortem tale peccatum pœnitentiâ deleatur: prout fides docet.

27. *Quintò.* Quodvis peccatum mortale mortificat omnia bona opera antea facta, ita ut, etsi quis per totam vitam suam, per 70. v. g. vel 80. vel plures annos sanctissimè actus heroicos, & opera bona accumulâsset, ut in virtute, perfectione, & meritîs superaret omnes Sanctos, tamen unico peccato mortali simul mortificarentur, ita, ut durante hoc statu omnino maneant sopita, & penitus nullius ampliùs meriti essent ante Deum. Prout rursus Fides docet, & patet ex illo *Ezechiel 18. v. 24. Si averterit se justus à justitia sua &c. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Quamvìs, si peccatum per pœnitentiam postea deletur, iterum revivìscant bona opera, antea in statu gratiæ facta.

28. *Sextò.* Quodvis, etiam unicum peccatum mortale facit, quòd omnia quantumvis aliàs bona, excellentia, & heroica opera ab homine in peccato mortali existente facta, sint mortua, & nullius meriti de condigno apud DEUM nec de præsenti, nec in futurum, adeò ut, etsi homo postea à peccato resurgat, opera tamen bona in statu peccati mortalis facta non evadant meritoria, nec revivìscant (cùm defectu statûs gratiæ nunquam fuerint viva) prout tamen ex dictis *num. præced.* revivìscunt opera bona priùs in statu gratiæ facta, sed postea per peccatum mortale mortificata, si homo à peccato resurgit. Est rursus doctrina SS. Patrum, & Theologorum.

29. *Septimò.* Peccatum mortale continuò etiam inter maximas mundi vanitates, honores, & voluptates diu, noctúque mirè affligit, ac torquet animum, & conscientiam peccantis, ita ut nunquam vera pace & quiete, nec in temporalibus, nec in spiritualibus frui queat: unde *Jeremiæ 2. v. 19. Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum, & non esse ti-*

mo-

morem mei apud te, dicit Dominus DEUS. Et ſanctus Chryſoſtomus *Homil. 8. ad Populum.* inter alia mala exiſtentis in peccato mortali ad propoſitum etiam idem commemorat: *Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc ubique circumfert; & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agentem, ſed quocunque abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile:* nam ſemper *pavor his, qui operantur malum, Proverb. 10. v. 29.* Sanctus Chryſologus *Serm. 125.* ait: *Reus peccati, plus de conſcientia, quàm de gehennæ erubeſcit incendio.*

30. *Octavò.* Peccatum mortale eſt mera fraus, mendacium, & deceptio, illud utile, aut delectabile, quod in eo falsò apparet, & peccator quærit, vel omnino non, vel certè non niſi momentaneè, ac imperfectè tribuens, & econtra malô, & pœnâ contrariâ illico, & conſtanter affligens; *quia enim peccator* (inquit S. Bonaventura *in Theolog. Myſt. cap. 2. partic. 2. petit. 6.*) *per malitiam creaturæ inferiori inverecundè adhæſit propter momentaneam delectationem, juſtò DEI judiciò non oblectationem, ſed amaritudinem potiùs reportabit, ut, qui ſatiari voluit in ipſis delectationibus creaturarum, infinitis amaritudinibus repleatur.* Hinc *ſicut qui cogeretur* (ait Alvar. *Tom. 2. lib. 1. p. 1. cap. 4.*) *guttulam mellis in magnum vas fellis, & abſynthii injectam potare, non dulcedinem, ſed amarorem ſentiret, ita qui modicam, & umbratilem peccati dulcedinem tot angoribus, & conſcientiæ accuſationibus circumdatam bibit, concupitam ſuavitatem experiri non valet.* Et S. Joan. Damaſc. *L. 1. Parallel. c. 12. Voluptas Diaboli hamus eſt ad exitium trahens.* S. Auguſtinus *Lib. 14. de Civitate DEI. c. 4. Dici poteſt, omne peccatum eſſe mendacium; non enim fit peccatum, niſi ea voluntate, qua volumus, ut bene ſit nobis, & hinc potiùs malè eſt nobis.* Nam æterna eſt veritas, quod Spiritus S. dicit *Sapient. 11. v. 17. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Unde meritò exclamat Pſalmiſta: *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium! Pſalm. 4. v. 3.*

31. *Nonò.* Peccatum mortale vires animæ mirè debilitat, & ferè inhabiles reddit ad bona ſpiritualia, ad bene operandum, & proficiendum in ſpiritu, & virtute; præſertim quia etiam dona Spiritus Sancti diminuit, aut expellit; ùt bene advertit S. Antoninus *part. 1. Summa tit. 7. cap. 3.*

§. *3. ad finem.* dicens: „ Dona Spiritûs S. in peccatore reperiri „ non possunt; nam sapientia „ per insipientiam dejicitur, ut „ Divina non gustet; intellectus „ per hebetudinem obscuratur, „ ut scripturæ sint in eis in parabolas, non intra medullam penetrantes; consilium per præcipitationem perit, ut sine examinatione cuncta faciat; fortitudo per pusillanimitatem, „ & impatientiam prosternitur; „ scientia per ignorantiam conculcatur, circa conversationem cum personis non prudenter se habens, nec sufficienter discernens verum à falso „ circa mores, & fidem; pietas, „ quæ est DEI cultus, vel proximis subveniens ab impietate „ dejicitur; & timor per superbiam absorbetur.

32. *Decimò.* Peccatum mortale facit, quòd DEUS hominem variè deserat, nullâ eum ampliùs speciali curâ, aut providentiâ gubernans, nec singulari consiliô, vel auxiliô adjuvans, nec facilè orationes ejus exaudiens, sed potiùs in mille errores, confusiones, temporalia, & spiritualia damna prolabi permittens: nam *error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt, Eccles. 11. v. 16. Non est* quidem *abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat; sed iniquitates, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. Isaiæ 59. v. 1. & 2.* De grandi hoc peccati effectu ita discurrit S. Joan. Damasc. *L. 1. Parallel. c. 12.* „ Nihil „ exitiosius est, quàm à DEO ita „ deseri, ut nullâ nostri curâ, & „ providentiâ tangatur, nec ullum ob gravissima crimina gravius supplicium irrogari potest, quàm ut quisquam à DEO „ destituatur, & orbetur: qui „ enim Servatoris DEI ope, ac „ præsidiô caret, hic sub hostium „ ac prædonum potestate est.

33. *Undecimò.* Peccatum mortale grandem miseriam, afflictionem, persecutionem, & alia, eáque ingentia mala etiam adhuc in hoc mundo super peccatorem inducit, quæ DEUS in pœnam peccati immittit, & permittit: prout ferè ubique sacræ testantur Paginæ, omnes clamant SS. Patres, & quotidiana ad oculum demonstrat experientia. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem* (ait Job *cap. 4. v. 8.*) *& seminant dolores, & metunt eos.* Nam DEus *pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur pars calicis eorum, Psal. 10. v. 6.*

v. 6. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Psalm. 13. v. 3. Quia longè à peccatoribus salus. Psalm. 118. v. 155. Malorum omnium, etiam in hoc mundo inquit S. Chrysostomus *Tom. 7. Hom. 5. de Pœnit. causam constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones.* Unde Dominus ostendere volens malorum omnium causam esse peccatum, paralitico dicit: *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Joan. 5. vers. 14.*

34. Nec diu durat, etsi subinde sint, aut potiùs videantur prosperari, exaltari, aut esse felices peccatores. Unde adhortatur quemvis justum Spiritus S. *Psalm. 36. v. 1. & 2. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem: quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum citò decident.* Enimvero, *inimici Domini* (ut ibidem *vers. 20.* dicitur) *mox, ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. Vidi impium* (pergit ibidem David *v. 35. & 36.*) *superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, & non est inventus locus ejus.*

35. Multiplices sanè, & terribiles enumerantur afflictiones, maledictiones, & pœnæ temporales, quas DEUS minatur illis, qui mandata & legem ejus non custodiunt, *Levit. cap. 26.* quod Caput meritò à quovis fideli legi, & bene considerari deberet.

36. Quod si tamen extraordinariè contingeret, peccatorem in hoc mundo constanter, & à potiori esse felicem, signum evidens æternæ damnationis ejusdem, consequenter omnium malorum pessimum est: unde dicit S. Augustinus *Ep. 5. Nihil est infelicius felicitate peccantium.*

37. *Duodecimò.* Peccata mortalia sunt causa malorum, & pœnarum temporalium, puta, belli, pestis, famis &c. quæ DEUS integris Nationibus, Regnis, & Provinciis, Civitatibus, aliísque Communitatibus im̃ittit. Quod considerans Dux Am̃onitarum suasit Holoferni, ne contra Judæos tunc fideles bellum moveret, nisi priùs compertum haberet, illos legum transgressores, ac peccatores existere: *Judith 5. v. 24. & 25. Perquire; si est aliqua iniquitas eorum in conspectu DEI eorum,*

rum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos DEUS eorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ; si verò non est offensio populi hujus coram DEO suo, non poterimus resistere illis, quoniam DEUS eorum defendet illos, & erimus in opprobrium universæ terræ. Hinc etiam S. Hieronymus *Epistol. 3. ad Heliodorum. cap. 10.* ait: *Nostris peccatis Barbari fortes sunt; vitiis nostris Romanus superatur exercitus &c.* Huc etiam facit Textus *num. 37.* allegatus ex S. Chrysostomo *Hom. 5. de Pœnit.* ubi ait: *Malorum omnium causam, constat, esse peccatum:* quod bene agnoscentes sancti illi Pueri in fornacem missi dicebant: *Induxisti omnia hæc propter peccata nostra; peccavimus enim, & iniquè egimus. Daniel. 3. v. 28. & 29.*

38. Quæritur II. Quænam sint remedia contra quodvis peccatum mortale in genere? Dicitur notanter *in genere;* quia contra certa peccata, & vitia in specie, certa quoque dabuntur remedia in specie *in Parte posteriori* agendô de quibusdam peccatis, & vitiis in specie. Interea ad quæsitum in genere, Resp. varia esse remedia contra quodvis peccatum mortale, è quibus aliqua hìc adducuntur.

39. I. Remedium est frequens consideratio, & meditatio de gravissima peccati mortalis malitia, grandíque damno, & pessimis effectibus illius hactenus recensitis. Vix enim possibile est, quin ille quodvis peccatum mortale summô habeat odiô, & horreat, illúdque plùs quàm quodlibet aliud malum in universo mundo fugiat, & declinet, qui inexplicabilem, & infinitam ejusdem malitiam, & damna verè credit, & cognoscit, bene considerat, memoriæ imprimit, illáque sæpius, vel saltem tunc ob mentis oculos habet, quando periculum, vel occasio peccandi instat, aut tentatio ad peccatum allicit. Præsertim si simul etiam memor est præsentis DEI, seriò attendens, quis sit, qui offenditur, & quis offendat, juxta dicta §. *præced.*

40. II. Remedium contra quodvis peccatum in genere est memoria, & consideratio præsentis DEI, & Angeli custodis. Est enim de Fide, quòd DEUS ubique præsens sit, ac omnia interna, & externa perfectissimè videns, & agnoscens. Hoc remedium omnes SS. Patres, & Ascetæ mirè suadent, & inculcant.

cant. Inter quos S. Damascenus *in Opusc.* quod incipit: *Octo sunt passiones.* ita scribit: *Turba vitiorum universæ resisti poterit, si semper & assiduè homo cogitaverit DEUM operum suorum inspectorem, & Angelum Custodem &c.* Cassianus *coll. 10. cap. 10.* vocat memoriam præsentis DEI jugulum omnis peccati, & fontem universæ virtutis. Enimvero, quo pacto vitia declinabit homo? Respondet S. Basilius *in Regul. contract. quæst. 29. Si DEUM semper putaverit inspectorem esse, & Dominum præsentem omnia considerare. Quis enim obediens, & morigerus in oculis Principis committere ausit, quod ipsi displiceat?* Hinc S. Chrysostomus *in Ep. ad Rom. hom. 4.* ait: *Nihil enim ita hominem perdit, quàm si illum contingat ab hac anchora excidere, quemadmodum nihil contra ita illum servat, quàm assiduus in DEUM præsentem aspectus.* Hoc medio Susanna gravissimè tentata, & sub minis mortis ad adulterium invitata, victrix evasit dicens: *Melius est mihi incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. Danielis 13. v. 23.* Hoc remedio Job in omni etiam gravissima diaboli tentatione, & impugnatione gloriosè vicit, *semper enim* (ait Job *c. 31. v. 23.*) *quasi tumentes super me fluctus timui DEum, & pondus ejus ferre non potui.*

41. Et certè, si ob solam præsentiam alicujus honesti viri homines etiam sceleratissimi peccatum præsertim contra castitatem committere horrent; cur id non efficiat memoria præsentis DEI? præsertim si quis simul considerat, quis sit iste DEUS, & quid, quantæque malitiæ, & damni sit peccatum: quæ memoria, si à peccando non absterret, signum perversissimæ mentis est. Pariter etiam cum proportione de præsentia Angeli Custodis sentiendum. De quo notum est illud Bernardi *Serm. 12. in Psalm. 90. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe: tune audeas illo præsente, quod vidente me non auderes?*

42. Quare pro praxi illud observa, ut, quando occasio, aut periculum peccandi se offert, aut tentatio urget, statim cogites: *DEUS meus adest, DEUS videt: audèsne eo præsente, & vidente hoc peccatum committere, tantùmque DEum &c.* (cogita de eo) *tantâ injuriâ &c.* (cogita de malitia peccati) *offendere?*

43. III. Remedium eſt memoria Noviſſimorum, Mortis nempe, Iudicii extremi, Cœli, & Inferni. Teſtatur námque ipſe Spiritus S. *Ecclef. cap. 7. v. 40. In omnibus operibus tuis memorare Noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

44. IV. Remedium eſt periculorum, & occaſionum proſpectio ac fuga. Nam *qui amat periculum, in illo peribit. Ecclef. 3. v. 27.* Nec erubeſcere oportet propter hanc fugam; quia *glorioſa eſt fuga, fugere à facie peccati*, ait S. Ambroſius *de fuga ſaculi. cap. 4.* Accedit, quòd, qui pericula ſaltem proxima non fugit, occaſionésque, & cauſas peccati non removet, efficax propoſitum vitandi peccati non habeat.

45. V. Remedium eſt, malis cogitationibus, & tentationibus, præſertim in materia lubrica, ſtatim ab initio, & quamprimum advertuntur, reſiſtere. Ab initio enim, dum tentatio adhuc debilior eſt, facilè vincitur: ſi autem durat, vires, & incrementa ſumit. Unde illud Tritum: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur; Cùm mala per longas invaluére moras.*

46. VI. Remedium eſt fuga otii, & continua aliqua honeſta occupatio. Etenim (inquit S. Bernardus *Serm. ad Fratres de Monte.*) *Colluvies omnium tentationum, & cogitationum malarum & inutilium ſentina otium eſt: ſumma enim malitia eſt otium iners.*

47. VII. Frequens, & devotus Sacramentorum Eucharıſtiæ, & Confeſſionis uſus. Hoc enim acquiritur, & augetur gratia Divina, principale medium adversùs peccata. Roboratur item, & confortatur anima ad fortiter reſiſtendum tentationibus.

48. VIII. Humilitas, humillimáque ſui, ſeu in ſe ipſum, & vires ſuas diffidentia, quâ quis ſemper, præſertim autem tempore tentationis, & periculi peccandi, firmiter credat, & menti impreſſum habeat, ſe ex ſeipſo non valere ullam, etiam minimam tentationem meritoriè ſaltem, ſuperare ſinè DEI gratia, & auxilio, conſequenter in quavis tentatione, & occaſione peccandi, in peccata ſe prolapſurum, niſi gratiâ, & auxiliô ſuô aſſiſtat DEUS. Hæc humilis diffidentia ſui ad vitanda peccata (ſicut etiam ad perfectionem, & quamvis

vis virtutem acquirendam remedium non solùm summè utile, sed etiam omnino necessarium est; quia certissimum est, quòd, ubi in homine regnat superbia, aut saltem filia ejus, contraria nempe dictæ diffidentiæ præsumptio, confidentia, aut æstimatio de se, & viribus suis, in varia peccata, præsertim verò luxuriæ infallibiliter sit prolapsurus; eò quòd DEUS hujusmodi hominem mirè deserat, eíque gratiam, quam dat humilibus, subtrahat, imò eidem etiam suô modô resistat juxta illud *Jacobi 4. v. 6. DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Idque ideo, quia superbia, & præsumptio, propriáque de se ipso, & viribus confidentia, & æstimatio, DEO adeò est odiosa, ut ad eam confutandam, & tollendam, hominémque ad agnitionem sui nihili, impotentiæ, imbecillitatis, & miseriæ perducendum, eundem in varias confusiones, errores, & peccata prolabi permittat, volens potiùs multiplices ex aliis etiam gravissimis peccatis sibi irrogandas injurias sustinere, quàm tolerare in homine superbiam, propriámque de se ipso, & viribus suis præsumptionem, coram oculis suæ Divinæ Majestatis extremè abominabilem, & odiosam, siquidem *Abominatio Domini est omnis arrogans, Proverb. 16. v. 5.* Nihil enim ita oculos DEI offendit, sicut superbia; quoniam, ùt ait S. Bernardus *Serm. 4. in Nat. Dom. Qui fornicatur, peccat in corpus suum, qui injuriosus est, in proximum, qui extollitur, & inflatur, in DEUM. Fornicator semetipsum dehonestat, injuriosus molestat proximum, elatus, quod in se est, DEUM inhonorat.* Et sanctus Ambrosius *Serm. 7. in Psalm. 118. Maximum peccatum in homine superbia est.* Quapropter ad hanc tollendam DEUS, juxta dicta, confundit, & derelinquit hominem, ut suum nihilum agnoscat. *Cùm latentes motus audaciæ in cogitatione Conditor conspicit* (ait S. Gregorius *lib. 10. Moral. cap. 13.*) *se sibi illum ostendendò derelinquit, ut hominis mens derelicta, quid sit, inveniat, quàm malè in se secura gaudebat.* Unde *ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia, Proverb. 11. v. 2.* Et *superbum sequitur humilitas, Proverb. 29. v. 23.*

49. Confirmatur ex responso, quod DEUS in visione magno S. Antonio dabat; dum enim is aliquando in visione totum mundum retibûs, & periculîs

culis ita plenum, & repletum conspiceret, ut ea aliquem evadere posse impossibile judicaret, & propterea illis verbis adDEum clamaret: *Domine quis evadet?* respondit DEUS: *solus humilis.*

50. IX. Est firma confidentia in DEUM, ejúsque gratiam, & auxilium. Quantumvis enim infirmi, miseri, & labiles simus, nihil quàm errare, & peccare valentes; cum gratia tamen, & auxilio DEI omnia possumus: quapropter, si in DEUM, ejúsque gratiam, & auxilium firmiter, & solùm confidimus, omnia vitia facilè superabimus. Cùm enim ipse bene cognoscat, quòd sinè suo continuo auxilio, & gratiâ peccata vitare non possimus, & tamen, ut ea vitemus, velit, ac desideret, gratiam, & auxilium optatum certò dabit, si non in nobis, sed in eo solo, ejúsque gratia firmiter confidamus. Unde monet Spiritus S. *Proverb. 3. v. 5. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* Quod monitum secuti sunt Apostoli dicentes: *Fiduciam talem habemus per Christum ad DEum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est, 2. ad Corinth. 3. v. 4. & 5.*

51. X. Remedium est crebra, fiducialis, & humilis oratio, & invocatio auxilii, & gratiæ Divinæ, præsertim tempore tentationis, ita ut quamprimũ tentationem, periculum, aut occasionem peccati adesse, aut imminere advertimus, illico nobismet diffidentes, & in DEO confidentes, eundem, ne nos deserat, sed gratiâ, & auxiliô suô nos adjuvet, humiliter, & fiducialiter invocemus, quatenus tentationem superare, & quodvis peccatum, ejúsque periculum vitare possimus. Nam, cùm juxta fidem sinè DEI gratia nihil meritorii, cum illa verò omnia possimus, ipséque invocari, & rogari velit, orantibúsque cum fiducia gratiam suam statim conferat, expediens utique, & utile, imò necessarium est, rogare, & invocare eundem. Hanc orationem, & invocationem faciendam, præcipuè tentationum, & periculorum tempore suasit Christus discipulis *Matth. 26. v. 41. Orate, ut non intretis in tentationem.* Cùm eandem petitionem, & invocationem tanquam unum ex principalibus contra peccata remediis, inseruit efficacissimè, quam discipulos docuit, & frequenter facere vo-

voluit, orationi Dominicæ *Pater noster &c.* ubi per illa verba: *Et ne nos inducas in tentationem.* specialiter illud à DEO petimus, ne DEUS in tentatione nos deserat, sed gratiâ suâ adjuvet. Hoc orationis medium ad vitanda peccata, & vincendas tentationes summè utile, summéque necessarium est juxta unanimem tam Theologorum, quàm Ascetarum, & SS. Patrum, prout magìs dicetur *Cap. XII. de Oratione.*

52. XI. Est specialis devotio, confidentia, & recursus ad B. V. Mariam, præsertim tempore tentationis, occasionis, aut periculi peccandi. Ratio est; quia hoc specialiter placet DEO, per ipsámque honorari, & invocari, suásque gratias elargiri vult. Audiamus ad propositum pauca ex SS. Patribus. Et quidem inprimis notum illud D. Bernardi *Homil. 2. in Missus est.* „ O quis-„ quis te intelligis in hujus sæculi „ profluvio magis inter procel-„ las fluctuare, quàm per terram „ ambulare, ne avertas oculos à „ fulgore hujus sideris, si non vis „ obrui procellis; si insurgant „ venti tentationum, respice stel-„ lam, voca Mariam; in pericu-„ lis, in angustiis, in rebus dubiis „ Mariam cogita, Mariam invo-„ ca. Non recedat ab ore, non „ recedat à corde. Innocentius III. *Serm. 2. de Assumpt.* „ Quia „ militia est vita hominis super „ terram, quicunque sentit im-„ pugnationem ab hostibus, vel „ à mundo, vel à carne, vel à „ dæmone, respiciat castrorum „ aciem ordinatam, deprecetur „ Mariam, ut ipsa per Filium mit-„ tat auxilium de sancto, & de „ Sion tueatur. Estque eò confidentiùs tempore tentationis invocanda B. V. Maria, quò certiùs exaudit quemvis, qui non nisi DEO placita (quale utique etiam est superare malas tentationes) solicitat: *Quis enim* (ait Innocentius *loc. cit.*) *devotè invocavit eam, & non est exauditus ab ea?* Et B. Eutychianus *in vita S. Theophanis. Quis unquam, ò Beata! fideliter omnipotentem tuam invocavit opem, & fuit derelictus? revera nullus unquam.* Hinc S. Bernardus *Serm. 4. de Assumpt. Virg.* audet dicere: *Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi unquam meminerit defuisse.*

53. Urgere etiam videtur necessitas, B. V. Mariam tempore tentationum piè invocandi, ut-

pòte finè cujus patrocinio, & favore damnationem evadere, consequenter peccata interitum causantia vitare, ac gratias ad vincendum proficuas impetrare vix possumus; prout attestantur post alios SS. Patres S. Germanus *Serm. 2. de B. V.* „ Nemo (inquit) „ Dei cognitione repletus est, nisi „ per te, ô Sanctissima! Nemo „ salvus, nisi per te, ô Deipara! „ Nemo periculorum expers, „ nisi per te, Virgo parens! Nemo donum per misericordiam „ consecutus, nisi per te, ô di„ gna, quæ DEUM caperes! Et S. Ignatius Martyr teste Lohner apud Mikhov. *p. 2. d. 352. n. 18.* „ Nunquam malè peribit, qui „ Genitrici devotus, sedulúsque „ extiterit. Impossibile est enim, „ aliquem salvari, nisi per tuum, „ ô Virgo, auxilium, & favorem.

54. XII. Est continua vigilantia, vis, & mortificatio. Cùm enim ab ipsa corrupta nostra natura simus ad omne malum proni, ac proclives, nec non ad plura etiam jam habituati, simúlque astutissimus inimicus noster dæmon innumerîs fraudibûs, & technîs nos circumvenire incessanter quærat, exempla quoque mala ferè ubique nos trahant; impossibile est, quin sæpe labamur, nisi continuò vigilemus, id est, attentè, & consideratè agamus in omnibus, simúlque passiones, & inclinationes nostras pravas mortificemus, eísque vim quasi continuam inferamus, omittendô, vel agendô contrarium illi, ad quod nos malè impellunt. Ad vigilantiam præfatam seriò nos admonet S. Petrus *1. cap. 5. v. 8.* illîs verbîs: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide.* De mortificatione, & vi nobis inferenda, plena est Scriptura S. & in immensum quasi scripserunt SS. Patres. *Eccles. 18. v. 30. & 31.* dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Et *Genes. 4. v. 7. Sub te erit appetitus ejus* (id est, peccati) *& tu dominaberis illius.* Quoniam verò concupiscentiæ, appetitúsque nostri passiones, & inclinationes nostræ inordinatæ contra spiritum semper militant, semper pugnare, & illas jugiter mortificare, & sibimet vim inferre, necesse habet, qui vinci, & perire non vult: ut proin

proin meritò dicat Spiritus S. *Job. 7. v. 1. Militia est vita hominis super terram.* Et S. Climacus *grad. 1. Monachus est perpetua naturæ violentia, sensuúmque vigilantissima, & indefessa custodia.* Item S. Augustin. *Serm. 13. de Verb. Domini: Hoc est opus nostrum, in hac vita actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra.* Verùm de XII. hoc remedio magìs adhuc *in Parte posteriore*, ubi etiam dicetur, quòd perpetua mortificatio non inducat, aut secum trahat tristem, melancholicam, vel molestam vitam, sed potiùs pacem, gaudium, tranquillitatem, & jucunditatem inexplicabilem; sufficiat interea illud, quod S. Cyprianus *de Discipl. & bono pudic.* dicit: *Voluptatem vicisse, voluptas est maxima: nec ulla major est victoria, quàm ea, quæ è cupiditatibus refertur.* Magna sanè victoria, & nullo non sanguine, ac sudore emenda.

55. Quæritur III. Quænam sint Principia practica circa peccatum mortale firmiter tenenda? Resp. esse potissimùm sequentia.



Principium I.

56. SÆpe, & tamdiu de inexplicabili malitia, & damnis peccati mortalis legere, & meditari, donec perfectè non tantùm intelligantur, sed etiam profundè, firmitérque menti imprimantur, &, quod præcipuum est, summum ipsius peccati odium, & horror acquiratur.

Principium II.

57. FIrmissimum, & inviolabile propositum perpetuò habere, imposterum per totam vitam non peccandi mortaliter, potiúsque omnia excogitabilia mala, jacturámque omnium bonorum, ipsius etiam vitæ millies patiendi, quàm in unicum peccatum mortale consentiendi; præsertim, postquam aliquis infinitam illius malitiam, damnáque ejusdem cognovit, & Religiosus factus est; utpote in quo vel unicum, ídque minimum peccatum mortale extraordinariè foret monstrosum, & novum mereretur infernum.

Principium III.

58. EXistente doctrina inter DD. controversa, an aliquid sit peccatum mortale, vel non, in praxi semper probabiliorem, & tutiorem opinionem

eligere, nisi ob anxietatem, scrupulum, aut aliam rationem Confessarius, aut Superior aliud jubeat, vel suadeat.

Principium IV.

59. REmedia contra peccatum mortale per frequentem lectionem non tantùm bene cognita, & perspecta habere, sed iisdem etiam in praxi diligenter uti, & utendô habitum generare; qui enim remedia adhibere negligit, firmum, & efficax propositum non habet.



CAPUT IV.

De Peccato veniali.

§. I.

De Natura, & malitia Peccati venialis.

1. QUæritur I. Quid sit Peccatum veniale? Resp. Peccatum veniale est legis, & mandati à DEO immediatè, vel mediatè positi voluntaria transgressio, talis, quæ quidem DEUM offendit, pœnásque gravissimas inducit, DEO tamen, ejúsque amicitia totali, gratia sanctificante, & cœlô non privat, nec in gehennam præcipitat. Ita in re communis & certa.

2. Explicatur definitio. Dicitur primò: *Legis, vel mandati immediatè, vel mediatè positi.* Quæ verba intelligenda sunt ùt supra *Cap. preced. num. 6. & seqq.*

3. Dicitur secundò: *Voluntaria transgressio;* quia etiam ad peccatum veniale requiritur, ut voluntariè, & cum aliqua saltem mali cognitione, & advertentia fiat; aliàs enim peccatum non foret juxta communem Theologorum; quamvìs tanta advertentia, & voluntareitas non re-

requiratur, quanta ad peccatum mortale.

4. Dicitur tertiò: *Quæ quidem DEUM offendit, pœnásque gravissimas inducit;* siquidem quodvis etiam minimum peccatum veniale DEUM verissimè offendit, & injuriâ afficit, pœnásque certè gravissimas inducit, ùt patebit ex dicendis.

5. Dicitur quartò: *DEO tamen, ejúsque amicitia totali, & gratia sanctificante &c. non privat;* siquidem peccata venialia cum gratia sanctificante, & consequenter cum amicitia DEI non sunt incompatibilia, sed stare possunt; prout dicetur infra.

6. Quæritur II. In quo consistat malitia peccati venialis? Resp. I. Malitia peccati venialis principaliter consistit in hoc, quòd, dum quis DEI voluntatem, legem, vel præceptum leviter, vel in re levi transgreditur, hoc ipso illius voluntatem, legem, aut præceptum semper sanctissimum, & justissimum vilissimæ creaturæ, vanitati, aut voluptati, ob quam peccat, aliquo modo postponat, eámque minùs æstimet, quàm præfatam sanctissimam voluntatem, & legem Divinam, sícque eandem leviter saltem reipsa, & in effectu vilipendat, consequenter DEum ipsum offendat, & injuriâ respectivè quidem levi, absolutè autem gravissimâ afficiat.

7. Resp. II. Cujusvis etiam minimi peccati venialis malitia, etsi respectivè, id est respectu peccati mortalis sit levis, & in hoc sensu, nempe per comparationem & respectum ad peccatum mortale, leve peccatum communiter dicatur, absolutè tamen, & à parte rei gravissimum, imò majus malum importat, quàm omnia mala totius universi præterita, præsentia, futura, & possibilia simul sumpta, ita ut præstaret omnia dicta mala permittere, & tolerare, quàm unicum peccatum veniale v. g. leve mendacium officiosum, vel jocosum, vel unicum verbum verè otiosum, aut levem jactantiam, aut levem excessum in cibo vel potu, aut voluntariam distractionem in Divino officio, aut levem inobedientiam committere; neque liceret unicum, ídque minimum hujusmodi peccatum veniale perpetrare, etiamsi per illud omnia totius universi mala, omnia bella, omnes lites, omnes morbos, omnes dolo-

res, omnes afflictiones, omnia incendia, omnes ruinas, omnem adversitatem avertere, ipsúmque infernum, & pœnas infernales delere, ac extinguere; econtra omnia desiderabilia, & excogitabilia bona, omnes divitias, honores, & dignitates, voluptates, felicitates, & prosperitates, ipsúmque cœlum acquirere quis posset.

8. Mira sunt, quæ de grandi malo cujusvis etiam minimi peccati venialis dicunt SS. Patres, & Ascetæ, specialiter uno ore conclamantes, & inculcantes, ut immane hoc malum quivis bene consideret, & menti profundè imprimat, principaliter autem caveat, ne peccatum veniale parvum quid, aut leve æstimet, vel apprehendat. Profectò enim parvum, & leve malum non est, nec verè dici potest, quod omnibûs aliîs etiam gravissimìs totius universi malìs (solo excepto peccato mortali) incomparabiliter majus est. „ Sanè nescio (inquit S. Hieronymus *Epist. 14. ad Celantiam.*) „an possimus leve „ aliquod peccatum dicere, quod „ in DEI contemptum admittitur; éstque ille prudentissimus, qui non tam considerat, „ quod jussum sit, quàm illum, „ quis jusserit, nec quantitatem „ imperii, sed imperantis cogitat „ dignitatem. Unde S. Basilius *in Regul. contract* interrogat: *Quis ausit aliquod peccatum dicere minutum, cùm Apostolus decernat, ac dicat: per transgressionem legis DEUM dehonestas?*

9. Celeberrimus, & illuminatissimus Asceta Eusebius Niерembergius *in lib. de Adorat. in spiritu, & veritate, lib. 2. cap. 11.* postquam tremendam malitiam peccati venialis descripsit, & inter alia dixit, illud esse tantum malum, ut, si optio daretur, homo deberet potiùs permittere, ut cœlum, & terra cum omnibus creaturis inibi existentibus in nihil redigantur, aut totum genus humanum in æternum damnetur, quàm quòd unicum peccatum veniale committat; subjungit: „ Si Beatæ Virgini ad pedem crucis lacrymanti cruciatus, & mortem Filii dilectissimi daretur optio, an vellet „ Christum suum liberari ab opprobriis, & cruciatibus illis, & „ videre statim sedentem à dextera Patris, simúlque salvari „ mille mundos, aut assentire in „ unum peccatum veniale; po-

„tùis

„ tiùs vellet non facere illud, „ consuleréţque id mihi, & mallet iterum videre Crucifixum „ sine aliqua culpa suum dilectum Filium, ac graviora pati, „ atque si opus esset, & liceret, „ ipsa manu sua pientissima clavos figeret, & majori charitate, quàm Abraham sacrificaret. Quæso etiam (pergit ibidem) parúmne obsequii, & „ solatii fieret Virgini, & JESU, „ si homo aliquis fuisset, qui „ tunc se substituisset in monte „ Calvariæ locò Christi, ut pro „ illo cruci imponeretur, & pateretur? Crede tamen, quòd „ majus solatium à te potiùs requirerent, ut vitares peccata „ venialia. Hucusque Nierembergius.

10. SS. Patres, & aliæ Animæ sanctæ peccatum veniale semper pejus infernô reputârunt, & potiùs parati erant in infernum præcipitari, quàm unum peccatum veniale deliberatè committere. S. Anselmus *lib. de Similit. cap.190.* scribit: „ Si hinc peccati „ pudorem, & illinc cernerem „ inferni horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum „ mergerem, quàm peccatum in „ me immitterem. Mallem enim „ purus à peccato, & innocens „ gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum „ regna tenere.

11. Sanè Sanctæ Catharinæ Genuensi (ut refert Lancicius *Opusc.1. cap. 12.*) in spiritu monstratum fuit, multò pejus malum esse levissimam DEI offensam, quàm ipsum infernum. Hinc cùm eidem aliquando malitia, & turpitudo peccati venialis fuisset ostensa, non valens illam videre exclamavit: „ Non detrecto, quin omnia dæmonia cum „ universis illorum terroribus, „ & suppliciis mihi morienti „ commonstres; nihili enim illa „ facio cum intuitu offensæ tui „ licèt minimæ composita: quæ „ tamen non potest esse minima, „ eò quòd tua celsissima Majestas offendatur: in ejus vita *cap. 20.* Nam (pergit hæc sancta Anima *cap. 24. vitæ.*) „ sola obscura, sola, inquam, obscura visio hac de re mihi oblata, quæ „ non nisi momentanea fuit, si „ paulò diutiùs durâsset, licèt „ corpus habuissem prorsus adamantinum, interiissem. Demum quidquid modis omnibus in medium adduco, respe-

„ ctu

„ ctu ejus, quod mens mea agnovit, mendacium mihi videtur; dum hæc imperfecta visio me pene exanimâsset; omnis in corpore meo sanguis fuit congelatus, tantámque debilitatem incurri, ut putârim mihi ex hac vita migrandum; sed Bonitas DEI me superstitem voluit ad eam enarrandam.

12. Idem judicium de peccato veniali habuit S. Theresia, quæ *in vita sua cap. 25.* ita ait: „ Faxit DEUS, ut timeremus id, quod debemus timere, & intelligeremus, majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quàm à toto simul inferno: cùm hæc ipsissima veritas sit. Tomus integer requireretur, nec sufficeret ad explicandam gravitatem malitiæ, quam continet peccatum veniale.

13. Quæritur III. Quomodo differat peccatum veniale à mortali? Resp. Peccatum veniale à peccato mortali principaliter differt in hoc, quòd venialiter peccans DEUM creaturæ totaliter non postponat, sed adhuc præferat, eúmque magìs quàm istam æstimet; consequenter etiam in opere, & effectu illum nec verè nec ita, uti mortaliter peccans vilipendat, & hoc ipso per peccatum veniale DEUS, ejúsque amicitia, & gratia sanctificans non amittatur, ac venialiter peccans virtualiter saltem, ac implicitè ita constitutus esse censeatur, ut, si ob creaturam, voluptatem &c. intuitu cujusmodi peccat, DEUM, ejúsque amicitiam se amissurum sciret, creaturam illam, & usum illius derelinquere paratus esset: per hoc enim evidenter indicat, quòd appretiativè DEUM revera magìs æstimet, quàm creaturam. Secùs est in mortaliter peccante, prout *Cap. præced.* fusè dictum est.

§. II.

De Effectibus, & damnis Peccati venialis: nec non de Remediis.

14. QUæritur I. Quæ, & quanta damna, sive malos effectus causet peccatum veniale? Resp. Effectus & damna, quæ à peccatis venialibus causantur, esse tot, & tanta, ut nisi Fides, & unanimis Ecclesiæ, ac SS. Patrum consensus

ſus doceret, nemo credere poſſet. Omiſsìs innumerìs aliìs, aliqua tantùm adducemus.

15. I. Peſſimus effectus eſt, quòd peccata venialia diſponant ad mortale, & per conſequens ad omnia damna ex peccato gravi provenientia, de quibus ſupra §. *praeced. à num. 25.* De hoc exiſtit infallibile teſtimonium Spiritûs S. *Eccleſ. 19. v. 1. Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Et *Lucæ cap. 16. v. 10. Qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Idem aſſerunt, & mirè inculcant omnes SS. Patres, & Aſcetæ, ùt S. Auguſtinus *Serm 88. de Tempore:* „ Dum homines negligentes deſpiciunt peccata ſua, quia parva ſunt, creſcentibûs minutìs peccatìs adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt. S. Gregorius *lib. 10. Moral. cap. 9.* „ Cùm priùs per levia delicta defluimus, & uſu cuncta levigante, nequaquam poſt committere etiam graviora timemus. Nam (ut *part. 3. Paſtor. admon. 34.* rationem reddens ait) „ fit plerumque, ut mens aſſueta malis levibus, nec graviora perhorreſcat, atque ad quandam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat, & tantò in majoribus contemnat pertimeſcere, quantò in minimis didicit non timendô peccare. Hinc Theologi cum D. Thoma communiter, & abſolutè docent, peccata venialia diſponere ad mortalia.

16. Ratio eſt: tum quia, ut S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib. 2. ſent. cap. 19.* ait: *Judiciò Divinò in reatum nequiorem labuntur, qui diſtringere ſua facta minora contemnunt.* Tum quia removent obſtacula peccati mortalis, nempe minuunt fervorem charitatis, & timorem DEI; tum quia impediunt peculiaria auxilia Divina, & uberiores gratias, quibûs alioquin homo à peccato mortali fuiſſet inhibitus; tum etiam quia DEO permittente in majores, & graviores tentationes, pluréſque occaſiones, & graviora peccandi pericula homo incidit.

17. Hinc diabolus volens hominem timentem DEUM, præſertim Religioſum aggredi, & ad peccata mortalia perducere, non ſtatim ad ipſa gravia tentat, ſed inprimis ad levia, bene ſciens, quòd homo minoribûs commiſsìs ad reſiſtendum majoribus debilior, & ad eadem perpetranda

da proclivior, consequenter superatu facilis evadat; quod bene advertens S. Dorotheus *Doctr. 5.* ait: „ Cùm quempiam cognoverit diabolus elegisse nullo „ modo peccare, neque est adeò „ amens, & ineptus ad malè „ agendum, ut statim illi suggerat, aut persuadeat quidpiam „ malorum profanissimorum, „ qualia sunt adulteria, furta, incestus, sacrilegia; novit enim, „ quia talia declinamus, & fugimus. Sed inveniens nos unicæ voluntatis & justitiæ, quærit nos callidus cum ea sub aliquo rationis prætextu decipere: tunc justitiam admiscet justitiæ nostræ, tunc fortior est, „ tunc magìs nocet, tunc amplius operatur. Tantæ quippe astutiæ est serpens antiquus, ut hominem DEUM timentem non invadat suggestione aperti sceleris, sed primùm paululùm restringit rigorem justæ discretionis, qui autem modica spernit, paulatim decidet: utì circumspectè observavit S. Bernardus *Serm. 3. de Nativ. Dom.* in hæc verba loquens: „ Plerumque, „ quod simplici oculo aspeximus, versipellis contortor in „ offendiculum retorquet, ac „ scandalum &c. Venit in Oratorium, Dormitorium occupat, insidet Refectorio, circuit „ Claustrum, revisit Officinas, „ nullam prætermittit artem nocendi, sed ubilibet suæ calliditatis assignat argutias &c. Eapropter cùm aliquos suorum ad levia peccata faciles videret, multùm tristabatur timens, ne in mortalia prolabantur: ait enim *Serm. 2. de 7. Panib.* „ Hinc mihi „ fratres tristitia magna, & dolor „ continuus est cordi meo, quòd „ nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, & ad scurrilia „ verba tam faciles video, ut pertimescam valde, ne fortè plus, „ quàm expediat, Divinæ misericordiæ sint immemores, & „ ingrati tam multis beneficiis „ suis aliquando deserantur à „ gratia.

18. Nec objicias commune illud tepidorum dictum, quid magni est hoc, vel illud? quid refert? quid importat? levia sunt, modica sunt, non impediunt salutem, aut perfectionem consequendam, non multùm curanda, vel attendenda &c. Resp. enim, esse vel maximè attendenda: tum quia licèt respectivè levia, tamen absolutè gravissima mala

mala sunt, juxta dicta §. *praced. num.* 7. tum quia, uti dictum, ad graviora adducunt, inducunt, & trahunt. Hinc contra pessimum hoc tepidorum commune dictum mirè insurgunt SS. Patres, uti S. Dorotheus *Doctr.* 3. *de Consc. Studeamus custodire conscientiam nostram, neque conculcemus illam in aliquo, etsi id minimum sit. Ut enim videre facile est, ex his minimis, & verè vilibus ad magna contemnenda dilabimur. Cùm enim cœperit quis dicere, quid est, si verbulum hoc unicum locutus fuero? quid est, si modicum hoc comedero? ex hoc, quid id? quid illud? admittitur mala, & amara esca, & sensim incipit quis, ac pedetentim in majora, & graviora prolabi, & sic deinceps per partes proruens periclitatur, atque in perfectam insensibilitatem decidit. Curate levia quoad levia, ne graviora fiant: & virtutes, & peccata à parvis incipiunt, & ad magna vel bona, vel mala perducunt.* S. Chrysostomus *in c.* 7. *ad Rom. hom.* 12. „ Exhortor, inquit, initiò, ut caveamus, vel pusilla fugientes mala; nam magna ab his nascuntur. Etenim qui in unoquoque peccato dicere edoctus est, non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia pessundabit. Hoc igitur vitiositatem ipsam attraxit, hoc januas reseravit prædoni, quoties dicis: non hoc ad rem magnopere pertinet; sic & in ipsis corporibus usuvenire videmus, ut magnæ ægritudines augeantur, quoties parvas negligimus. S. Bernardus *Serm.* 1. *in Convers. S. Pauli:* „ Discite fratres! justum Judicem DEUM, non modò quid fiat, sed & quo animo fiat, considerare: & cavete deinceps, ne quis parva reputet quamlibèt parva, scienter delinquere convincatur: nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis: hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia; hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis.

19. Quapropter, cui curæ est, ne per peccata mortalia DEUM offendat graviter, & se in periculum æternæ damnationis projiciat, studeat omni conatu vitare venialia, præsertim deliberata; quia certum est, illum, qui venialia vitare sedulò non curat, in peccata mortalia prolapsurum;

rum; etiamsi plurimorum annorum Religiosus, & in certamine spirituali exercitatus esset, nec non inter perfectiores ambulare videretur. Est enim una ex præcipuis fraudibus diaboli, quòd eos, qui peccata venialia vitandi nullam, vel modicam curam habent, quoad graviora intentatos subinde per plures annos relinquat, ad hoc, ut illos falsâ specie securi, boníque statûs animæ, & conscientiæ suæ deceptos, in tali periculoso statu conservet, optimè gnarus, quòd tempore sibi magìs opportuno, & miseris illis magìs periculoso, illos ad graviora pertrahere facilè queat. Hinc S. Gregorius Papa *part. 3. Pastor. admonit. 34.* ait: *Nonnunquam in parva deteriùs, quàm in majori culpa peccatur. Major enim, quo citiùs agnoscitur, eò etiam celeriùs emendatur; minor verò, dum quasi nulla creditur, eò pejùs, quò & securiùs in usu retinetur.*

20. Horrenda sanè, & quasi innumera sunt exempla, sæpe unicum peccatum veniale voluntariè, & consideratè commissum causam fuisse, quòd homines etiam perfectiores ad gravia prolapsi sint peccata. Sufficiat unicum adducere Davidem, cui aliàs viro secundùm cor DEI, tamen unicus curiosus aspectus mulieris, ab initio utique tantùm venialis, causa fuit, quòd in turpissimum adulterium, & homicidium fuerit prolapsus.

21. II. Damnum, & pessimus effectus peccatorum venialium est, quòd impediant futuras uberiores gratias, & specialia auxilia, lumina, & dona Divina, specialémque providentiam, & protectionem Amantissimi DEI, quibûs privatus homo diu subsistere non potest; quin in varias tam temporales quàm spirituales, tam corporis quàm animæ miserias præceps ruat; ùt copiosè demonstrant SS. Patres & Ascetæ; „Minima nisi rescindantur, inquit Richardus à S. Vict. *in Exposit. super Cant. cap. 35.* „non dignatur dilectus ita venire in animam, ut perfectè ad „eam intret, & perfectâ gratiâ „eam repleat. Parvæ enim negligentiæ obscurant animam, „& impedimentum faciunt amplioris gratiæ. Nam, ùt ait Hugo Cardinalis *in Lib. Eccles. cap. 10. Sicut nemo libenter habitat in domo plena muscis, imò fugit, & abominatur illam: sic DEUS mentes muscosas declinat;* nec habitat in ani-

animabus peccatorum venialium sordibus contaminatis: id est, per gratiarum cœlestium, & specialium auxiliorum abundantiam non assistit, sicut facturus fuisset, si, quantum humana fert fragilitas, immaculatam se conservâsset.

22. III. Damnum, & malus effectus est, quòd peccata venialia minuant fervorem charitatis, extinguant devotionem, tollant familiaritatem cum DEO, & confidentiam ad eum, reddántque animam desidem, lánguidam, tepidam, & ad bene operandum pigram efficiant, vires ad resistendum malis debilitent, & econtra augeant amorem mundanum, passionésque, & affectus inordinatos intendant, virtutum habitus diminuant, & paulatim extinguant, sícque pedetentim ad mala graviora, & periculosissimum statum disponant. Audiamus de hoc defectu S. Bernardum *Serm. 63. in Cant.* ubi de frigore ex diminuto fervore charitatis per peccata venialia causato, ita scribit: „ Hoc frigus, „ si semel animam, animæ quidem (ut assolet) incuriâ, spiri„ tu dormitante pervaserit, à ne„ mine deinde, quod absit, in„ hibente, ad interiora ejus per„ venerit, descenderit in viscera „ cordis, & sinum mentis, con„ cusserit affectiones, occupave„ rit consilii semitas, perturba„ verit judicii lumen, libertatem „ adduxerit spiritûs, mox (ùt in „ corpore solet evenire febrici„ tantibus) subit quidam animæ „ rigor, & vigor lentescit: lan„ guor fingitur virium, horror „ austeritatis intenditur, timor „ solicitat paupertatis, contra„ hitur animus, subtrahitur gra„ tia, protrahitur longitudo vi„ tæ, sopitur ratio, spiritus ex„ tinguitur, defervescit novitius „ fervor, ingravescit tepor fasti„ diosus, refrigescit fraterna „ charitas, blanditur voluptas, „ fallit securitas, revocat consue„ tudo. Quid plura? Dissimula„ tur lex (DEI videlicet, & Ecclesiæ, Ordinúmque statuta, ac „ Regulæ) abdicatur jus, fas pro„ scribitur, derelinquitur timor „ Domini; dantur postremò „ impudentiæ manus, præsumi„ tur ille temerarius, ille puden„ dus, ille turpissimus, plenus ille „ ignominiâ, & confusione, sal„ tus de excelso in abyssum, de „ pavimento in sterquilinium, „ de solio in cloacam, de cœlo

„ in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. Parisimiliter loquitur celeberrimus Theologus, & Asceta Taulerus *cap. 2. instit.* „ Sicut enim (ait) „ densa nebula oculos carnis impedit, sic peccata venialia mentis oculum obfuscant, „ ut DEUM inspicere nequeamus; Divinæ quoque dilectionis fervorem extinguunt, orationes nostras difficiliùs, quàm „ si ea non admitteremus, exaudiri faciunt, animum deturpant, atque commaculant; „ unde Spiritus S. contristatur, „ malignus verò spiritus exultat; „ DEI ab anima familiaritatem, „ quamdiu non emendantur, excludunt. Ad majora, gravioráque peccata hominem pertrahunt, vires animæ ad resistendum pravis inclinationibus debiliores reddunt, hominem ad bene agendum pigrum, „ & acediosum efficiunt, desideriáque ad temporalia inclinant, „ purgatorii cruciatus prolongant, & à DEI præsentis intuitu diutissimè retardant.

23. IV. Damnum, & effectus peccatorum venialium est, quòd causent maximum, ídque multiplex impedimentum ad assequendam perfectionem Religiosam, & profectum in virtutibus, adeò ut certum sit, illum nunquam ad perfectionem, vel solidas virtutes perventurum, qui parùm solicitus est de peccatis venialibus vitandis.

24. V. Damnum, & effectus peccatorum venialium est, quòd mirè deturpent, & maculent, ægrámque quasi, ac infirmam reddant animam, adeò quidem, ut omnes quantumvis horribiles morbi, vulnera, & fœditates, in unum corpus, quantùm capax est, conjectæ, illud non ita deturpent, nec tam fœdum reddant coram oculis hominum, sicut vel unicum peccatum veniale, præsertim deliberatè commissum commaculat, & deturpat animam coram oculis Divinæ Majestatis, & Angelis ejus. *Peccatis minutis,* inquit S. Auguft. *Serm. 41. de Sanctis. licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem reddunt.* S. Gregorius Nyssen. *in Psalm. 6.* quævis peccata vocat *Sordes hominis*, & quæ sunt quasi morbi elephantiaci, atque lepræ animarum, quæ sordidam reddunt animam. „ Est enim, ait Alvarez *Tom. 2.*

Tom. 2. lib. 1. part. 1. c. 10. „ peccatum veniale, si attentè ipsum „ inspiciamus, non quidem mors „ animæ, sed est adversa valetudo, & infirmitas animæ, quæ „ & ipsam animam fœdat, atque „ à debita dispositione bene, & „ fervidè operandi disjungit. „ Sunt ergo peccata levia, sicut „ pestilentes morbi, quos si diligentissima medicina non comprimat, certissimam, & citissimam mortem intentant. Norimb. *de Adorat. in Spiritu, & Verit. lib. 2. cap. 13.* ait: „ Gravissimum „ putares, cancrô laborare, exuri, & pati membra tua: quid „ si ad hæc jungerentur cæteræ „ ægritudines majores, lepra, „ asthma, paralysis, hydropisis, „ abominatio stomachi, podagra, cœcitas, phrenesis, stupor „ linguæ &c. una sola culpa venialis magìs nocet animæ, „ quàm cuncta illa corpori.

25. VI. Damnum, seu effectus peccatorum venialium sunt gravissimæ poenæ, quibûs DEUS peccata venialia tam in hoc, quàm altero mundo punit. Et hic effectus multipliciter patet ex S. Scriptura, ùt *num. 20. v. 12.* ubi narratur, quòd DEUS dilectissimum servum suum Moysen ob unicum peccatum veniale, videlicet ob modicam dubitationem, quam habuit de Divino promisso, dum percutiebat petram, gravissimè punierit privandô illum ingressu in terram promissam: *quia non credidistis mihi* (ait ibidem ad Moysen, & Aaron DEus) *ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.*

26. Mirè exaggerant hanc pœnam SS. Patres considerandô, qualis, & quantus DEI servus fuerit Moyses. Erat enim vir sanctissimus omnes alios Prophetas superans: nam, ùt dicitur *Deut. ult. v. 10. Non surrexit ultra Propheta in Israel, sicut Moyses.* Item *erat vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Num. 12. v. 3.* Erat in omnibus fidelissimus, prout de eodem DEUS testatur *Num. 12. vers. 7. Servus meus Moyses in omni domo mea fidelissimus est.* Erat DEO acceptissimus, ac dilectissimus, adeò ut illum non tantùm specialissimîs donîs, & gratiîs cumulaverit, sed etiam summa cum familiaritate cum ipso conversatus fuerit: enimvero *loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Exod. 33. vers. 11.* Unde

Unde DEUS ipse dicit *Num. 12. v. 6. & seqq. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses? ore enim ad os loquor ei, & palam; & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Erat insuper tot, & tantîs miraculîs clarus, ut nullus fuerit ei similis; & tamen hunc tam sanctum, tantopere dilectum, tam mirabilem servum suum ob unicum peccatum veniale tantâ afflixit pœnâ, & quidem irremissibiliter, & inexorabiliter; cùm enim multîs precibûs hanc pœnam deprecari conaretur, DEUS illum non tantùm non exaudivit, sed etiam vetuit, ne quidquam ampliùs loqueretur de hac re, prout ipse testatur *Deut. 3. v. 26.* illîs verbîs: *Nec exaudivit me, sed dixit mihi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.*

27. Similiter David sanctissimus, & teste S. Scripturâ *Act. 13. v. 22.* vir secundùm cor DEI, eíque dilectissimus, ob unicum peccatum veniale, vanam scilicet gloriam, & parvam animi elationem, ex qua jussit numerari populum, vanè sibi complacens, & quasi glorians in multitudine, gravissimè fuit punitus à DEO, qui propterea populum pestilentiâ percussit, eáque delevit septuaginta millia virorum. *Lib. 2. Reg. cap. 24.*

28. Ob simile peccatum veniale, vanitatem, & parvam animi elationem, quâ Rex Ezechias Legatis Regis Babylonis suos ostendit thesauros, gravissimè fuit punitus à DEO, non solummodo ille peccans, sed etiam totum Regnum, *Lib. 4. Reg. cap. 20.* Post commissam enim hanc vanitatem solùm peccatum veniale efficientem: *Venit Isaias Propheta* (inquit textus *v. 14. & seqq.*) *ad Regem Ezechiam, dixítque ei: quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? cui ait Ezechias. De terra longinqua venerunt ad me de Babylone; at ille respondit. Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: omnia, quæcunque sunt in domo mea viderunt, nihil est, quod non monstraverim eis, in thesauris meis. Dixit itaque Isaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini. Ecce! dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed & de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi*

evnuchi in palatio Regis Babylonis. Quæ pœna, ob præfatum unicum peccatum veniale vanæ gloriæ, & elationis à Propheta prædicta, postea etiam executioni mandata est, prout describitur *Lib. 4. Reg. cap 24. v. 13. & seqq. Et protulit* (Rex Babylonis ex Jerusalem) *omnes thesauros domûs Domini, & thesauros domus Regiæ &c. & transtulit omnem Jerusalem, & universos Principes, & omnes fortes exercitûs decem millia in captivitatem, & omnem artificem & clusorem, nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ: transtulit quoque Joachim* (Regem) *in Babylonem, & Matrem Regis, & uxores Regis, & evnuchos ejus, & Judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem &c.*

29. Dein *Lib. 4. Reg. cap. 2. v. 23. & 24.* legitur, quòd DEUS quadraginta duos pueros ob peccatum veniale commissum ex eo, quia Eliseum Prophetam irriserunt, dicendô: *Ascende calve, ascende calve*, morte punierit, tradendô eos devorationi ursorum: siquidem post illa, disponente DEO, *egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.*

30. Uxor quoque Loth ob curiosum, & leviter peccaminosum visum, versa est in statuam salis, ùt refertur *Genes. cap. 19.*

31. Adhuc graviores sunt pœnæ, quibûs eadem peccata venialia DEUS punit in altero mundo, videlicet in purgatorio igne, ubi pœnæ tam graves, tam acerbæ, ac intensæ sunt, ut superent omnem captum humani intellectus. Audiamus pauca tantùm ex his pœnis ex SS. Patribus. S. Augustinus *in Psalm. 37.* S. Anselmus *in Epist. 1. Corinth. 3.* & alii expressè dicunt: *gravior est ignis purgatorii, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* S. Cæsarius *Homil. 8. ad popul.* ait: *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid pœnarum in hoc sæculo aut cogitari, aut videri, aut sentiri potest.* S. Cyrillus Hierosol. *in Epist. ad S. Augustinum* scribit: „Si omnes, „quæ in mundo excogitari possent, pœnæ, tormenta, afflictio-„nes minori, quæ illic in purga-„torio habetur, pœnæ compa-„rentur, solatia erunt; mallet „enim quilibet viventium, si il-„las experientiâ nosceret pœ-„nas, usque ad finem mundi „omnibûs hîs simul sine reme-„dio cruciari pœnîs, quas omnes „homines sigillatim ab Adam „hucusque pertulerunt, quàm „uno

„ uno die in inferno, sive in pur-„ gatorio, minori, quæ illic ha-„ betur, pœnâ torqueri. Concordat Venerabilis Beda *in Psal. 37.* ubi ait: *Purgatorii correctionem esse graviorem, quàm quidquid sancti Martyres, vel quidquid homo possit excogitare.* Imò S. Thomas *in 4. dist. 21. q. a. 1. ad 3.* docet, pœnam purgatorii minimam, excedere maximam hujus vitæ. Idem docet S. noster Bonaventura *Lib. 4. Sentent. dist. 20. part. 1. art. 1. q. 2. quòd pœna purgatorii gravior est omni temporali pœna.* Hoc itaque terribili, & tremendo pœnarum genere punit DEUS etiam levissima peccata venialia in hac vita nondum deleta, prout non tantùm fides docet, sed innumeræ testantur historiæ, quarum aliquas adducere juvat.

32. Fr. Elias à S. Theresia *in Legat. triumph. Eccles. ad milit lib. 1. cap. 27. n. 13.* narrat, quòd Cellarius quidam in Monasterio S. Ruffi prope Valentiam vir aliàs devotissimus, post mortem in officina sua cellaria terribilem persæpe causârit tumultum, & tandem à viro sancto interrogatus, cur ita tumultuaret, responderit, se gravissimîs in purgatorio torqueri pœnîs, ex hoc solo, quòd ob nimias occupationes externas pro gratiarum actione à prandio, locò Psalmi *Miserere*, solùm brevem dicere solitus sit Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes &c.* rogavit proin, ut Fratres omnes pro se per annum Psalmum *Miserere* recitarent: quod ubi factum, è purgatorio liberatus fuit.

33. Annales Cistercienses narrant, quendam purgatorii flammis punitum fuisse; quia ad versum *Gloria Patri &c.* caput ex præscripto non inclinâsset.

34. In Speculo Exemplorum *Dist. 7. Ex. 58.* narratur, quòd quidam Pater ex Ordine S. Dominici mense integro in horrendis purgatorii flammis morari debuerit ob nimiam familiaritatem cum sæcularibus, & solatia ex eis hausta.

35. Idem Speculum Exemplorum *Dist. 6. Exemp. 142.* habet, quòd cuidam Fratri ægroto Abbas cum quindecim aliis Fratribus apparuerit dicens, eos graviter puniri in purgatorio propter distractiones in Oratione admissas, neque liberari posse propter negligentiam Fratrum in Oratione pro ipsis fusa.

36.

36. Cantipratanus *lib. 2. cap. 16.* refert, quòd Hugo Victorinus post mortem apparens socio dixerit, propter disciplinam recusatam vix dæmonem in inferno fuisse, à quo non ictum in transitu per purgatorium acceperit.

37. Vita B. Magdalenæ de Pazzis *part. 3. cap. 5.* habet, aliquam Monialem Carmelitanam sexdecim diebûs cruciatam fuisse in purgatorio ex hoc solo, quòd ex respectu humano non monuerit Superiores Monasterii de aliquâ re, ad quam se inspirari sentiebat.

38. Vincentius Belvacensis *in Specul. Histor. lib. 26. cap. 5.* refert, Durannum ex Abbate Episcopum Tolosanum, virum cæteroquin pium, idcirco aliquamdiu in purgatorio detentum, quia sæpe verba ad risum moventia usurpaverit; indéque tandem septem Fratrum Monachorum silentiô ad septem dies continuatô fuisse ereptum.

39. Cæsarius *lib. 12. cap. 57.* scribit, quòd sæpius audiverit ex ore Elinophi viri Religiosi, se post mortem à diabolo accusatum coram DEO fuisse, quòd in pueritia obolum furatus sit fratri suo germano, nec ob id egisset poenitentiam: qua de causa jussu DEI anima illius in puteum igneum fuit projecta, ubi tantam pœnam pertulit, ut postea verbis exprimere non valeret: post horam verò anima ab Angelo ex puteo iterum erepta, & corpori restituta fuit. Quo facto ipse Religionem intravit.

40. Ex hac pœnarum acerbitate, & gravitate etiam colligere licet, quantam malitiam contineat unicum, vel levissimum peccatum veniale; cùm DEUS, qui tamen minùs, quàm demerita exigunt, punit, simúlque non tantùm justus, sed etiam misericordissimus Judex, imò & Pater est, tot, tantísque pœnîs ob illud tam in hoc, quàm in altero mundo castiget animam à se infinitè dilectam, suíque imaginem, & sanguine Filii sui redemptam &c. Certè, si quis carens notitiâ purgatorii, permittente, ac disponente DEO videret hominem immanibûs illîs flammîs, & pœnîs purgatorii torqueri, & interrogaretur, ob quam causam puter, hunc miserum tantopere torqueri? sinè dubio responderet, talem hominem atrocissima debuisse patrâsse crimina, & extremæ reum fore iniquitatis.

Cui si dein notificaretur, illum ob unicum peccatum veniale, v.g. mendacium jocosum, vel verbum otiosum hæc pati, absque dubio reponeret: ergo injustissimus, & tyrannus est Judex ita condemnans, & puniens. Si verò ulteriùs certificaretur, Judicem esse Justissimum, & Misericordissimum, imò Amantissimum Patrem illius, qui punitur, nec non Sapientissimum, qui delictorum iniquitatem, & demerita exactè cognoscit, necessariò inferre deberet; ergo peccatum tale veniale gravissimam contineat malitiam, necesse est.

41. Quæritur II. Quæ sint Remedia contra peccata venialia? Resp. esse ea ipsa, quæ supra *Cap. III.* § *II.* *Q. III.* sunt assignata, quæ revide.

42. His mediis accedit, & ad vitanda peccata venialia plurimùm servit diligens custodia, & mortificatio quinque sensuum, de qua *in Parte posteriore.* Item frequens consideratio, gratius, & acceptius esse DEO, B. V. Mariæ, & toti cœlesti Curiæ, unicum peccatum veniale amore DEI vitare, & tentationi ad illud resistere, séque, seu inordinatam passionem suam ad illud evitandum mortificare, & abnegare, quàm innumera bona opera externa v.g. disciplinæ usque ad sanguinem &c. facere. Et tandem ad perfectionem tendendi, & proficiendi in virtutibus ardens desiderium.



CA-

CAPUT V.

De Tentationibus ad Peccatum.

§. I.

De Praxi, & modo utiliter resistendi Tentationibus.

1. PRænotandum, paulò aliam esse praxin, & modum resistendi, & pugnandi contra peccata actualia, ac tentationes ad ea inducentes, & aliam esse praxin, ac modum debellandi, & extirpandi inordinatas nostras passiones, & vitia, seu habitus vitiosos, ex frequentatis actibus, seu peccatis actualibus generatos. In præsenti tantùm erit sermo de priori praxi, & modo; quia de praxi, & modo eradicandi, & extirpandi malas passiones, & vitia, seu malos habitus specialiter dicetur *in Parte posteriore;* licèt utraque praxis in multis conveniat, prout suô locô patebit.

2. Notandum ulteriùs, tentationes ad peccatum subinde esse improvisas, & subitaneas, nullam moram patientes, quales sunt subitanei passionum, ac inclinationum nostrarum motus v. g. iræ, indignationis, impatientiæ, vanæ complacentiæ, vanæ gloriæ, tentationis carnalis &c. subinde verò esse tales, quæ bene prævidentur, moram patiuntur, utpote existentes circa objectum diutiùs durans, prout contingit v. g. in persecutionibus, afflictionibus, morbis &c.

3. Contra utrasque apprimè quidem serviunt remedia supra *Cap. III. à num. 38.* enumerata: sequentia autem specialissimè, vel habitualiter, vel actualiter adsint, & vel implicitè, vel explicitè adhibeantur. *Primò.* Firmissimum, & efficax propositum deliberatè, & cum advertentia nunquam peccandi. *Secundò.* Humillima diffidentia in seipsum, & vires proprias. *Tertiò.* Firma, & indubitata confidentia, & fiducia in DEUM, ejúsque gratiam, & auxilium Divinum.

Quartò. Oratio, seu invocatio gratiæ, & auxilii Divini. *Quintò.* Perpetua quasi, ac discreta, simúlque quieta cura, & solicitudo, ne peccemus. *Sextò.* Vis, & mortificatio, manúsque appositio.

4. Enimvero ut de singulis brevissimam rationem demus, aliqua repetendô: I. Si homo non habet firmum, & efficax propositum deliberatè, ac cum advertentia nunquam peccandi, in varia peccata certissimè prolabetur; cùm voluntas facilè consentiat in illud, quod ejusdem firmæ resolutioni, principiis, & proposito contrarium non est; præsertim si ad id perversa natura per se inclinat, & ad idem mundus, & dæmon omnibûs motivîs, dolîs, & exemplîs suadent, ac inducunt, prout fit præsertim circa peccata venialia.

5. II. Nisi quis habeat humillimam sui diffidentiam, sed confidat in seipsum, vel præsumat de viribus, & virtute, scientia, vel praxi sua &c. infallibiliter in plurima etiam graviora peccata ruet; DEO ipsum deserente, donec a‹g›noscat, se nihil posse, quàm errare, & peccare.

6. III. Debet adesse etiam firma confidentia in DEUM; quia sola diffidentia suiipsius sine confidentia, & fiducia in DEUM pusillanimitatem causaret: ubi econtra firma in DEUM fiducia, facilè victoriam obtinet; quia confidentibus in DEUM non est confusio.

7. IV. Requiritur fiducialis oratio, seu invocatio auxilii Divini: hoc ipso enim, quòd homo de seipso plenè diffidat, sciátque, & credat, se sinè DEO, ejúsque auxilio nihil posse; ac econtra ejusdem auxilio, & gratiæ unicè, & totaliter innitatur, & confidat, necessarium consequens est, ut DEUM pro auxilio & gratia sua invocet; præsertim cùm ipse jugiter rogari, & invocari velit. Debet autem oratio esse fiducialis, id est, cum fide, & fiducia fieri, quia hujusmodi infallibiliter exauditur; cùm econtra hæsitans, & dubitans in fide vix exaudiatur.

8. V. Requiritur, vel potiùs præsupponitur perpetua quasi vigilantia, cura, & solicitudo, ne peccemus; hæc enim, ubi deest, & homo inconsideratè, aut sinè cura in rebus, negotiis, & actibus

bus suis se habet, illud statim agens, aut omittens, ad quod passio, aut impulsus naturæ, vel habitus, & consuetudo inclinat, aut quod ratio aliqua, & motivum non examinatum subitò suadet, non potest non persæpe errare, & peccare.

9. VI. Quantumvìs præfata omnia adsint, nisi dein homo etiam manum apponat, & requisitâ ad vitandum peccatum curâ agat, ac propterea vìm sibi inferat, consequenter opponentes sese malas passiones, & corruptam naturam mortificet, sinè dubio succumbet: sæpissimè enim ab initio, imò ordinariè contingit, quòd homo etiam efficacissimô firmatus propositô, sibíque plenè diffidens, & firmiter confidens in DEUM, eúmque invocans, cautéque, & consideratè ambulans, maximam adhuc sentiat difficultatem in vitando peccato, & agendo, vel omittendo illo, quod ad vitandum peccatum requiritur, resistentibûs plerumque corruptæ naturæ nostræ passionibûs, & inclinationibûs, amoréque proprio, & sensualitate in contrarium propendente: hinc necesse omnino est, ut etiam homo manum apponat, &, quod suum est, agat, vim sibi ipsi inferat, passiones inordinatas, voluntatem, judicium, & amorem proprium, unà cum sensualitate abneget, & mortificet, agendóque fortiter, aut omittendô, consequenter, quod suum est, addat, & agat, non quòd per suam cooperationem, & manûs appositionem quidquam efficere, indéque in sua cooperatione quodammodo confidere, ac ob eam sibi quidquam adscribere possit, sed, quia DEUS vult, ut etiam homo cooperetur, &, quod suum est, peragat, utpote sinè quo ipse juvare, aut succurrere, vel opus solus perficere non vult. Suppositîs itaque hîs mediîs, & armîs spiritualibûs

10. Quæritur I. Quomodo in praxi tentationibus ad peccatum actuale utiliter resistere, eásque oppugnare, & vincere possimus? Resp. Quandocunque sive à dæmone, sive à mundo, sive à perversa natura insurgit aliqua tentatio ad peccatum, sive grave, sive leve, I. statim, & quamprimum advertis, sinè ulla mora ex horrore, & timore peccati, seu offensæ DEI te oppone, & ante omnia diffidens tibi ipsi, & viribus tuis, timénsque

que tuam fragilitatem, & impotentiam, ac econtra confidens in DEUM, humillima cum diffidentia tuiipsius, & firmâ confidentiâ in Divinam Bonitatem, & ejus gratiam recurre ad DEum, illúmque breviter invoca pro assistentia, auxilio, & gratia; nec non subinde etiam ad B. V. Mariam, & Angelum Custodem, vel alium Patronum specialem.

11. II. Interna mente, vel subinde etiam ore breviter contradic, & resiste tentationi malæ, atque protestare contra eandem, & contra omnem consensum in eam, denuóque auxilium Divinum implora.

12. III. Assuesce etiam actum, seu virtutem contrariam illi peccato, ad quod tentaris, elicere v.g. actum humilitatis, si tentaris ad superbiam, actum charitatis, si tentaris rancore, invidia, indignatione contra proximum &c.

13. IV. Quando hîs præstitis inordinatæ passionis motus necdum cessat, & tentatio diutiùs adhuc durat, juva voluntatem breviter considerandô motiva, quæ ipsam persuadere possunt ad fortiter se opponendum tentationi, & virtutem contrariam exercendam. Quòd, si tentatio fortior, gravior, & forsan etiam diuturnior sit, ampliori etiam motivorum consideratione, præsertim malitiæ peccati voluntas juvanda erit, si tempus, occasio, & præsens occupatio patitur; sin minùs, tempore recollectionis, aut meditationis id præstandum erit.

14. V. Superata tentatione DEO gratias age, eíque soli honorem, & gloriam humillimè tribue, omni vana complacentia propria, aut elatione penitus exclusa, tentationem eandem (nisi sit tentatio impura) tibi rursus propone, & eam quasi in te excita, atque contra eam rursus præfatô modô certa.

15. VI. Postea, si vacat, vel si tempus, aut occupatio præsens non admittit, ad tempus recollectionis, aut meditationis id differ. Ut autem rem magìs intelligas, & faciliùs practicare valeas, declaratur practicè.

16. Ponamus v.g. ex irrisione, contemptu, calumnia, vel alia injuria tibi illata, vel ex molestia, aut adversitate aliqua subitò insurgere in te motum impatientiæ, indignationis, iræ, aut vindictæ &c. In tali casu, quampri-

primum advertis in te hujusmodi passionis motum, statim sinè mora, & antequam magis invalescat, aut foras ullo modo erumpat, vel appareat, cum humillima tui diffidentia, & filiali confidentia in DEUM implora ejus auxilium, & gratiam: cogitandô v.g. (& subinde, si nemo advertit, etiam ore dicendô) *DEUS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me festina.* Vel: *O Sanctissima Trinitas unus DEUS! per S. Nomen, & patientiam JESU Christi tribue mihi patientiam.* Vel: *O Patientissime JESU! succurre mihi, ne deseras, sed adjuva me:* aut magna cum fide, & fiducia in virtute Nominis JESU cogita solummodo, vel secretò pronuntia aliquoties *JESU, JESU, JESU &c.* Invoca etiam, si vacat, B. V. Mariam, & Angelum Custodem, cogitandô v.g. vel dicendô: *Maria Mater DEI, memento mei; ora pro me; & adjuva me; monstra te esse Matrem &c. O S. Angele Custos succurre, & assiste mihi clienti tuo, ne cadam, & DEUM meum offendam.*

17. Facta breviter una, vel altera, vel pluribûs hujusmodi invocationibûs statim internè, vel subinde ore contradic, & resiste tentationi, ac protestare, v.g. *Nolo, ô DEUS! nolo: nolo, ô JESU! nolo: certè nolo peccare, nolo te offendere; protestor contra omnem consensum: volo millies mori, & omnia pati, quàm te vel levissimè offendere: patiar amore tui, & propter te, & quia tibi placet, hanc injuriam, vel hanc molestiam, vel hanc adversitatem; aut hanc irrisionem &c. in unione Passionis tuæ, & injuriarum à te pro me toleratarum &c. Verùm quia noscis infirmitatem meam, quia sinè te nihil possum, nisi errare, & peccare, adjuva me, conforta me, ne deseras me.*

18. Si post hæc passionis motus adhuc durat, vel etiam magis invalescere videtur, mentem & intellectum impediens, ne motiva patiendi considerare, talique consideratione infirmam voluntatem juvare queat, perge DEUM, & B. V. Mariam humillimè, & fiducialiter invocare, omníque peccaminoso motui contradicere, & resistere, ac contra omnem consensum protestari, præcipuè verò cave, & tibi vim infer, ne impatientiæ, iræ, aut indignationis motus foras in verba, effectus, vel signa externa erumpat: talî enim modô, si spiritualiter certas, & pugnas, DEUS infallibiliter tibi assistet,

túque certissimè victor evades maximo cum merito, & fructu animæ tuæ.

19. Si verò post factam humillimam invocationem Divini auxilii, nec non resistentiam, contradictionem, & protestationem internam, motus impatientiæ, indignationis, vel iræ aliqualiter cessat, & pacatior apparet, résque ita se habet, ut etiam breviter te recolligere, & motiva patienter sustinendi omnem injuriam, vel adversitatem considerare, sícque considerandô infirmam voluntatem juvare, eámque ad patiendum magìs persuadere valeas; id omnino facere debes, præsertim ubi injuria, vel adversitas quæcunque tandem gravior instat, & diu duratura videtur.

20. E. g. „ O anima mea! „ cur turbaris, times, & aversa„ris hanc injuriam, vel adversi„tatem, vel tribulationem? Cur „ fugis crucem à Divina provi„dentia tibi pro DEI gloria, & „ salute tua propria præparatam? „ Vide, & considera, quæ, & „ quanta, quantóque cum amo„re, & patientia pro te, & pro„pter te innocentissimè passus „ sit JESUS. Considera, cùm „ quævis crux, & adversitas „ amore DEI patienter tolerata „ non tantùm ad DEI gloriam, „ sed etiam ad maximam patien„tis salutem, & utilitatem ser„viat, regnúmque cœlorum „ consequendum; enimvero nihil adeò conducit ad animæ salutem, ad augmentum gratiæ, & meritorum, ad consequendum regnum Cœlorum, & majorem in eo gloriam, quàm hujus mundi adversitates; imò hæ absolutè necessariæ sunt ad consequendum regnum Cœlorum, juxta testimonium æternæ Veritatis *Luca 9. v. 23. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam* NB. *quotidie, & sequatur me.* Hinc quævis crux & adversitas non tam pœna, quàm potiùs magnum DEI beneficium, & donum, ejusdémque amoris Divini manifestum signum est, teste ipso Divino Numine *Apocal. 3. v. 19. Ego, quos amo, arguo, & castigo.* Hinc, quia Tobias acceptus erat DEO, necesse fuit, ut tentatio, seu adversitas, & cæcitas probaret eum. Hinc omnes Sancti, & electi servi DEI multas, & magnas omnis generis adversitates sustinuerunt, ita, ut, quò major fuerit Sanctus, & à

& à DEO magis dilectus, eò plures, & majores omnis generis cruces, & adversitates ei DEUS immiserit, ùt patet in Christo, ejúsque sanctissima Matre, & cunctis majoris Sanctitatis animabus. „ Vísne tu sola esse „ exempta? Vísne sola sine via „ crucis venire ad cœlum? Vísne „ ne esse, & vivere absque signo „ Divini amoris? Et tandem „ quid deliberas? quid disputas? „ sic enim est voluntas, & bene„ placitum Divinum, ut hæc, & „ ita patiaris, cui si ex amore er„ ga illum, maximo cum meri„ to, & fructu, certáque subse„ cutura consolatione tuæ ani„ mæ te voluntariè subjicere „ non vis, nolens volens, ac sinè „ ullo fructu, sinè merito, sinè „ consolatione ulla, imò etiam „ cum demerito, majoríque cum „ afflictione, & pœna, forsan „ etiam æterna tanquam verum „ dæmonis mancipium sustinere „ debebis: ac, quod principalis„ simum est, peccabis, DEúm„ que offendes, & injuriâ affi„ cies. Quantum autem malum „ hoc sit, scis anima mea! ad „ quam solam evitandam omnia „ tormenta, & mille mortes su„ stinere omnino deberes: con„ sidera parùm malitiam pecca„ ti tantùm, aliunde tibi jam „ notam.

21. Si videntur subinde crux, vel dolores nimii, cogita DEum non esse tyrannum, sed amantissimum, simúlque sapientissimum Patrem, à quo major crux nulli imponitur, quàm quæ cum gratia sua Divina portari possit; & quæ necessaria, vel utilis cognoscitur ad salutem cruciati. Cogita etiam, quòd, quò major est crux, afflictio, vel dolores, eò major etiam inde proveniat gloria DEI, majúsque ipsi beneplacitum; item quò cruciatus, seu afflictio major, eò etiam majus meritum, & majorem fructum tibi sis procreaturus, si amore DEI patienter suffers, prout cum gratia DEI potes, quæ cruci proportionata, consequenter magna ad magnam crucem datur.

22. Si quando contingat, quòd prorsus innocenter injuriam, vel persecutionem patiaris, insere considerationi præfatæ. „ Licèt in hoc, ob quod nunc „ pateris innocenter, innocens „ existas, tamen innumera sunt „ alia peccata, & delicta tua oc„ culta, DEO tamen plenè co„ gnita, ob quæ nihil adhuc es

„ passus; cùm tamen ob illa lon- „ gè majorem pœnam, imò in- „ fernum ipsum promeritus es- „ ses: adora igitur judicia Divi- „ na, deosculare manum DEI „ paternam, quæ te potiùs adhuc „ in hoc mundo clementissimè „ castigare, quàm tremendis „ pœnis futuri sæculi tradere „ dignatur.

23. Si ex malitia, odio, vel passione hominum tibi obveniat, indéque forsan putes, non esse Divinam voluntatem, nec ab ea provenire hanc crucem, utpote tibi fabricatam hominum peccatô, & malitiâ, quam utique DEUS non vult, cogita, quòd, licèt DEUS nolit, ut alii malitiosè te affligant, tamen providentissimè, & justissimè permittat, velítque, ut, quod ille permittit, tu patienter, & æquanimiter patiaris; consequenter semper dicere valeas: *ita vult DEUS, ita placet DEO meo: hæc est voluntas DEI*, videlicet, ut hæc patiar. Hinc, licèt Judæi malitiosissimè egerint crucifigendô Christum, ipse tamen dicebat, ita esse voluntatem Patris cœlestis, non quidem volentis, ut iniqui ita iniquè furerent in Christum, sed permittentis, & positivè volentis, ut, quod ille permittit, Filius patienter sustineret. Pariter licèt Job bene sciverit, à diabolo sibi inflictas esse plagas, tamen dixit: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit Nomen Domini benedictum. Job. c. 1. v. 21.*

24. Tali igitur, vel simili consideratione, & nova heroica resolutione juvanda, confortanda, & confirmanda est debilis voluntas, si tempus, occasio, aut occupatio præsens concedit, præsertim, si, utì dictum est, crux seu adversitas aliqua major, & diutiùs durare cognoscitur, prout fit in persecutionibus, abjectionibus, infamationibus, morbis &c. in quibus casibus utile etiam, imò necessarium est, hujusmodi considerationes, & resolutiones sæpiùs, & tamdiu, præcipuè tempore Recollectionis, & Meditationis repetere, donec omnis motus, & tentatio ad impatientiam, iram, indignationem, vindictam, vel animi tristitiam, & perturbationem, aut omnino cesset, aut certè ita debilitatus appareat, ut ejusmodi tentationes patiens, & aliqualiter in resistendo jam practicus, facilè eas superare, & cum tentatione proventum, fructúmque facere valeat,

leat, ac in Divina voluntate plenè resignatus, crucem suam æstimare, & amore DEI libenter portare discat, & assuescat.

25. Quòd si verò crux, adversitas, injuria, seu molestia citò transiens est, prout sunt irrisiones v.g. illusiones, verba injuriosa, aut contumeliosa, punctoria, vilipensiones, contemptus, negatio obsequii, aut charitatis, subitò accidentes, & statim transeuntes casus adversi &c. sufficit post brevem Divini auxilii invocationem cum humillima sui diffidentia, & confidentia in DEUM effusam, factámque resistentiam, & protestationem brevi aliqua unius, vel alterius motivi consideratione, & nova resolutione voluntatem juvare; nisi etiam tales transeuntes, & nonnunquam leves adversitates in animo diutiùs perseverent, varias nobis causandô cogitationes, & tentationes ad iram, impatientiam, rancorem, indignationem, vindictam, negationem amicitiæ, obsequii, & charitatis (prout sæpe contingit) tunc enim vel maximè, etiam per majorem, efficaciorem considerationem, ac resolutionem aliquoties præsertim tempore Recollectionis, & Meditationis instituendam, voluntati opitulari; ídque tamdiu continuare debemus, donec omnis inordinatus passionis motus, & tentatio cesset, vel ita debilitata existat, ut facilè superari possit.

26. Finita, & superata Tentatione, sive breviter transeunte, sive diutiùs molestante DEO gratias agens, & honorem tribuens, cogita, vel dic v.g. „ Humillimas, & infinitas tibi gratias ago „ ter optime DEUS! pro auxilio, & assistentia, quâ me fecisti tentationem hanc superare &c. Non nobis Domine, „ sed Nomini tuo da gloriam: „ tibi soli honor, & gloria, & victoria, mihi autem confusio, „ & contemptus, utpote qui „ procul dubio malitiosè, turpiter, & stultè lapsus essem, & te „ iniquè offendissem, nisi tu me „ adjuvâsses. Confirma hoc, „ quod in me operatus es, & adjuva, atque confirma etiam in „ futurum &c.

27. Subinde, præsertim post superatas subitaneas, & modicas tentationes sufficit una, vel altera vice ex humillimo corde breviter dicere: „ DEO gratias, „ DEO gratias; non nobis Do- „ mi-

„ mine, non nobis, ſed Nomini „ tuo da gloriam. Tibi ſoli ho- „ nor, & gloria in ſæcula ſæcu- „ lorum. Amen.

28. Hìs omnibûs peractîs, ſi tempus, & præſens occupatio permittit, eandem tentationem de novo quaſi in te excita, cogitandô v.g. quid facere, aut quomodo habere te velis, ſi tibi iterum contingeret ſimilis injuria, vel adverſitas &c. aut imaginare tibi, quaſi actu iterum tibi contingeret, aut prævide, id denuo futurum, & advertens paſſionis inordinatæ motum, eum ſtatim repelle, & deteſtare, eíque fortiter reſiſte, ac contrarios virtutum actus breviter elice, ídque aliquoties repete. Ratio eſt; quia talì modô citiùs, & faciliùs acquiritur habitus non tantùm fructuosè, & generosè pugnandi, ſed etiam ipſius virtutis contrariæ, ſimúlque debilitatur, & ſenſim extirpatur ipſa inordinata paſſio; augetur inſuper meritum, cùm quivis talis etiam fictitius quaſi, & imaginarius bonæ voluntatis actus ſuum apud DEUM habeat meritum, & cauſet augmentum gratiæ; unde hunc modum, motus videlicet paſſionum, & tentationes de novo iterum quaſi excitandi, ac repellendi, & virtutes contrarias exercendi, ùt octo commendat celeberrimus Aſceta Madrilienſis noſter in ſuo Libello aureo maximè *Document. 6. ac 7.* & Laurentius Scupuli *Opuſcul. 1. cap. 13.* prout magìs patebit infra agendô de modo, & praxi extirpandi paſſiones, & vitia, virtutésque implantandi.

29. Hactenus declaratus modus, & praxis reſiſtendi tentationibus ad impatientiam, iram, indignationem &c. mutatîs mutandîs, etiam in aliis tentationibus utiliſſimè ſervari poterit, obſervandô videlicet ſex illa puncta *à num. 10. poſita.*

30. Illud tamen ſpecialiter circa praxin, & modum pugnandi contra tentationes, & reſiſtendi eisdem, obſervandum eſt, quòd aliquæ ſint tam leves, & breves, aut ex natura ſua ita conſtitutæ, ut non ſit opus multîs actibûs eis reſiſtere, vel ſe opponere, ſed ſufficiat unica brevis reſiſtentia, contradictio, aut proteſtatio, v.g. ſi tentatio ad malè agendum, vel faciendum impellit, dic: *Nolo, à DEUS! nolo, ſed volo millies mori, quàm te etiam leviſſimè offendere; proteſtor contra omnem*

con-

consensum, adjuva me, quia sinè te nihil possum. Vel si tentatio urget ad omittendum, ad quod ex præcepto tenemur: *Volo, ò DEUS! certè volo, faciam amore tui, quantumvis difficile mihi, & odiosum sit, gratiam tamen, & auxilium prabe; quia sinè hoc nihil possum.* Vel potes ob plenam tui diffidentiam, & confidentiam in sola Divina gratia, brevem invocationem auxilii, seu gratiæ Divinæ præmittere, & dein primùm internè resistere, contradicere, & protestari, v. g. *DEUS in adjutorium meum intende:* vel *adjuva me, & salvus ero.* Vel *succurre ò Amandissime DEUS! & ne me inducas in tentationem, sed libera me à malo:* id est, *ne me deseras in tentatione, sed libera me ab omni peccaminoso lapsu.* Dein confidens in auxilio Divino, resiste dicendô, vel cogitandô: *Nolo,* vel *volo &c.* id solum adverte, ut assuescas in quavis resistentia, & pugna contra tentationes leves, & etiam modicas, semper etiam adhibere orationem, seu invocationem auxilii Divini; hac enim manifestas, quòd tibi non fidas, sed diffidas, & in solo DEO, ejúsque gratia, & auxilio confidas.

31. Ulteriùs notandum, esse quoque tentationes, vel potiùs cogitationes aliquas, quas homo quasi negativè se habendô abigere, & vincere potest: prout fieri potest, & solet in cogitationibus otiosis, curiosis, profanis &c. quas dum aliqui advertunt, aliam pugnam contra illas non adhibeant, quàm eas simpliciter dimittendô, seu animum avertendô, & ad alia utilia nempe, vel obligatoria, aut nobis incumbentia applicandô.

32. Quæritur II. Quid specialiter observandum sit circa tentationes impuras debitè superandas? Resp. inferiùs, nempe *in Parte posteriori* hujus Tractatus, de his ex professo uberiùs pertractatum iri, hìc interim sequentia sufficiunt puncta, & principia.

Principium I.

33. Efficacissimum, & inviolabile generale concipere, & subinde etiam repetere propositum, post assumptum jam sacrum Habitum, millies mori velle, quàm unquam ampliùs cogitatione, verbô, aut opere quocunque Castitati contrario, vel minimè DEUM offendere.

Prin-

Principium II.

34. FUgere otium, & semper esse occupatum, præsertim obedientiæ operibûs.

Principium III.

35. QUantumvis in virtute Castitatis perfectus, & ab omni carnis labe quis sit immunis, & per plures annos nullam carnis tentationem senserit, tamen circa hoc vitium nunquam sibi fidere, sed semper pro possibili fugere omnem occasionem, quæ ullo modo ad carnis vitium incitare, vel tentationem turpem in se excitare potest, aut solet; quia in nullo, sicut in hoc turpissimo vitio verificatur illud *Eccl. 3. v. 27. Qui amat periculum, in illo peribit.* Et certissimum est, etiam viros perfectos omnem hujus vitii labem non evasuros, qui humillimâ sui diffidentiâ occasionem diligenter non fugiunt.

Principium IV.

36. PEr totam vitam suam singulariter studere profundæ humilitati, & magis quàm ipsum dæmonem timere, & fugere superbiam; quia ordinaria pœna superbiæ est lapsus luxuriæ, DEO superbum variè deserente, ut plenè confundatur, miseriam suam, infirmitatémque agnoscat, & humilis fiat.

Principium V.

37. NUllum temerè judicare, præsertim circa hoc vitium. Etsi quis etiam aliquem in hoc reum certè sciat, non idcirco contemnere, vel se meliorem superbè judicare, sed potiùs eidem compati, pro eóque orare, & ex lapsu illius magis humilem, in se diffidentem, & cautum esse; aliàs enim talis quoque à DEO deseretur, ut turpiter cadat, sícque aliis compati, nullúmque judicare, vel spernere, sed humilis esse discat.

Principium VI.

38. QUando actu infestat aliqua cogitatio, tentatio, aut motus carnalis, statim, quamprimum quis advertit, sinè ulla mora se opponere, & illico cum humillima sui diffidentia, ac confidentia in solum DEUM, ipsum pro auxilio invocare, simúlque internè, vel etiam externè contradicere, & protestari. Quamvis enim in quacunque tentatione ad malum mora resistendi sit

peri-

periculosa, tamen in vitio carnis periculosissima; adeóque extremè vitanda est. Et econtra, licèt in quavis pugnâ, summa diffidentia sui, & confidentia in solam gratiam Divinam unà cum oratione, & invocatione auxilii Divini necessariæ sint, seu, ut cum summa nostri diffidentia, & plena confidentia in solum DEUM, eundem pro auxilio invocemus, necesse sit, id tamen in pugna contra tentationes carnis, omnium maximè necessarium est; utpote in quibus periculum semper majus, natura ad malum proclivior, vires ad resistendum debiliores, & lapsus gravior; consequenter summè semper timendum, & tibi diffidendum, ac econtra plena cum confidentia auxilium Divinum est implorandum, invocanda quoque castissima, & immaculata Virgo Maria, & S. Angelus Custos.

Principium VII.

39. MEmorem etiam esse præsentis DEI, & Angeli sui Custodis.

40. Juvat tamen, imò expedit etiam subinde cogitationes impuras subitò incidentes, nec multùm infestantes absque protestatione, vel resistentia præcisè dimittere, & simpliciter animum ad alia avertere: subinde verò si hujusmodi cogitationes diutiùs molestant, & inhærent ita, ut vix abigi, aut repelli valeant, oportet quidem humillima cum diffidentia sui, ac confidentia in DEUM, illum pro auxilio invocare, eísque internè resistere, contradicere, ac contra omnem consensum protestari; si tamen facta aliquando humillima invocatione auxilii Divini, resistentia quoque, & protestatione prædicta non cessant, sed adhuc durant, nec opus, nec necesse est, ut quis ob illas se affligat, aut cum illis multùm disputet, vel contendat, sed melius est, ut eas potiùs contemnat, non attendat, non curet, ac, quasi non adessent, in suis rebus pergat; tali enim modô, si diabolus contemnitur, citiùs tentare cessat, vel, si cogitationes à natura proveniunt, citiùs evanescunt; vel, etsi ad tempus adhuc durent, nullatenus nocent, utpote contra voluntatem nostram adhuc hærentes: dum econtra, si anxius animus multùm cum eis disputat, & omnibûs viribûs illás abigere contendit, magis firmantur, & multiplicantur, hominem mi-

rè fatigant, anxium, ſcrupuloſum, & dubium reddunt, pacémque, & quietem animi perturbant, & ad alia ſubinde minùs habilem efficiunt: id, quod intendit diabolus.

§. II.

De obſervandis poſt lapſum in aliquod peccatum: ubi & de principiis practicis circa peccata venialia.

41. QUæritur I. Quid agendum in praxi poſt lapſum in aliquod peccatum? Reſpondetur, eſſe aliqua agenda, aliqua cavenda; itaque

42. *Primò.* Qui ex fragilitate, vel quandoque ex malitia labitur in aliquod peccatum, ſummopere cavere debet, ne inordinatè triſtis, puſillanimis, inquietus, & tædioſus fiat, ac propterea ad ſolatiunculas terrenas recurrat, falsò quærens quietem, & lætitiam in vanitatibus mundanis, & oblectationibus ſenſuum; dolere quidem, & pœnitere, ſed non inordinatè triſtari, turbari, aut puſillanimem eſſe oportet propter peccatum; triſtitia enim inordinata, puſillanimitas, turbatio, & inquietudo ſemper ſunt mala in via Perfectionis, nec à DEO, vel amore ipſius, ſed à diabolo, & perverſa noſtra natura, ac amore proprio veniunt; neque ſunt ſigna veri contriti cordis, ſed ſuperbi animi, plerumque magìs triſtantis ob ſui confuſionem, aut aliam jacturam temporalem, ex peccato ſibi emergentem, quàm ob offenſum DEUM.

43. *Secundò.* Summopere cavere oportet, ne quis poſt lapſum pœnitentiam, & emendationem usque ad futuram confeſſionem differat, & interea in peccatis, aut imperfectionibus pergat, ſed potiùs poſt lapſum, etiam venialem, illico ad DEUM recurrat, coram eo ſe humiliet, culpam ſuam fateatur, eam deteſtetur, de eadem ob offenſum DEUM doleat, firmiſſimum ſe emendandi propoſitum cum plena ſui diffidentia, & confidentia in DEUM eliciat, veniámque petat, ac poſtea in ſuis iterum pergat, ac ſi lapſus non fuiſſet.

Et

Et hoc toties faciat, quoties labitur, etsi mille vicibûs in die caderet.

44. *Tertiò.* Sedulò cavere debet, ne post lapsum solita aliàs pia exercitia ex tædio omittat, aut tepidè, remissè, imperfectè, vel truncatè perficiat, sed potiùs cuncta, ac, si non cecidisset, peragat, etiamsi in iis gustum, & consolationem nullam percipiat: quod faciliùs adimplebit, si cogitat, non decere, quòd ille consolatione spirituali gaudeat, qui DEUM toties, & tantopere offendit. Item, quòd opera nostra pia absque consolatione spirituali, ac devotione sensibili facta, DEO æquè, imò plerumque magis sint grata, quàm quæ cum, nescio, qua dulcedine spiritûs, ac sensibili devotione fiunt, dummodo aliàs nihil desit.

45. *Quartò.* Singulariter quisque studeat, ut post lapsum, ad majorem infirmitatis suæ, & imperfectionis cognitionem, indéque ad sui contemptum, & odium, ac plenam sui diffidentiam deveniat, ac propterea majori cautela, & vigilantia sibi totaliter diffidens, & in solo DEO confidens, incedere discat.

46. *Quintò.* Attendat denique, ut, si peccatum, error, aut imperfectio ipsius publicè, vel coram aliis fiat, aut eisdem innotescat, doleat quidem, quòd DEUM offenderit, & forsan etiam scandalum dederit, tamen etiam summopere gaudeat, DEUMque laudet, & benedicat, quòd saltem exinde ejus imperfectio, & malitia patefacta sit, ipséque apud homines vilipendatur, & pro merito suo tractetur: gaudium enim de sui contemptu est optimus, & DEO gratissimus humilitatis actus, veniam, & novam gratiam mirè concilians; quem propterea celeberrimi Ascetæ in omni occasione, maximè verò tunc suadent, quando peccata, & imperfectiones nostræ aliis patefiunt, & nos propterea vilescimus, aut contemnimur.

47. Et hæc Charissimi! si post lapsum observetis, ex lapsu vestro in aliquo sensu plus fructûs, quàm damni spiritualis habebitis, imò quasi emolumentum haurietis; prout etiam infinita Bonitas, & Providentia Divina sæpius jam fecit, quòd lapsus in peccatum multis fuerit occasio, & causa salutis. Ob quod tamen nequaquam peccare, sed

id facere debemus, ut ex peccato jam facto, fructum hauriamus, offensam DEI, & damnum nostrum resarciamus, sícque contra diabolum nos vindicemus, eúmque confundamus, ex eo ipso, quô nos à via virtutis, & perfectionis abducere quærit, peccatô videlicet, occasionem sumentes, varias DEO gratissimas virtutes, præsertim profundam humilitatem exercendi, & efficaciùs, quàm antea, ad perfectionem tendendi, sícque arma in ipsum vertendi.

48. Porro, si peccatum mortale (quod DEUS à quovis Religioso in æternum avertat) quis committeret, præfata eò ferventiùs, simúlque illud observare deberet, ut statim, quamprimum fieri, & occasio haberi potest, nec expectatâ quidem horâ, minùs die sequenti, ad Confessarium recurrat, & ibidem facta priùs necessaria præparatione, Confessionem Sacramentalem deponat, cum efficacissimis, & heroicis propositis, totali sui diffidentia, & plenâ confidentiâ in DEUM eliciendis, imposterum peccatum, & occasiones non tantùm vitandi, sed DEI gravissimam injuriam omnî possibilî modô resarciendi, eíque perfectiùs, quàm unquam serviendi, ac in specie hoc, vel illud &c. omittendi, vel faciendi.

49. Ut autem appareat, quomodo in praxi fieri debeant, quæ post peccatum aliquod observanda diximus, pro aliqua idea formatos actus annectimus, per quos, aut similes post lapsum statim absque ulla inordinata tristitia, aut pusillanimitate ad DEUM recurrere quis poterit.

Actus Contritionis & Propositi.

50. EHeu Domine! jam iterum peccavi, jam iterum offendi tuam infinitam Majestatem, & Bonitatem, plùs amandô, & æstimandô unam stultam vanitatem, quàm tuam sanctissimam voluntatem, ob quod summè doleo, quia te super omnia diligo. O utinam te non offendissem; verùm non ampliùs te offendam: propono firmiùs, quàm unquam, cum tua gratia, non tantùm peccata, sed & occasiones vitare, magìs attendere, & vigilare, mihíque majorem vim inferre, specialiter autem NN. facere, vel NN. omittere. Tu interea propitius esto mihi peccatori, & miserere mei DEus se-

secundùm magnam misericordiam tuam.

Actus Humilitatis.

51. Ecce enim, misericordissime DEUS! etiam hoc peccatum est iterum fructus, & effectus potentiæ, & fortitudinis meæ, vix aliud poteras expectare à me, quia ex me nil, quàm errare, & peccare valeo; neque in hoc solo peccato stetissem, sed plura, & graviora adhuc commisissem, nisi tu me adjuvâsses, & præservâsses.

Actus Spei.

52. Scio quidem, quòd cum gratia tua, mihi semper paratâ, vincere me possem, ac deberem, & consequenter peccatum non nisi ex culpa, & iniquitate mea proveniat. Veruntamen scio etiam, quòd infinitè major sit misericordia tua, quàm iniquitas mea; scio, quòd cor contritum, & humiliatum non despicias, nec velis mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, eúmque etiam post mille lapsus ad te currentem, millies, & ultrà misericordissimè suscipias: hinc certissimè spero, & confido in bonitatem, & misericordiam tuam infinitam, atque in hac confidens, in servitio tuo rursus pergo. Qui actus etiam breviùs fieri poterunt pro diversitate temporis, & circumstantiarum, hoc, aut simili modô:

Breviores hujusmodi Actus.

53. Heu me miserum! jam iterum transgressus sum sanctissimam voluntatem, & legem Divinam, fecíque, quod DEO meo, quem super omnia diligo, & diligere debuissem, summè displicet, injuriosum, & odiosum est, ob quod doleo ex corde, & pœnitet me. O utinam factum non fuisset! verùm, amandissime DEUS! per tuam gratiam non ampliùs fiet. Propono firmissimè magis, quàm unquam attendere, vigilare, & vim mihi inferre; ad quod gratiam tuam humillimè imploro, utpote sinè qua non nisi peccare, & errare valeo &c. (si peccatum coram aliis contigit, adde) interea gaudeo, & laudo te, quòd ex hoc peccato saltem sequatur vilipensio, confusio, & contemptus mihi summè debitus, quem humillimè suscipio, & in vindictam peccati mei, ad resarciendam gloriam tuam tibi offero.

54. Quæritur II. Quænam sint Principia practica circa peccata venialia? Resp. Ea ferme coincidere cum principiis practicis contra peccatum mortale supra *Cap. III. à num. 56.* adductis; sunt autem sequentia.

Principium I.

55. SÆpe & tamdiu legere, & meditari de malitia cujusvis, etiam minimi peccati venialis, præsertim deliberatè commissi, nec non de gravissimis damnis, & pessimis effectibus illius; donec perfectè non tantùm intelligantur, sed etiam profundè, firmitérque menti imprimantur, & (quod præcipuum est) debita à quovis etiam veniali peccato aversio, sanctúsque timor, & horror illius concipiatur, ex eo præcipuè, quòd, licèt respectu peccati mortalis sit, & dicatur malum leve, in se tamen, & absolutè sit malum gravissimum, & majus quovis alio malo, simúlque maximè nocivum.

Principium II.

56. FIrmissimum, constans, & heroicum habere propositum, scienter, deliberatè, & cum plena advertentia nullum unquam committendi peccatum veniale, præsertim postquam cujusvis etiam minimi peccati venialis inexplicabilem malitiam quis cognovit, & sacræ Religioni nomen dedit.

Principium III.

57. REmedia contra venialia peccata per frequentem & attentam Lectionem non tantùm bene perspecta, & memoriæ impressa habere, sed iisdem etiam in praxi diligenter uti, præcipuè verô I. Humillimâ suiipsius diffidentiâ. II. Confidentiâ in DEum. III. Oratione, sive invocatione Divinæ gratiæ, & auxilii. IV. Perpetuâ curâ, & vigilantiâ. V. Manûs appositione, vique & mortificatione sibi necessariò inferenda.



CA-

CAPUT VI.

De Sacramentali Confeſsione peccatorum ordinaria.

§. I.

De præſtantia Sacramentalis Confeſſionis, & quibusdam requiſitis ad eam.

1. POſtquam egimus de peccatis, illorúmque natura, & malitia, variíſque mediis, & motivis illa vitandi, meritò nunc ſtatim agitur de Confeſſione Sacramentali, quia hæc eſt omnium principaliſſimum, efficaciſſimum, ac certiſſimum à Chriſto Domino directè inſtitutum medium, quo peccata jam commiſſa iterum deleantur, & effectus illorum peſſimi tollantur; conſequenter anima, quæ per peccata priùs vita ſpirituali, gratiâ nempe, & amicitiâ Divinâ erat privata, vel ſaltem (per peccata venialia nempe) coram oculis DEI turpis, languida, tepida, infirma, & ad bona cœleſtia minùs habilis, & econtra ad malum magìs procliva effecta, iterum vivificetur, amica DEO, & grata efficiatur, maculîs purgetur, gratiâ ornetur, contra quodvis malum confortetur, & ad cœleſtes influxus apta reddatur: quapropter

2. Quæritur I. Quid, & quàm neceſſaria ſit Confeſſio Sacramentalis? Reſp. I. *Confeſſio Sacramentalis eſt legitima de propriis peccatis facta accuſatio coram Sacerdote ad impetrandam eorum remiſſionem.* Hæc definitio patet ex terminis, eámque ſuppono partim ex Catechiſmo, partim ex Theologia. Solùm notandum, quòd dicatur *legitima accuſatio:* id eſt, ritè, & ſecundùm omnia requiſita (de quibus infra) facta. Item, *ad impetrandam eorũ remiſſionem*, quia, licèt Confeſſio plures alios fructus habeat juxta dicenda paulò infra *à num. 7.* attamen remiſſio peccatorum eſt proprius, & principa-

cipalis effectus, ob quem Christus instituit Confessionem Sacramentalem.

3. Resp. II. Confessio Sacramentalis omnibus post baptismum peccatum mortale habentibus, ad salutem necessaria est in re, vel saltem in voto, adeò, ut, quicunque mortaliter peccat, certò damnetur, nisi ante mortem confiteatur, si potest, aut, si non potest, saltem perfectam contritionem, cum voluntate confitendi, & consequenter Confessionem in voto, seu desiderio habeat; quamvìs enim etiam sola perfecta contritio absque actuali Confessione peccata mortalia deleat, tamen hunc effectum non habet, nisi quatenus etiam votum, seu voluntatem confitendi saltem implicitè includit, prout ex Conc. Trident. *Sess. 14. cap. 4. can. 1. & 7.* unanimis Theologorum docet.

4. Resp. III. Qui habet peccatum mortale, saltem semel in anno vel quoties in aliquo periculo, vel articulo mortis est, necessariò confiteri debet, ita quidem, ut, etiamsi perfectam contritionem elicere conaretur, tamen a peccatis mortalibus non absolveretur, sed certò damnaretur, si in tali statu occasionem habens non confiteretur. Rursus certa Ecclesiæ doctrina.

5. Resp. IV. Quamvis illis, qui sola peccata venialia habent, vel habere se putant, Confessio Sacramentalis absolutè necessaria non sit, cùm venialia confiteri nemo obligetur, tamen indirectè etiam istis non raro necessaria est; tum, quia peccata venialia à mortalibus discernere non semper valemus, & nonnunquam contingit, quòd ex ignorantia culpabili, vel amore proprio putemus, nos non nisi venialiter peccâsse, ubi tamen interim coram DEO rei sumus peccati mortalis; tum, quia, si sola venialia habentes, nunquam, aut rarò confiteremur, in venialibus plerumque insordesceremus, & hoc ipso etiam ad mortalia prolaberemur.

6. Quæritur II. Quàm utilis sit Confessio Sacramentalis? Resp. I. Confessio Sacramentalis, & quidem frequens, omnibus summè utilis, imò ad assequendam perfectionem quasi necessaria est. Hæc est unanimis doctrina Theologorum, SS. Patrum, & Ascetarum, qui propterea omnes frequentem Confessio-

fessionem summopere suadent, inter quos S. Bonaventura in *Specul. Discipl. c. 9.* suadendô docet: ***Debent*** (Novitii videlicet) ***tribùs vicibùs in qualibet hebdomada, vel pluries confiteri.*** Item ***in Instit. Novit. part. 1. cap. 12. de Confessione. Sæpe confitere, ad minus ter in septimana.*** Et ***in Regul. Novit. cap. 3.*** suadet: ***Si potes quotidie confiteri, bene; sin autem, de tertio in tertium diem saltem studeas confiteri.*** Videamus aliquos Confessionis fructus, & effectus in specie.

7. I. In quavis Confessione remittuntur peccata non tantùm quoad culpam, sed insuper remittitur aliqua pars pœnæ, dum æterna in temporalem mutatur, temporalis verò minuitur, imò subinde ob specialem, & excellentem pœnitentis dispositionem penitus tollitur.

8. II. Per Confessionem omnia bona opera & merita, per peccatum mortale ea subseqnens mortificata, iterum reviviscunt, & vivificantur.

9. III. In quavis Confessione confertur augmentum gratiæ sanctificantis ex opere operato, juxta certam fidei doctrinam: quantum autem bonum hic solus fructus importet, explicari non potest, cùm quivis etiam minimus gradus gratiæ sanctificantis inæstimabile bonum sit.

10. IV. Præter gratiam sanctificantem, confertur etiam gratia Sacramentalis, id est, speciale auxilium Divinum, vi cujus homo illuminatur, & confortatur, ut occasiones, & pericula peccandi magìs declinare, tentationes faciliùs vincere, & peccata securiùs vitare valeat.

11. V. Confessio quævis est summè utilis etiam ex hoc, quòd occasione illius principales, & DEO gratissimæ exerceantur virtutes; quarum quævis etiam suum meritum, & bonum effectum habet.

Inprimis enim exercetur Fides, quâ creditur remissio peccatorum per absolutionem impetranda.

Secundò Spes, quâ eadem remissio speratur.

Tertiò. Charitas erga DEUM, ex qua elicitur Contritio.

Quartò. Ipsa virtus pœnitentiæ, odiúmque, & detestatio peccati, cum proposito illud vitandi.

Quintò. Humilitas, quâ pœnitens seipsum accusat, confundit, contemnit, & peccatorem confitetur.

Sextò. Obedientia, quâ pœnitens DEO, & homini locò DEI posito obedit.

Septimò. Justitia, quâ seipsum ùt reum coram Sacerdote tanquam Judice accusat, & ab eodem pœnam, seu pœnitentiam juxta demeritum sibi injungi instat.

Octavò. Patientia, quâ objurgationem, & increpationem Confessarii, æquanimiter non tantùm suscipit, sed etiam pœnam patienter recipit, & perficit.

12. Resp. II. Confessio Sacramentalis insuper partim tollit, partim minuit pessimos effectus, quos peccatum etiam veniale inducit juxta dicta *Cap. 4. §. 2.* & econtra effectus bonos malis oppositos producit, adeò, ut, sicut peccata etiam venialia impediunt uberiores gratias, specialia auxilia, dona, & lumina supernaturalia, specialémque Providentiam Divinam, sic frequens Confessio eadem promoveat. Item, sicut peccata etiam venialia minuunt fervorem charitatis, extinguunt devotionem, tollunt familiaritatem cum DEO, & confidentiam ad eum, sic Confessio frequens hæc auget. Item, sicut peccata etiam venialia animam efficiunt desidem, languidam, tepidam, tristem, turbatam, & inquietam, ad bene operandum difficilem, ad resistendum malis debilem &c. sic Confessio, præsertim frequens, eandem reddit fervidam, consolatam, quietam, pacatam, fortem, & magnanimam Item, sicut peccata etiam venialia causant magnum perfectionis impedimentum, sic Confessio præsertim frequens illud tollit, & præbet efficax remedium ad eandem assequendam: quæ cuncta SS. Patres & Ascetæ ad longum deducunt. Sufficiat unicum adducere S. Laurentium Justinianum *de obedientia, cap. 15.* „ Confessio placat DEUM, lætificat Angelos, „ serenat conscientiam, criminum exsolvit debitum, veniæ „ spem nutrit, servilis metûs coërcet stimulos, præstat gratiam, præbet auxilium, immundorum spirituum propulsat fraudes, cœlum reserat, revelat mysteria, elevat de terrenis, & provehit in excelsa. Ibidem: „ Procul dubio quantò „ quis exercuerit (Confessionem) „ frequentiùs, tantò erit „ DEO propinquior, sui interio-

„ rioris hominis perscrutator „ clarior, ad virtutum exercitia „ alacrior, ad resistendum pec- „ cato robustior, ad misericor- „ diam promerendam aptior, „ atque ad percipiendum charis- „ mata meliora sinè ambiguitate „ habilior. Ibidem: Peccato- „ rum assidua Confessio chari- „ tatis est index, humilitatis ger- „ men, gratiæ radius, electionis „ præsagium, conscientiæ decus, „ compunctionis filia, spei ma- „ ter, orationis præcursor, & re- „ solutionis corporis expectator „ intrepidus. Quid amplius de Confessione dici posset?

13. Ex quibus satis liquet, quàm utile sit sæpe confiteri, cùm Confessio tantos fructus præstet, & effectus, etiamsi nullum novum peccatum veniale quis habens, solùm de uno alteróve ex jam confessis se accuset; ut proin etiam in Statutis nostris Generalibus *Cap. 7. num. 3.* sanctissimè, & utilissimè disponatur, quòd fratres omnes bis, aut sæpius in hebdomade confiteri teneantur.

14. Attamen hic notare debetis Charissimi, quòd, etsi Confessio Sacramentalis prædictos effectus producat, intentio tamen eorundem diversa sit pro diversitate dispositionis, & confessionis, ita, ut, quò major, & perfectior dispositio, & confessio est, eò major etiam sit fructus, & effectus; cùm econtra, si tepidè, negligenter, vel ex sola consuetudine fit, modicus etiam, vel nullus fructus sequatur: imò taliter peracta Confessio subinde damnum potiùs, quàm emolumentum spirituale generet, eò quòd moraliter certum videatur, Confessionem, quæ frequenter præfatô modô fit, subinde invalidam, imò etiam sacrilegam, consequenter graviter peccaminosam, & gravissimè nocivam esse.

15. Quapropter omni conatu adlaborare debetis, ut ad consequendos præstantissimos Confessionis fructus, & effectus, ea, quâ decet, dispositione, & perfectione semper confiteamini. Qualiter autem id facere possitis, & debeatis, præsentis Capitis doctrina dabit, quam proin menti non tantùm bene imprimere, sed etiam in praxin, & habitum illico deducere debetis, antiquô, imperfectè, tepidè, aut minùs rectè confitendi modô (si quem habuistis) totaliter de-

positô; quia revera profectus in virtutibus, & salus animæ à frequenti Confessione ritè instituta plurimùm pendet: ob quod etiam pro faciliori captu cuncta (compendiosè tamen) adducentur, quæ pro practica notitia ad Confessionem ritè instituendam servire possint.

16. Quæritur III. Quæ requirantur generatim ad Confessionem perfectè, ritéque instituendam? Resp. Quamvìs loquendô de absolutè necessariis requisitis ad valorem, & integritatem Confessionis, vel veriùs Sacramenti Pœnitentiæ, juxta communem doctrinam tria tantùm ad Confessionem requirantur, videlicet; I. Contritio, seu dolor de peccatis. II. Confessio, seu narratio peccatorum. III. Satisfactio; attamen involvendô etiam ea, quæ ad Confessionem Sacramentalem perfectè, & exactè, majoríque cum fructu, & effectu peragendam requiruntur, plura, & quidem aliqua ante Confessionem, aliqua in ea, & aliqua post illam requiruntur.

17. *Ante Confessionem* requiritur I. Bona, & pura intentio confitendi, cum proposito, & desiderio Confessionem ritè peragendi. II. Humillima invocatio gratiæ, & auxilii Divini, ad debitè cognoscenda, & ritè in Confessione exponenda peccata nostra. III. Debitum conscientiæ examen de peccatis à proxima Confessione commissis. IV. Debita contritio de peccatis commissis, cum firmo proposito se emendandi. V. Spes veniæ.

18. *In Confessione* requiruntur, ut observētur debitus modus, & conditiones, ad exactam, & perfectam Confessionem requisitæ: de quibus infra §. *III.* exactè dicetur.

19. *Post Confessionem* summè conducit: I. Gratiarum actio. II. Renovatio contritionis, & propositi. III. Invocatio gratiæ pro sui emendatione. IV. Requiritur adimpletio pœnitentiæ: de quibus infra §. *III. ad finem.*

20. Quæritur IV. In quo consistat requisita ante Confessionem bona intentio, & invocatio Divinæ gratiæ? Resp. I. Eam consistere in hoc, ut non ex tepida consuetudine, nec ex respectu humano, nec ex aliquo motivo naturali, vel temporali, sed ex supernaturali bono aliquo fine, & motivo Confessionem faciamus. Qui finis varius, & mul-

multiplex esse potest: v. g. potest quis ex hoc fine, seu intentione confiteri, ut remissionem peccatorum acquirat, & pœnas peccatis debitas, tam temporales, quàm æternas evadat; vel, ut à peccatis liberatus, à malo quoque, & pœna, quam actu sentit, v. g. morbo, persecutione &c. liberetur; vel, ut gratiam, & donum aliquod sive spirituale, sive temporale à DEO acquirat; vel, ut indulgentiam lucretur; vel, ut obedientiæ satisfaciat, dum tempore à Lege, vel Statutis præscripto confitetur; vel, in honorem B. V. Mariæ, aut Sancti alicujus; vel, ut multiplices fructus, & effectus Sacramenti Pœnitentiæ acquirat; vel denique, & quidem principaliter, quia DEO placet, utpote qui ex infinita sua Bonitate summopere desiderat, ut anima nostra non tantùm à mortalibus, sed etiam à venialibus peccatis, tanquam turpissimis, & fœdissimis maculis mundetur, & econtra gratia sanctificante, tanquam inexplicabili decore ornetur, vel jam ornata, magìs adhuc decoretur, & confortetur, indéque DEO magìs accepta, & ad perfectam cum eo unionem, & amorem ejusdem evadat aptior.

21. Porro, etsi quævis ex dictis intentionibus sit bona, optima tamen, indéque in praxi assuefacienda est intentio ultima, videlicet, ut quis principaliter ideo confiteatur, quia id DEUS plurimùm desiderat, eíque placet, ut anima per Confessionem à peccatis mundata, ac econtra gratià ornata, DEO magìs placere, & servire, eúmque plùs amare, nec non donorum cœlestium magìs capax esse valeat: & ut honor Divinus, superba Legis Divinæ violatione læsus, per voluntariam nostri confusionem, & humilem culpæ confessionem aliqualiter resarciatur. Potest tamen quivis præter hanc principalem intentionem, & finem etiam alios, bonos tamen, fines habere. Neque enim per alias bonas intentiones additas principalis destruitur, aut imperfectior evadit, præsertim, si ideo habentur, quia etiam DEUS ipse vult, ut sub illis operemur; cùm ipsemet sub eisdem motivis nos ad pœnitentiam in S. Scriptura sæpius adhortetur, utpote bene sciens, quòd nos miseri hujusmodi motivìs plerumque magìs, quàm puro DEI amore moveamur.

22. Resp. II. Invocatio auxilii seu gratiæ Divinæ ad Confessionem ritè obeundam consistit in hoc, quòd, cùm juxta fidem sinè gratia, & auxilio Divino prorsus nihil meritorium, & gratum DEO agere possimus, nobis plenè diffidentes, ad DEUM recurramus, eúmque summa cum fiducia, pro auxilio, & gratia humillimè imploremus, ut Confessionem, & requisita ad eam perfectè, & juxta beneplacitum illius perficere, consequenter peccata nostra bene cognoscere, de cognitis perfectè dolere, & conteri, & imposterum evitare, sícque fructus, & effectus Sacramenti percipere valeamus. Taliter enim, si humiliter invocatur DEUS, in cunctis aderit, & Confessio perfectior, atque utilior certissimè sequetur. Facta autem bona intentione confitendi, & invocatione Divini auxilii ad ritè peragendam Confessionem, fit examen conscientiæ de peccatis à proxima Confessione commissis. De quo

23. Quæritur V. In quo consistat, & quomodo in praxi ante Confessionem fieri debeat examen conscientiæ? Resp. I. Examen istud consistit in hoc, ut quis recogitet, & apud semetipsum sedulò indaget, quid, & quomodo à proxima Confessione peccaverit, transgrediendô leges, & præcepta DEI, Ecclesiæ, Regulæ, Superiorum &c. verbô, cogitatione, opere, omissione, & commissione contra DEUM, vel proximum, aut semetipsum, quatenus dein de peccatis cognitis ob DEUM offensum dolere, eáque debitè, & exactè confiteri valeat. Quod examen Confessionem necessariò præcedere debet; quia impossibile est, ut peccata sua quis ritè, & exactè confiteatur, nisi priùs, quid, & quomodo peccaverit, bene cognoscat: bene autem cognoscere non poterit, qui recogitandô priùs desuper seipsum non discutit, & examinat.

24. Resp. II. Examen conscientiæ ante Confessionem variè fieri potest; unus, & quidem optimus, facillimúsque videtur modus, si quis de quovis die ab ultima Confessione se examinat, dividendô quemvis diem in tres partes (ita ut *prima pars* sit v. g. à manè usque ad tempus prandii: *secunda pars:* tempus prandii, & subsequens usque ad vesperas: *tertia pars:* à vesperis usque ad no-

noctem) & examinandô se, ubinam in quavis parte cujuslibet diei, & cum quibus fuerit; quid egerit, & quomodo se in cunctis habuerit; siquidem talî modô potiores errores in cogitationibus, verbis, & operibus cognoscere quilibet facilè poterit.

25. Alius, & quidem usitatissimus modus est, quòd quis examinet cujuslibet diei cogitationes, verba, & opera, an, & qualiter in iis DEUM offenderit.

26. Alius est, quo examen instituitur de peccatis contra DEUM, contra proximum, & contra seipsum. *Contra DEUM* quidem, an, & qualiter quis peccaverit in oratione tam mentali, quàm vocali, in Missa, in Confessione, in Communione, & Lectione piorum librorum, in Choro, in oblivione præsentis DEI, & irreverentiâ erga eundem, prava intentione &c. *Contra proximum:* an non malè de aliquo suspicatus sit, judicaverit, vel ei inviderit, & in corde contempserit, malum imprecatus sit, aut odium, & inimicitiam contra ipsum foverit; vel an non de eo murmuraverit, & malè locutus fuerit, vel ei detraxerit, vel eundem palàm contumeliosis, aut mordacibûs verbîs affecerit, contempserit, objurgaverit, irriserit, illuserit, vel adulatus fuerit, vel, an non etiam factîs eundem offenderit, inferendô illi damnum sive temporale, sive spirituale, vel negandô illi debitum auxilium, & charitatem &c. *Contra seipsum:* an peccârit superbiâ, vanâ gloriâ, complacentiâ, jactantiâ, simulationibûs, mendaciis, inordinatâ curâ, & solicitudine hujus sæculi, inordinatîs affectibûs, intemperantiâ in cibo, & potu; curiositate vel malo usu visûs, auditûs, aliorúmque sensuum, perditione temporis, negligentiâ in suo munere, & officio &c.

27. Alium, & satìs commodum etiam modum suadet Drexelius *in suo Trismegisto. cap. 6.* Ut videlicet quis se examinet. 1. Quomodo se habuerit in oratione, & in Missa. 2 In suis officiis, & negotiis. 3. In communione, & societate cum aliis. 4. In verbis, & discursu. 5. Ad mensam in cibo, & in potu. 6. Circa tempus; an bene, vel malè, aut otiosè impensum sit. 7. Circa proximum, an detrahendô, calumniandô, murmurandô, aut alio modo eum offenderimus.

8. An

8. An impatientiâ, indignatione, aut irâ, & qualiter peccaverimus. 9. An malis cogitationibus, impuris v. g. vanis, ſuperbis, vindicativis &c. conſenſerimus, vel eis immorati ſimus. 10. An bona propoſita ſpecialia, v. g. certum vitium extirpandi, ſervaverimus &c. alios graviores defectus, errores, & peccata, mordens conſcientia ipſamet ſtatim prodit.

28. Porro, quamvìs cuilibet liberum ſit, illum ex dictis modum, examinandi conſcientiam, eligere, qui eidem pro ſuo genio magis placuerit, tamen primus, utpote magìs facilis, & reliquos quodammodo etiam includens, præ cæteris ſuadetur.

29. Cæterùm, quemcunque modum quis aſſumpſerit, nihilominus in examine ante Confeſſionem ordinariam ſequentia obſervare debetis Chariſſimi.

I. Ut in eo non multum temporis inſumatur; cùm enim in Religione ſæpius, vel bis ſaltem in ſeptimana confiteri, nec non quotidie examen tam generale, quàm particulare fieri oporteat, brevi indagine errores, & peccata, ab ultima Confeſſione deprehendetis; præſertim, ſi primum examinandi modum adhibebitis. Quantum autem temporis impendi debeat, ob diverſitatem perſonarum, & circumſtantiarum, certa regula dari non poteſt. Sæpe confitentibus profectò etiam modicum temporis ſpatium ſufficere poteſt, præſertim, quia juxta dicenda in elicienda contritione, & efficaci propoſito potiùs, quàm in examine, tempus impendere debemus.

30. II. Ut examen non anxiè, aut ſcrupulosè, nec cum ſuperfluo timore inſufficientiæ, ſed quietè, humiliter, & ſimpliciter fiat: hoc ipſo enim, quòd peccata venialia confiteri non teneamur, grave autem quodcunque peccatum, in aliquo aliàs DEUM timente, & ſæpius confitente, præſertim Religioſo, ſtatim absque ulla indagine, ob conſcientiæ remorſum, & Angeli Cuſtodis increpationem, ac monitionem incideret, & ſeipſum proderet, immeritò quis anxiatur, & de inſufficientia examinis inordinatè timet.

31. III. Ut non indiſcretè de omnibus, & ſingulis venialibus peccatis, ac imperfectionibus fiat; cùm enim nec poſſibile ſit hæc

hæc omnia cognoscere, nec expediat cuncta cognita confiteri, minùs expediet indiscreto horum omnium examine ante Confessionem ordinariam se fatigare.

32. IV. Requiritur tamen, ut cum aliqua diligentia competenti fiat de illis etiam levibus peccatis, & defectibus, qui sunt occasio, & radices aliorum; item, in quibus Confessarius internum statum animæ, & conscientiæ nostræ magìs agnoscit: item, qui magìs impediunt à perfectione: item, qui magìs nocent bono communi Religionis: item, qui turbant pacem, & charitatem: item, qui aliis sunt scandalo: item, qui magìs DEO displicere agnoscuntur: item, contra quos habemus examen particulare, vel speciale emendandi propositum: item, quorum consuetudinem, & pravum habitum nos habere scimus: item, quæ ad majorem nostram confusionem sunt, & quæ confiteri magìs erubescimus.

33. V. Pro facilitando, & breviter expediendo examine ante Confessionem, plurimùm servit, si quis in quotidiano examine certîs signîs, calamô, vel cretâ, vel cerussâ, notat speciem, & numerum suorum peccatorum, & imperfectionum, quas vult confiteri; sic enim plus non requiritur, quàm tempore confessionis in sua annotationis schedula, vel tabella, speciem, ac numerum peccatorum videre, atque de cognitis dolere, eáque debitè confiteri. Et hoc illis præcipuè conducit, qui non adeò bene pollent memoriâ, & qui experientiâ sciunt, quòd in faciendo examine ante Confessionem sentiant difficultatem, & tamen plurium obliviscantur, quæ confiteri expediret.

§. II.

De Contritione.

34. QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Contritio? Resp. I. Contritio, prout abstrahit à perfecta, & imperfecta, est dolor, seu pœnitudo animi ob peccata contra DEUM offensum commissa, ac detestatio, seu odium illorum,

cum proposito, ea ampliùs non committendi, & spe veniæ eorundem: hoc est, tunc quis habet contritionem, quando dolet, & pœnitet ipsum peccâsse, id est, vellet seriò, & optaret non peccâsse (hoc enim est propriè pœnitere, & dolere de aliquo commisso, vel omisso, videlicet, verè, ac sincerè velle, & optare, id à se commissum, aut omissum non fuisse) ac propterea detestatur, aversatur, & odiô habet commissa peccata, cum efficaci proposito non ampliùs peccandi, & spe veniæ commissorum peccatorum.

35. Resp. II. Contritio hæc est duplex, perfecta nempe, & imperfecta: *Perfecta est*, quando dolor, seu pœnitudo animi ob peccata commissa, & propositum se emendandi provenit ex DEI offensi amore super omnia, seu quando elicitur propter DEUM summè dilectum; proin, tunc quis habet perfectam contritionem, quando ex motivo amoris dolet, & ideo pœnitet ipsum peccâsse.

36. Contritio *imperfecta* (quæ communiter *Attritio* vocatur) est, quando dolor, & pœnitudo animi ob peccata commissa, & propositum se emendandi non provenit ex amore DEI, sed ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ, aut aliarum pœnarum, quas DEUS in hoc, vel in altero sæculo, vel utroque ob peccata immittit: hoc est, tunc quis habet imperfectam contritionem, seu attritionem, quando dolet, & pœnitet, ipsum peccâsse, & DEUM offendisse (id est, vellet non peccâsse) proponítque se emendare, non ideo principaliter, quia DEUM super omnia amat, sed ideo, quia modò videt, & odiô habet turpitudinem peccati; vel quia timet, ne propterea damnetur, aut in purgatorio puniatur; vel, ne adhuc in hac vita DEUS ipsum puniat, v. g. varias persecutiones, & tribulationes, afflictiones, damna, jacturas in bonis corporis, famæ, fortunæ, aut animæ permittat, aut immittat, ipsámque vitam abbreviet, aut quia aliquid horum actu jam sentit.

37. Quæritur II. Qualis contritio requiratur, & sufficiat? Resp. I. Attritio, seu Contritio imperfecta, quamvis sinè Sacramentali Confessione non sufficiat ad delenda peccata mortalia, tamen

tamen illa accedente sufficit, dummodo non sit merè naturalis, sed supernaturalis; prout defacto post Concilium Trident. *Sess. 14. cap. 4.* Doctores tenent communiter. Esset autem purè naturalis, si quis absque respectu ad DEUM de peccatis doleret, & ea vitare proponeret timore pœnarum cum respectu, non quatenus à DEO, sed quatenus ab homine infliguntur, vel aliunde peccatum consequuntur; v.g. si quis dolet, & pœnitet, ipsum peccâsse, quia timet virgas, verbera, castigationem à Patre, vel Superiore infligendam; vel quia per peccatum coram aliis suam famam, & æstimationem perdidit; vel quia timet, ne propterea officiô privetur, aut impediatur, gratiâ apud hunc, vel illum exciderit, vel excidat: Supernaturalis autem esse censetur, si quis dolet, quia has, vel similes poenas temporales, vel æternas timet cum respectu, quatenus à DEO immittuntur, utpote qui justus peccatorum Vindex, peccata non tantùm in futuro, sed etiam in hoc sæculo adhuc variis pœnis temporalibus, permittendô, & disponendô castigat; taliter enim dolens jam respicit, & timet DEUM, & hoc ipso non merè naturaliter, sed supernaturaliter procedit.

38. Resp. II. Quamvis ad Confessionem sola requiratur, & sufficiat supernaturalis Contritio imperfecta, seu attritio juxta mox dicta, attamen utilissimum, & consultissimum est, assuescere, ut quis ante Confessionem locò attritionis semper eliciat Contritionem perfectam. Ratio est I. Quia hæc sinè comparatione DEO gratior est, quàm attritio. II. Quia longè utilior, efficacior, & magìs meritoria est, & peccata non tantùm quoad reatum culpæ, sed etiam pœnæ magna ex parte, imò subinde totaliter delet. III. Quia longè securior est; cùm facilè contingere possit, quòd attritio, quæ putatur supernaturalis, non nisi naturalis, aut aliàs defectuosa, & ad Confessionem insufficiens sit: præsertim, cùm non desint Doctores docentes, quòd etiam supernaturalis, ex timore pœnæ concepta attritio, cognita ùt talis, non sufficiat ad Sacramentalem Confessionem, nisi appretiativum saltem amorem DEI super omnia includat; ut proin longè præstet in Confessionis ne-

negotio, à quo æterna ſalus pendet, ſecuriorem, utiliorem, & DEO gratiorem viam arripere; conſequenter locò attritionis contritionem perfectam elicere, quatenus, etiamſi quandoque omnino perfecta non eſſet, ſaltem imperfecta, & conſequenter attritio ad Sacramentum ſufficiens adeſſet.

39. Cæterùm, ſive Contritionem, ſive attritionem quis eliciat ante Confeſſionem, conari debet, ut eam non tantùm de peccatis à proxima Confeſſione, ſed etiam de omnibus aliis, per totam vitam commiſſis in genere eliciat: tum, ut ſic ad oblita quoque, & occulta peccata ſe extendat; tum, ut, ſi forſan ſufficientem Contritionem de peccatis, à proxima Confeſſione quis non haberet (utì facilè contingere poſſet, caſu quo quis confiteretur non niſi talia, ad quæ inordinatè adhuc affectus eſt, & quæ vix emendabit) dicta Contritio ſaltem de antiquis, de quibus etiam in genere ſaltem ſe accuſat, exiſteret, ſicque adhuc Confeſſio doloroſa (utì requiritur) adeſſet: tum, quia, quoties etiam in genere tantùm dolemus de peccatis, toties DEO placemus, meremur, & aliquid de pœnis pro eis debitis (ſi deletæ nondum ſunt) delemus.

40. Quæritur III. An, & quale requiratur propoſitum non ampliùs peccandi? Reſp. Ad contritionem tam perfectam, quàm imperfectam, ſeu attritionem, neceſſariò etiam requiritur firmum propoſitum impoſterum non ampliùs peccandi, prout poſt Concil. Trident. ſupra citatum docent unanimiter omnes. Ad hoc autem perfectè eliciendum tria requiruntur. I. Ut ſerium ſit, & efficax. II. Ut ſit univerſale de omnibus ſaltem mortalibus peccatis. III. Ut fiat cum diffidentia in ſeipſum, & confidentia in DEUM, & gratiam ejus. Itaque

41. I. *Serium*, & *efficax* propoſitum requiritur, & tunc eſt, quando verè, & ex corde quis ſibi non tantùm nudè proponit, non ampliùs peccare, ſed etiam omnem peccandi occaſionem, ſaltem proximam vitare, potiùs omne malum incurrere, & pati, omni gaudio, felicitate, & bono privari, & carere, quàm adhuc peccare; ac inſuper attendere, & vigilare, ſibíque vim inferre, ne ampliùs in peccata relabatur: nam,

nam, qui proximam peccandi occasionem (id est, illam, quæ ex natura sua hominem similis conditionis ad certum peccatum plerumque inducit, vel in qua quis experientia teste plerumque cadit) vitare non vult, consequenter verum ad Confessionem requisitum propositum non habet, adeóque Confessionem invalidam facit juxta unanimem doctrinam Theologorum.

42. Pariter verè efficax propositum non habet, qui ad vitanda peccata attendere, & vigilare non vult: hoc ipso enim, quòd natura nostra per peccatum Adæ totaliter, ac ita perversa, & corrupta sit, ut ex se ad omne peccatum magnam inclinationem, ac propensionem, & econtra à bono spirituali aversionem habeat; utique attendere, & vigilare, ejúsque inclinationi, ac propensioni, vel aversioni vim inferre oportet, ne datâ peccandi materiâ, vel occasione, in peccata prolabatur; præsertim in illis peccatorum speciebus, in quibus quis jam malè habituatus est, & peccandi consuetudinem habet; facilè námque, ac citò, data occasione quisque illud agit, ad quod agendum aliàs summè inclinatus, & habituatus est, nisi bene attendat, perversámque, & malè habituatam naturam quasi violenter cohibeat: sicut econtra illud, à quo quis aversionem habet, seu quod alicui tædiosum, ac difficile videtur (qualia respectu perversæ naturæ sunt ferè cuncta præcepta positiva sub peccato aliquid imponentia) raro, aut vix quis aget, nisi vim spiritualem sibi inferat, ut proin attendere, vigilare, sibíque vim inferre, ne quis peccet, sit medium necessarium ad vitanda peccata, consequenter ad efficaciam propositi requisitum; quia juxta communem Theologorum, & SS. Patrum, efficax propositum ad obtinendum aliquem finem nemo habet, qui media ad consequendum finem necessaria adhibere non vult.

43. Defectus hujus requisiti potissima causa est, quòd proposita nostra etiam centies, ac millies repetita non servemus, sed in antiqua peccata iterum relabamur; quia nempe debitè non attendimus, & vigilamus, ac vim nobis inferre nolumus. Patet id clarè in quovis obvio, etiam

etiam simplicibus claro casu, vel exemplo. E. g. si quis pecuniæ summè indigens, & cupidus, ad certum quoddam peccatum v.g. iræ, impatientiæ, gulæ, jactantiæ &c. valde pronus, summéque jam consuetudinarius sit, & ei seriò promittatur: si hac septimana, vel hoc mense, ab ira, vel ab impatientia abstines, & cuncta adversa patienter sustines; vel, si in potu nullum excessum facis &c. finito mense statim habebis in parata pecunia mille aureos: talis profectò non obstante summa sua inclinatione, & prava consuetudine, certè abstineret à peccato hujusmodi: quare? quia amore pecuniæ summopere attenderet, & vigilaret, ne data occasione in iram v.g. vel impatientiam prorumperet; & licèt tota natura ad eam illum impelleret, & quasi urgeret, tamen desideriô, & amore pecuniæ non faceret, sed sibi, & naturæ vim inferret, & se cohiberet. Econtra promittuntur nobis continuò Gratia DEI, Regnum cœlorum, Thesaurus cœlestis, & alia dona, si non peccamus; si verò peccamus, minitatur nobis gehenna, mors æterna, aliáque mala, & tamen non obstante toties repetitô propositô nostrô, data occasione juxta passionem, vel propensionem, vel pravam consuetudinem perversæ naturæ, peccare pergimus: quare? quia nec amore DEI, & cœlestium, nec timore gehennæ, & aliorum, debitè attendimus, vel vigilamus, neque vim naturæ, aut inclinationi nostræ inferimus, sicut amore, vel timore terrenorum. Ex quo etiam apertè convincimur, & confundimur, quòd terrena, & transitoria revera magìs amemus, quàm DEUM, & æterna, utpote magìs pro illis, quàm pro istis soliciti.

44. II. Debet propositum esse *Universale:* id est, de omnibus peccatis, *saltem mortalibus* vitandis; si enim vel unicum peccatum mortale vitare quis nollet, jam hoc ipso sufficiens propositum ad Confessionem non haberet. Dicitur *saltem mortalibus:* siquidem de omnibus venialibus absolutè necessarium non est; cùm dari possit valida Confessio, etiamsi quis affectum erga unum, vel plura venialia, & voluntatem illa adhuc perpetrandi retineret; quamvìs hujusmodi Confessio respectivè satis imperfecta

fecta esset, præsertim in Religioso, qui etiam circa venialia semper ita dispositus esse, & tale propositum habere deberet, ut paratus esset potiùs omnia mundi mala sustinere, omnî bonô tam corporis, quàm famæ, & fortunæ privari, aut carere, quàm deliberatè, & cum plena advertentia, vel levissimô peccatô veniali, v. g. mendaciô levî DEUM offendere, utpote qui probè scire supponitur, quòd etiam minimum peccatum veniale omnia excogitabilia mundi mala incomparabiliter superet, juxta dicta superiùs *Cap. 4. n. 7.*

45. III. Debet propositum fieri *summa cum diffidentia in seipsum, & confidentia in DEUM, & gratiam illius.* Cùm enim ex nobis ipsis prorsus nil possimus, quàm errare, & peccare, simúsque ad peccandum ex natura summè proni, & inclinati, quivis certè non obstante firmissimo proposito, in omne peccatorum genus turpissimè prolaberetur, nisi à gratia DEI adjuvaretur; hinc specialiter vult DEUS, ut miseriam, imbecillitatem, & malitiam nostram humillimè agnoscentes, nobis ipsis, & viribus plenè diffidamus, ac in gratia, & auxilio ejus principaliter confidamus; simul tamen etiam ex parte nostra ita operemur, & certemus, quasi effectus ex nostro conatu dependeret; non, quasi in nostro conatu confideremus, sed quia DEUS vult, ut nostrum quoque faciamus, & gratiæ illius cooperemur. Quò major est diffidentia in nostras vires, & confidentia in DEUM, eò certior, & major erit Divina gratia, & subsequens inde victoria.

46. Hæc diffidentia in se, & confidentia in DEUM facit, quòd quivis, etiam consuetudinarius, & habituatus in malo, & qui quasi prævidet, se hoc, aut illud peccatum non vitaturum, sed in illud sæpius iterum relapsurum, firmum, ac sufficiens ad Confessionem habere possit, ac revera habeat propositum, si nempe considerans suam imbecillitatem, inconstantiam, & malitiam, sibi ipsi plenè diffidens, in DEO, & gratia ejus summè confidat, cum proposito faciendi, quod in se est, & cooperandi gratiæ Divinæ: ùt, si v. g. fiducialiter DEUM ita alloquitur: „ Ter Optime, misericordissime Domine DEUS, „ agnosco, & humillimè confi-

„ teor

„ teor summam imbecillitatem, „ fragilitatem, & malitiam me- „ am, quam solam si considero, „ de emendatione mea meritò „ desperare deberem, utpote hoc „ NN. me rursus commissurum, „ certò quasi prævidens; nihil- „ ominus, quia scio, paratam „ cuivis infinitæ Bonitatis tuæ „ assistentiam, ideo cum auxilio, „ & gratia tua, in qua sola plenè „ confido, firmissimè propono „ non ampliùs peccare.

47. Cæterùm, licèt juxta cómmunem Theologorum necesse non sit, ut propositum non ampliùs peccandi cum suis requisitis explicitè eliciatur, sed sufficiat *implicitum*, & *virtuale*, quæ in ipsa Contritione censetur inclusa (hoc ipso enim, quòd quis ex animo doleat, & pœniteat ipsum peccâsse, vellétque peccatum non commissum, & odiô habeat, ac detestetur illud, censetur virtualiter, & implicitè habere propositum, non ampliùs id perpetrandi, quod ita detestatur, & odiô habet) tamen, quia aliqui Theologi etiam formale requirunt, longè melius, perfectius, & securius est, propositum cum suis requisitis etiam explicitè elicere.

48. Porro necessariò insuper requiritur, ut hoc propositum concomitetur *Spes veniæ*, prout expresè docet Concil. Trident. *cit. Sess. 14. cap. 4.* licèt verò pariter necesse non sit, ut expresè eliciatur, sed sufficiat *virtualis*, & *implicita*, sicut propositum, tamen etiam melius, securius, & perfectius est, eam expresè elicere. Et hanc quis facilè eliciet, si sit memor infinitæ bonitatis, & misericordiæ, quæ non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat; & quæ magis gaudet super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis; quæ insuper multipliciter promisit, quemvis, etiam maximum, & millies relabentem peccatorem, corde contrito tamen, & humiliato redeuntem, iterum suscipere, & peccata eidem remittere, præsertim, postquam DEI Filius Christus JESUS pro salvandis peccatoribus venit in mundum, & pro peccatis eorum per vitam, passionem, & mortem suam infinitè satisfecit.

§. III.

§. III.

De Confessione actuali.

Visis iis, quæ ante Confessionem fieri debent, veniunt jam examinanda illa, quæ in Confessione servanda, & observanda sunt, seu qualiter ipsa Confessio fieri debeat. Itaque

49. Quæritur I. Quid sit actualis Confessio? Resp. Confessio ista *est legitima sui accusatio de propriis peccatis suis coram Sacerdote ad impetrandam veniam eorum.* Hæc descriptio est in re communis apud Theologos, & quamvis clarè pateat ex terminis, tamen breviter declaratur. Dicitur *Accusatio sui*: quia in Confessione peccator est simul Actor & Reus, utpote se ipsum accusans. Dicitur *legitima*: id est, modô debitô juxta legem Divinam, & alias conditiones pro ejusdem perfectione servientes. Dicitur *coram Sacerdote*: quia solus Sacerdos jurisdictione præditus absolvere potest à peccatis. Dicitur *ad impetrandam eorum veniam*: quia primarius Confessionis finis est remissio, seu venia peccatorum commissorum.

50. Quæritur II. Quænam conditiones requirantur ad eam? Resp. Quamvìs Theologi ad Confessionem exactè, & ritè instituendam plures præscribant conditiones sequentibûs versiculîs comprehensas,

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, lacbrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata:

tamen, quia aliqua harum conditionum coincidunt, vel saltem plures earum ad unam reduci possunt, omnes conditiones exactam, & perfectam Confessionem exprimentes, unicô sequentî versiculô comprehenduntur.

Est humilis, verax, prudens, brevis, integra, sæpe.

51. I. Itaque conditio eſt ad Confeſſionem perfectè & ritè inſtituendam, ut ſit *humilis:* & quidem humilitate tam interna, quàm externa; interna quidem, quatenus peccator memor horrendæ malitiæ, & peccatorum, quibûs ipſe tantopere, & toties in vita ſua, ac in ſpecie à nupera Gonfeſſione iterum offendit DEUM; & conſequenter memor etiam iniquitatis, ingratitudinis, & inconſtantiæ ſuæ, coram oculis Divinæ Majeſtatis profundiſſimè ſe humiliat, omnium creaturarum iniquiſſimum & ingratiſſimum, morte, omníque plagâ externâ, & temporali ſe digniſſimum, econtra omni beneficio, gratiâ, & veniâ indigniſſimum eſſe agnoſcit; ac propterea ad modum Publicani oculum in cœlum attollere vix audens, corde contrito, & humiliato Confeſſarium accedit, ex odio erga ſeipſum, & peccata, coram eodem locum DEI tenente, humillimè ſe accuſare, iniquitatem, & malitiam ſuam ſinceriſſimè detegere, ſemetipſum confundere, & pro delictis, ac peccatis ſuis ſummè promeritam pœnitentiam, ſeu pœnam amore DEI petere, & peragere intendens.

52. Ad ſummè utilem, & DEO gratam internam hanc humilitatem fovendam, & ſub ipſa Confeſſione continuandam, ſicut & ad alias conditiones rectè obſervandas, maximè conducit, & in praxin deducendum eſt, ut, dum confiteris Chariſſime! & ſpecialiter, dum incipis *Confiteor DEO Omnipotenti &c. & tibi Pater &c.* memor ſis præſentiæ Divinæ, & recorderis, quòd non ſolùm confitearis Sacerdoti, ſed etiam ipſi, & quidem præſentiſſimo DEO, corda ſcrutanti, & renes, omnia tua delicta perfectè, & intimè agnoſcenti, exactiſſimè attendenti, & videnti, qua præparatione, qua intentione, qua contritione & propoſito, qua humilitate, & reverentia, qua ſinceritate & veritate, confeſſionem tuam deponas.

53. Ad eandem humilitatem internam, & memoriam præſentis, ac inſpicientis DEI pertinet, ut Confeſſio fiat, & peragatur recta intentione, videlicet ex amore DEI, & odio ſui, ad DEI gloriam, & ſui confuſionem, & non ad captandam vanam gloriam, æſtimationem, favorem Confeſſarii, vel alio-

rum,

rum, & consequenter, quòd habeat conditionem à Theologis requisitam, ut sit *pura*, id est, ut fiat recta, & humili intentione.

54. Præter humilitatem internam debet Confessio etiam esse humilis humilitate externa, in verbis, & externa compositione corporis consistente, quatenus nempe ex vera humilitate interna verbîs non nisi humilibûs, & simplicibûs, modô loquendi humilî, verecundô, pacatô, ac modestô, humilíque situ corporis, v.g. nudo capite, demissìs in terram oculìs, flexìs genibûs, erectis, & supplicibûs manibûs Confessario fiat, nisi necessitas, aut infirmitas aliud exigat: item, ut verba præcisè ad sui accusationem, & confusionem, & non ad sui excusationem, & defensionem tendant, nisi in quantum pro natura peccati, declarandìs circumstantiîs, & nuda veritate detegenda requiritur: qua ipsa humilitate externa erit etiam *simplex, verecunda*, & *accusans*, ùt requirunt Theologi.

55. Contra hanc conditionem *humilis* errant, & imperfectè agunt *primò*, qui immemores præsentis DEI, absque ulla humilitate interna, confessionale accedunt, & confessionem peragunt, potiùs soliciti, ne per confessionem hujus, vel illius peccati apud Confessarium confundantur, & æstimationem perdant, quàm ut se confundant, & sui contemptum quærant.

56. Errant *secundò* adhuc magìs, qui ideo, vel talia, vel talî modô confitentur, ut à Confessario æstimationem, aut favorem acquirant, & ab eo pii, virtuosi, & humiles habeantur.

57. Errant *tertiò*, qui comptîs, ornatîs, & exquisitîs verbîs, artéque Rhetorica sua peccata proponunt, ut pro doctis, suáque bene proponere valentibus, à Confessario judicentur.

58. Errant *quartò*, qui absque humili, & verecunda modestia, vel absque humili compositione corporis externa, properanter, & audacter peccata deblaterant, haud aliter, ac si ad modum puerorum citò quid memoriter recitarent, aut fabulam narrarent.

59. II. Conditio est, ut Confessio sit *verax*: id est, peccata debent exprimi cum nuda, & simplici veritate, prout conti-

gerunt, finè ullo admixto mendacio, fallacia, deceptione, & finè ambagibus, quibûs peccata obſcurantur, ne bene cognoſcantur.

60. Contra hanc conditionem errant *primò*, qui majoris ſecuritatis causâ, aut ex humilitate (utì falsè putant) ſcienter magìs ſe accuſant, quàm à parte rei peccârunt, vel majorem numerum exprimunt, vel dubia pro certis proponunt.

61. Errant *ſecundò*, qui ex erubeſcentia, aut amore proprio palliant, abſcondunt, aut minuunt gravitatem peccati, aut malitiam peccatorum, aut ita proponunt, ne Confeſſarius malitiam peccatorum, aut gravitatem agnoſcat, vel apprehendat, ſed aliter de illo judicet; quod in materia gravi mortaliter peccaminoſum foret, & Confeſſionem ſacrilegam redderet: ſicut etiam, ſi quis ſcienter ſe accuſaret de peccato mortali, quod non fecit, aut de majori numero, quàm reus eſt, niſi bona fides eum excuſet: de quo magìs Theologi.

62. III. Conditio eſt, ut ſit *prudens*, ſeu *diſcreta*, & quidem *inprimis*, ne complicis, vel alterius peccata detegantur, niſi ad propriorum peccatorum explicationem neceſſe ſit, aut alia juſta cauſa id ſuaſerit.

63. *Secundò*. Ut peccata verbîs diſcretîs, & honeſtîs, præſertim in materia lubrica proponantur.

64. *Tertiò*. Ut ſinè ſuperflua anxietate, cura, fatigatione, & ſcrupuloſitate, ne quid forſan omittatur, aut non exactè, vel ſatìs circumſtantionatè proponatur, fiat, quia confeſſionale non eſt carnificina, nec majorem, quàm moralem, & mediocrem diligentiam requirit, præſertim, cùm peccata inculpabiliter omiſſa, aut minùs rectè explicata, nihilominus tamen ſaltem indirectè remittantur; ut proin non tam ſoliciti eſſe debeamus, ne poſt factum ſufficiens moderatum examen, alicujus etiam gravis peccati obliviſcamur, quàm ut cognita ritè confiteamur, & de eis veram contritionem, ac efficax emendandi propoſitum habeamus; eò quòd ex oblivione aut ignorantiâ omiſſa etiam peccata mortalia, æquè ac confeſſa dimittantur; dummodo de omnibus in genere ſaltem univerſalis eliciatur contritio.

65.

65. *Quartò.* Ne semper sit eadem antiqua cantilena, eodem modo, iisdémque verbîs proposita, sed mutetur pro diversitate peccatorum, & circumstantiarum, quibûs committuntur; siquidem nunquam, vel rarò contingit, quin unum, vel aliud novum peccatum veniale, aut antiquum alia cum circumstantia, aut aliam imperfectionem committamus, e. g. subinde distractus es in Officio Divino cum advertentia, subinde sinè, vel minori cum advertentia, subinde das causam distractioni, subinde non, es tamen negligens in ea repellenda: unde discretio ad exactam Confessionem requisita exigit, ut alio, & alio modo, prout nempe à parte rei contigit, humiliter, & simpliciter peccatum proponatur.

66. *Quintò.* Discretio requirit, ut, si quis habet valde multa & graviora peccata venialia, minora, & imperfectiones omittat: secus est in illis, qui virtuti & perfectioni magìs studentes, non nisi unum vel aliud, aut pauca venialia habent; hi enim sicut gratiâ magìs illustrati, etiam minima statim vident, sic eadem, imò & imperfectiones utilissimè confitentur, ita eis suadente S. Bonaventura *in Specul. Discipl. cap. 9.* ubi ait: „ Non „ contemnant modica, ne paulatim defluant ad majora: in „ domo namque, quam subintrans radius solis illuminat, „ quantumcunque fuerit præmundata, atomi nihilominus „ diligentiùs intuenti apparent: „ sic & cor, radiîs gratiæ illustratum etiam minima videt, ac „ vitiorum laqueos subtili examinatione discernit: quantò „ quis fuerit mente purgatior, „ tantò se sordidiorem videbit, „ & majores causas humilitatis „ inveniet; deponendæ tamen „ sunt scrupulositates quædam „ superfluæ, quæ conscientiam „ in erroris confusionem inducunt. Hæc S. Doctor.

67. *Sextò.* Discretio etiam exigit, ut peccata certo ordine proponantur, e. g. priùs peccata, quæ corde, aut cogitatione, dein quæ ore, & tandem, quæ opere commisimus, aut omisimus.

68. *Septimò.* Ad discretionem etiam spectat prudens electio Confessarii, ut videlicet, quantùm fieri potest, eligatur doctus, prudens, pius, & expertus, quem in dubiis & anxietatibus nostris confidenter consulere, & tutò

ſequi valeamus; ſi enim pro ſalute corporis optimum, quem habere poſſumus, eligimus Medicum, multò magìs pro ſalute animæ id facere debemus.

69. IV. Conditio eſt, ut Confeſſio ſit *brevis,* quantùm fieri poteſt, utì omnes Aſcetæ ſuadent, præſertim D. Bonaventura. Nam illa Confeſſio non eſt melior, quæ eſt longior, ſed quæ majori cum contritione, & efficaciori cum propoſito peragitur. Unde (quod bene notandum eſt) potiſſimum tempus non in examine, vel confeſſione, ſed in elicienda vera contritione, & propoſito inſumi debet, niſi quis confiteretur generaliter, vel annualiter. Ratio ulterior eſt, quòd juſtò longior Confeſſio, Confeſſario & aliis, & ipſi confitenti gravis, & odioſa ſit, eíque tempus ad utiliora immeritò adimat.

70. Contra hanc conditionem errant *primò,* qui integram hiſtoriam, & facti ſpeciem narrant, aut multîs ambagibûs, & circumſtantiîs non neceſſariîs declarant peccata, quæ tribûs, vel quatuor verbîs proponi poſſent.

71. *Secundò.* Qui impertinentia, & ad confeſſionale non ſpectantia referunt.

72. *Tertiò.* Qui obruti peccatîs, omnia etiam minima peccata venialia, & imperfectiones confiteri volunt.

73. *Quartò.* Qui longum catalogum transgreſſionis præceptorum in genere, in ordinariis Confeſſionibus ex conſuetudine proponunt. E. g. „ DEUM „ ſuper omnia non amavi. Pro„ ximum meum ſicut meipſum „ non dilexi. Ante, & in con„ feſſione non me habui, utì de„ buiſſem; ante, in, & poſt Com„ munionem non me exhibui, „ utì debui. Dies feſtos non ce„ lebravi, ùt debui &c. *Noli,* ait S. Bonaventura *de Inſtitut. Novit. p. 1. cap. 12. longum tractatum texere, cujusdam generalis, & affectata Confeſſionis, quia generatur tadium Confeſſori.* Finita tamen Confeſſione ſummè expedit, magnámque utilitatem, meritum, & ſecuritatem præſtat, ut in ſolita clauſula quisque de omnibus peccatis per totam vitam commiſſis, in genere, corde contrito, & humiliato ſe accuſet; quod etiam ſuadet D. Bonaventura *in Regul. Novit. cap. 3.*

74. *Quintò.* Qui de ſacrilegis, blasphemis, laſcivis, & aliis malis cogitationibus, aut tentationibus

bus sinè suo consensu, imò cum sua molestia, consequenter absque peccato habitis se accusant, & dum hoc faciunt, seipsos non rarò excruciant, vexant, inquietant, ansas ad novas tentationes præbent, Confessario tædio sunt, & tempus auferunt; quapropter non expedit, ea confiteri, si vel sinè advertentia, vel sinè consensu nostro habentur; nisi quando forsan subinde id necesse sit pro instructione, vel consolatione nostra à Confessario capienda, aut ad agnoscendum statum pœnitentis. In quo sensu intelligendus est S. Bonaventura *in Specul. discipl. part. 1. cap. 9.* dicens: *Tentationes suas, & cogitationes malas nulla ratione occultent.*

75. V. Conditio est, ut sit *integra*, id est, ut saltem omnia peccata mortalia, quæ post debitum, & diligens examen memoriæ occurrunt, secundùm numerum, & speciem, ac etiam circumstantias speciem mutantes, sincerè proponantur, nisi impossibilitas, vel alia sufficiens causa excuset, prout sæpe contingit tempore infirmitatis, perplexitatis, & ignorantiæ; tunc enim necessariò non requiritur Confessio *materialiter integra*, id est, de omnibus mortalibus memoriæ occurrentibus, hoc ipso, quòd physicè vel moraliter impossibile censeatur; sed sufficit *integra formaliter*, id est, talis, qua quis taliter confitetur, qualiter sibi physicè, vel moraliter possibile est. Circumstantias aggravantes peccatum, speciem tamen non mutantes, confiteri, quamvìs laudabile, meritorium, ac magìs securum sit, tamen absolutè necessarium non est.

76. Cæterùm, ut Confessio saltem formaliter sit *integra*, ita necesse est, ut, qui vel unicum peccatum mortale scienter, & culpabiliter nimirum sinè causa sufficienter excusante omitteret, non tantùm nulliter confiteretur, sed novum gravissimum peccatum sacrilegii committeret; pro consolatione tamen circa integritatem Confessionis revide dicta paulò ante *num. 64.* Plura de integritate confessionis dicenda, ad Theologiam differuntur; quia hìc principalis finis est, Ascesin, Theologiæ tamen conformem, docere.

77. VI. Conditio est, ut fiat *sæpe*, seu, ut sit *frequens:* quamvìs enim etiam in peccatis mortalibus existens præcepto confi-

tend

tendi satisfaceret, si saltem semel in anno confiteretur (nisi in articulo mortis, aut probabili periculo ejusdem ex quacunque demum causa existat, vel debeat celebrare; in his enim casibus sub gravi peccato quivis confiteri tenetur, qui gravis peccati sibi conscius, copiam Confessarii habet) attamen utilissimum, summè laudabile, & meritorium, imò ad assequendam perfectionem quasi moraliter necessarium est, sæpius confiteri etiam sola venialia, prout constat ex dictis.

78. Quæritur III. Qualiter in praxi actualis aliqua confessio fieri valeat? Resp. Charissimi! ut hucusque dicta magìs capiatis, faciliúsque, & perfectiùs in opus deducatis, ecce! exhibentur vobis hìc perfectæ formulæ practicæ de cunctis requisitis, ipsáque confessione, unà cum modo ritè incipiendi, & terminandi Confessionem.

79. Itaque, quando confiteri vis, priùs in tua cella coram Crucifixo, vel in Choro, aut Oratorio coram Venerabili, aut certè in alio, à distractionibus separato loco, quantùm fieri potest, memor præsentiæ DEI, in genua humillimè provolutus, ante omnia fac

I. Bonam intentionem, & exactè confitendi propositum.

II. Invoca auxilium Divinum.

III. Examina conscientiam.

IV. Elice contritionem cum firmo proposito, & spe veniæ, talì vel similì modô.

Intentio.

50. O Imense, Misericordissime DEUS! Ecce venio ad te iterum vilissima, peccatorum maculis deturpata, abominabilis, conspectu tuo indignissima, ingratissima creatura, & ad pedes Divinæ Majestatis tuæ humillimè prostratus fateor, quòd rursus peccaverim, & infinitam tuam bonitatem offenderim, sed quoniam scio, quòd non velis mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, animáque illius à peccatorum maculis quantocius mundata, tibi iterum grata reddatur, summopere desideres, & ad hunc finem mirabile Pœnitentiæ Sacramentum, omnium peccatorum extinctivum institueris, nil aliud exigens, quàm ut peccator se humiliet, cordéque contrito & humiliato, ac firmo emendationis pro-

po-

posito peccata sua confiteatur; ideo infinitæ Bonitatis tuæ desiderio satisfacturus, ex amore erga te, & odio erga me, & peccata mea, ad laudem, & gloriam tuam, ad meum verò contemptum, & confusionem, confitebor adversùm me injustitiam meam, & omni possibili reverentia, humilitate, contritione, proposito, & fiducia, omníque perfectione à te requisita, Pœnitentiæ Sacramentum suscipere intendo, ac propono.

Invocatio.

81. QUoniam verò optimè nôsti Clementissime DEus, quòd sinè gratia tua prorsus nil boni valeam, ideo rogo te humillimè per tuam infinitam bonitatem, & misericordiam, per merita, & Nomen JESU Christi, da mihi gratiam, ut cuncta mea contra te commissa peccata plenè cognoscere, de iis perfectè dolere, eadémque exactè confiteri, & imposterum vitare, atque reliquos fructus hujus Sacramenti percipere valeam.

Ad quem finem ad te quoque confugio, tuúmque patrocinium imploro, Mater misericordiæ, Refugium peccatorum; immaculatè concepta, ter admirabilis Virgo, & Mater DEI Maria.

Tu etiam auxiliô, & patrociniô assiste fidelissimè mi Angele Custos, vósque electi, & dilecti Patroni mei, Sanctique DEI omnes, præsertim tu N. cujus festum Ecclesia militans in terris, & triumphans in cœlis hodie colit.

Facto dein examine, habitáque memoriâ, & cognitione, saltem in genere, & in confuso, de peccatis, & malitiosâ vitâ, nec non de peccatis à proxima Confessione, sequitur brevis consideratio ad contritionem, ac mox subjungitur ipsa contritiô cum proposito.

Contritio, & Propositum.

82. O Stultitia, & iniquitas! ô impia, ingrata, scelesta creatura, quid fecisti? Ah! peccavi, erravi, stultè, iniquè, impiè egi, & malum infinitum coram te feci, toties, tantoperè, & taliter per vitam meam, ac de novo (si à proxima Confessione alicujus peccati denuo te reum invenis) offendendô te amandissimum DEUM meum, summum ac infinitum Bonum, quem ex infinitis titulis super om-

omnia diligere semper debuissem, prout ex nunc super omnia amo, & in æternum amabo, atque ex amore erga te summè doleo, & ex corde pœnitet me, quòd unquam offenderim te. O utinam nunquam te offendissem! ô utinam nunquam peccâssem! ô amandissime DEUS, si facere possem, quòd te nunquam offendissem, paratissimus essem, statim hoc momento omnes pœnas, & omnia mala, ipsámque mortem cum tua gratia sustinere; quia revera quodvis, etiam minimum peccatum, utpote tuæ infinitæ bonitatis offensam, majus, quàm omne aliud excogitabile malum reputo. Hinc etiam omnia & singula mea peccata super omne aliud malum detestor, abominor, & aversor; simúlque firmissimè, & efficaciter propono, potiùs mori, & omnia mundi mala sustinere, quàm semel adhuc, vel etiam levissimè te DEUM meum deliberatè offendere. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ; custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi. Imposterum Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

Nec tamen in hoc quantumvìs firmo proposito, vel ullis aliis viribus, sed in auxilio, & gratiâ tuâ præcipuè confido; quia sinè hac me nil quàm errare, & peccare posse agnosco, & confiteor; cum illa verò me non ampliùs peccaturum firmiter spero.

Quapropter, quia pœnitenti & revertenti veniam, & gratiam promisisti, corde contrito, & humiliato, fiduciáque plenus ad te clamo, DEUS propitius esto mihi peccatori, da veniam de præteritis, & da gratiam vitandi peccata in futurum, quam utramque per infinitam tuam bonitatem, misericordiam, & veritatem, per merita, & mortem JESU Christi humillimè imploro, ac firmissimè spero.

Breviores Actus.

Intentio.

83. O Misericordissime DEUS! ecce ad te venio iterum creatura ingratissima, peccatorum maxima, & quia scio, quòd velis, & summè desideres, ut peccator etiam post mille relapsus revertatur, pœnitentiam agat, peccata sua humiliter confiteatur, & per Sacramentum Pœ-

Pœnitentiæ à peccatis commiſſis ſolvatur, contra futura firmetur, ac confortetur; hinc infinitæ bonitatis tuæ deſiderio ſatisfacturus, ex amore erga te, & odio erga me, ad tuam gloriam, & meam confuſionem humillimè confitebor adversùm me injuſtitiam meam, & Pœnitentiæ Sacramentum omni à te requiſita perfectione ſuſcipere intendo, ac propono.

Invocatio.

84. VErùm, quia ſinè te prorſus nil boni valeo, ideo per tuam infinitam Bonitatem, & Nomen JESU Chriſti humillimè rogo, da mihi gratiam peccata mea perfectè cognoſcendi, de iis corde contrito dolendi, eáque confitendi, & emendandi.

Contritio, & Propoſitum.

85. O Inſania, & malitia, quid feci? Ah peccavi, impiè egi, & malum coram te feci, toties, & taliter offendendô te DEUM meum, ſummum ac infinitum Bonum, quem innumeris de cauſis ſuper omnia amare debuiſſem, prout jam amo, & in æternum amabo, atque ex amore ſummè doleo, & ex corde pœnitet me, quòd unquam offenderim te; O utinam id factum nunquam fuiſſet! Verùm non ampliùs fiet; firmiſſimè enim propono, & ſtatuo, cum gratia tua, in qua ſola confido, & quam humillimè imploro, potiùs mori, & omnia mala ſuſtinere, quàm te adhuc offendere; quia etiam minimam offenſam tuam majus, quàm omne aliud malum reputo, ac ſuper omne aliud malum deteſtor, & abominor: quapropter corde contrito, & humiliato ad te clamo, DEUS propitius eſto peccatori, quod per infinitam tuam Bonitatem, & Miſericordiam, ac Merita Chriſti firmiſſimè ſpero.

Facta intentione, invocatione, examine, & contritione, tanquam proxima præparatione, accede Confeſſarium, & confitere ſequentî modô.

86. Videlicet memor intentionis tuæ, ac præſentiæ Divinæ, interna, & externa humilitate ac reverentiâ, erectîs, & junctîs manibûs, demiſsîs oculîs, modeſtè Confeſſarium accede, & veniens ad illum, coram eodem tanquam DEI vices tenente, profundam corporis inclinatio-

nem humiliter exhibe, statímque genuflexus devotè pete Benedictionem à Confessario dicendô: *Benedicite Reverende Pater:* dum Confessarius benedictionem impertitur, tu quoque devotè forma crucem dicendô: *In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* & memor Divinæ præsentiæ, cogitánsque, quòd DEO potiùs, quàm homini loquaris, priùs coram eodem præsentissimo DEO, B. V. Maria, & tota cœlesti Curia spectante, ac tandem coram Sacerdote, DEI locum tenente, de peccatis in genere seriò, & humillimè te accusa, dicens devotè & attentè illud ab Ecclesia institutum *Confiteor DEO Omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini &c.* usque ad illa verba inclusivè: *Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ*; juxta doctrinam S. Bonaventuræ *in Reg. Novitior. cap. 3.* quibûs dictîs erigens te adde; *specialiter autem me accuso de peccatis à proxima Confessione, quam feci* (hìc indica tempus ultimæ Confessionis, e. g. *quam feci ante tres dies, vel præterita die Dominica, vel feria quintâ, vel in hoc festo, vel ill*) dein continuans semper memoriam præsentis DEI, humiliter & simpliciter, discretè & breviter secundùm numerum & speciem, atque circumstantias debitas juxta dicta *à num. 51.* enarra peccata post ultimam Confessionem commissa: cujusmodi enarrationis formas pro majori captu habes paulò infra *à num. 97.*

87. Si subinde ab ultima Confessione nullius certi, etiam venialis cum requisita ad illud saltem semiplena, vel aliquali advertentia commissi peccati reum te scis (prout non raro contingit illis, qui virtuti & perfectioni debitè student) aliquas imperfectiones confitere, & id, de quo forsan dubitas, an sit aliquod peccatum saltem veniale, vel non: quibus enarratis pro majori securitate, ut nempe certa habeatur materia absolutionis, adde unum, vel alterum, præsertim verò tui confusivum ex antiquis jam confessis peccatis, dicendô: *Accuso me etiam de olim jam commisso & confesso, vel commissis & confessis peccatis, videlicet, quòd e. g. in sæculo adhuc commiserim, prò dolor! &c.*

88. Quòd si per DEI gratiam etiam imperfectionum, aut dubiorum & incertorum peccatorum venialium te reum non invenis, aut in iis inveniendis, vel pro-

proponendis difficultatem habes, & nihilominus ex præscripto Superiorum, aut Statutorum confiteri debes, poteris absque ulla enarratione commissorum, aut omissorum à proxima Confessione, statim te accusare de uno, vel pluribus ex antiquis confessis peccatis; quòd si facis, tunc illa verba, *specialiter autem me accuso de peccatis à proxima Confessione commissis*, omittere, & locò ipsorum statim post illa verba, *meâ maximâ culpâ*, dicere debes: *Et quamvis per DEI gratiam alicujus certi peccati reum me non sciam, tamen me accuso de peccato, vel peccatis, olim jam commisso, & confesso, vel commissis & confessis, videlicet &c.*

89. Porro, si confiteris ordinario Confessario, vel tali, cui aliàs jam unum vel plura certa, saltem venialia confessus es peccata, necesse non est, aliqua ex antiquis addere, etiamsi certum aliquod veniale peccatum non habeas; sed poteris enarratis quibûsdam imperfectionibûs, vel defectibûs, aut incertîs peccatis venialibûs statim solitam generalem accusationem de omnibus peccatis addere; hoc ipso enim, quòd juxta statim infra dicenda, in quavis Confessione addatur etiam Confessio universalis de omnibus peccatis per totam vitam commissis, includuntur etiam peccata olim in specie confessa tali Confessario; consequenter talis Confessarius jam scit, & habet certam, ac etiam specificam materiam absolutionis. Accedit, quòd juxta Tamburinum *Tract. 2. in quinque Prec. Eccl. cap. 10. n. 3. & seqq.* pluriúmque aliorum securam doctrinam, sola generalis accusatio de peccatis in Confessione facta, sit sufficiens materia absolutionis, casu quo, alicujus peccati mortalis nondum confessi, quis se reum non scit. Quod ad tollendos scrupulos nonnullorum circa materiam absolutionis addere placuit.

90. Cæterùm enarratis peccatis, à proxima Confessione, vel antea commissis, ob majorem securitatem, magnámque inde sequentem utilitatem ac meritum, subjunge semper clausulam, in qua continetur brevis universalis accusatio de omnibus peccatis per totam vitam commissis, brevísque de illis omnibus contritio, cum expresso proposito, & spe veniæ dicendô:

De his, & omnibus aliis peccatis meis à primo usu rationis hucusque commissis, etiam jam confessis, oblitis, occultis, propriis, & alienis, qualiter coram oculis Divinæ Majestatis sum reus, me denuo humillimè accuso, & summè doleo, præcipuè quia DEum meum, quem super omnia diligo, offendi, eáque propterea super omne malum detestor, vitare cum gratia Divina firmissimè propono, & veniam eorundem spero. Deinde rursus inclinatus perge: *Ideo precor B. Mariam semper Virginem, B. Michaëlem Archangelum, B. Joannem Baptistam, SS. Apostolos Petrum & Paulum, B. P. Franciscum, omnes Sanctos, & te Pater orare pro me ad Dominum DEum nostrum, petóque humillimè salutarem pœnitentiam, & absolutionem.*

91. Debent autem breviores hi finita Confessione eliciendi actus non tepidè, & obiter, vel properanter ad modum psittaci recitari, sed ex sincero, humili, & contrito, simúlque fiduciali corde pronuntiari, quô, si proferuntur, magnam efficaciam habent, magnámque securitatem præstant, & augmentum meritorum: hoc ipso enim, quòd quis de omnibus peccatis in genere se denuo accuset, & doleat, de omnibus etiam oblitis, & ignotis saltem indirectè absolvitur, & certam aliquam remissionem pœnæ pro eis debitæ, nec non augmentum gratiæ & meriti consequitur, ac insuper securam Confessionem reddit, ita, ut, si forsan ex defectu temporis minùs dispositus, e. g. absque sufficienti contritione, & proposito ad confitendum accessisset, his actibus defectum suppleret.

92. Petitâ modô præfatô pœnitentiâ, & absolutione, erige te, magnáque cum reverentia, & humilitate, quasi à DEO audi instructionem, adhortationem, correctionem (si quam dat) & pœnitentiam à Confessario DEI vices agente, paratus non tantùm hanc persolvere, sed etiam illam cordi imprimere, & bene observare.

Perceptis pœnitentiâ, & aliis Confessarii verbis, rursus inclina te, & sine omni reflexione & cura, an omnia ritè confessus sis, nec non absque alia anxietate inter breves deprecationis nempe, contritionis, & fiduciæ actus absolutionem expecta, ac recipe, e. g. Misericordissime DEUS! miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & per sanguinem JESU Christi Filii

Filii tui dele iniquitatem meam, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccatis meis munda me &c. Ecce enim adhuc ſummè doleo, quòd te DEUM meum, quem ſuper omnia diligo, unquam offenderim. Juro & ſtatuo cum gratia tua non ampliùs peccare: & per tuam infinitam miſericordiam, Chriſti merita, virtutémque hujus Sacramenti, remiſſionem ac veniam peccatorum firmiter credo & ſpero. DEUS propitius eſto mihi peccatori.

93. Accepta abſolutione benedictionem à Confeſſario repete, dicendô: *Benedicite.* Mox ſurge, & factâ Confeſſario reverentiâ, modeſtè, ùt priùs acceſſiſti, & conſolatè recede, ac, ſi fieri poteſt, ſtatim ad locum debitum te confer, peracturus ibidem, præter alios congruos actus, pœnitentiam injunctam.

94. Enimverò poſt Confeſſionem ſummè decens, ſecurum, & utile eſt, ut perſolutio pœnitentiæ non differatur, ſed ſtatim unà cum aliis convenientibus, DEOque gratis actibus perſolvatur. Quapropter finita Confeſſione in loco apto ſequentes breviter exerceas actus; videlicet: I. Gratias debitas age. II. Propoſitum renova, & ſpecialia etiam circa vitandas occaſiones elice. III. Gratiam emendationis cum diffidentia tui, & confidentia in DEUM denuo implora. IV. Pœnitentiam ſtatim adimple, ita, ut eam ſinè juſta cauſa nunquam differas; vel ex juſta cauſa dilatam proxima occaſione perficias. Cui quivis propriam aliquam ſaltem levem ſui mortificationem pro devotione, & libitu ſuo addere poteſt. Porro, ut præfatos actus eò meliùs formare diſcas, ſubjungitur

Exemplar Actuum poſt Confeſſionem.

95. O Pater Miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis, humillimas, & omnes poſſibiles ex toto corde ago gratias pro infinita tua bonitate, & clementia, qua mihi ingratiſſimæ, & viliſſimæ creaturæ, peccatori maximo iterum peperciſti, toties rebelli, & infideli ſpatium pœnitentiæ conceſſiſti, & me Sacramenti Pœnitentiæ participem effeciſti, virtutéque illius miſeram animam meam à peccatorum maculis rurſus mundâſti,

dâsti, novâ gratiâ ornâsti, & confortâsti, pœnásque mihi debitas remisisti. Benedicta in æternum sit infinita tua Bonitas, qua mirabile hoc misericordiæ Sacramentum per JESUM Christum Filium tuum instituere, & per merita ejusdem tantam virtutem illi conferre dignatus es.

Confirma hoc DEUS, quod per sanctissimum istud Sacramentum in me operari dignatus es; da gratiam, ne ampliùs peccem, & fac, ut potiùs moriar, vel omni malo obruar, quàm quòd te adhuc semel deliberatè offendam.

Ecce enim omne peccatum, utpote infinitam tui offensam super omne malum detestor, & abominor, atque ex corde pœnitet me, quòd unquam offenderim te. Propono firmissimè magis millies mori, quàm te semel adhuc advertenter offendere. Juravi, & statui custodire mandata justitiæ tuæ, observabo me ab iniquitate mea, & custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi; specialiter autem N.N. faciam, vel omittam, vigilabo, attendam, & vim mihi inferam, idque omne cum gratia tua, in qua sola confido, illámque per infinitam tuam bonitatem, & misericordiam, ac merita Christi humillimè invoco; quia sinè illa prorsus nihil, cum illa autem omnia possum, cui innitens dixi, nunc cœpi.

Et quia vis, ac tibi placet, nunc statim pœnitentiam impositam, humillimè perficiam; & quamvis illam peccatis meis penitus improportionatam agnoscam, tamen, quia à Sacerdote tui nomine imposita, & tanquam pars Sacramenti existens, virtutem suam ex infinitis meritis Christi habet, per eandem etiam remissionem pœnarum spero, & sperans ad te clamo: DEUS propitius esto mihi peccatori.

96. Ut autem in actu exercito etiam videatis Charissimi! quomodo juxta dicta supra *à num. 51.* recensitas conditiones, peccata in Confessione proponere possitis, ac debeatis, subjunguntur pro faciliori captu formulæ quædam Confessionis actualis, pro quibus

sit

§. IV.

§. IV.

Appendix variarum formularum Confessionis, cum principiis practicis de Confessione ordinaria.

Confessio alicujus certum peccatum non habentis.

97. B*Enedicite Reverende Pater. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Confiteor &c. ùt supra *num. 86.* Et quamvìs à præterita Confessione per DEI gratiam nullius certi peccati reum me sciam, tamen confiteor, quòd olim sæpe etiam cum advertentia fuerim mentitus, vanè me jactaverim, ultra naturæ necessitatem ex sola voluptate comederim, & biberim, de quibus, & omnibus aliis à primo usu rationis hucusque &c. ùt supra *num. 90.*

Alia Confessio alicujus non nisi imperfectiones, aut dubia, vel incerta peccata habentis.

98. C*Onfiteor &c. specialiter autem me accuso à proxima Confessione, quam feci præterita die Dominica:*

DEI, ac præsentiæ ejus fui sæpius immemor.

Contra proximum bis in re levi, non tamen sine causa, suspicatus fui.

Una vel altera vice cogitationibus, & curis profanis ex inadvertentia aliquantum fui immoratus.

Levis impatientiæ, & indignationis motus passus, dubito, an sufficienter restiterim, bis.

De DEO, & rebus Divinis absque debita reverentia fui locutus semel.

Ter in re levi, & semel in gravi, plenè tamen notoriâ, & absque damno, locutus sum de proximo.

Inconsideratè, ac superfluè locutus sum bis: semel discursum habui ex solo motivo temporali, & semel ex respectu humano, magìs attendens, ut placeam, vel ne displiceam homini, quàm DEO, absque tamen advertentia mali.

Contra modestiam Religiosam satis elata voce verba bis protuli, & toties contra civilitatem Religiosam.

In recitandis Horis Canonicis sæpius, & quidem semel per satis nota-

notabile tempus fui distractus, & dubito, an non causam culpabilem distractionibus dederim, vel an sufficienter restiterim.

Precibus meis consuetis semel ferè nullam, & bis satis tepidam præmisi præparationem, ex quo illas satis irreverenter, ac indevotè persolvi: semel etiam aliquam partem de precibus vi Statutorum debitis, ex inordinato erga aliud negotium affectu, omisi.

Aliquem cibum nimìs avidè comedi, soli inhians sapori, absque tamen advertentia mali.

Una, & altera vice incepi aliquid, vel continuavi, absque fine supernaturali.

Alicui inspirationi Divinæ ad mortificandum me in certo genere non obtemperavi.

In studio perfectionis, & virtutum debitam diligentiam, & conatum non adhibui.

Accuso me etiam de jam confessis peccatis, videlicet, quòd olim &c.

De his, & omnibus &c. ùt supra *num. 90.*



Confessio certa peccata venialia unà cum imperfectionibus habentis.

99. *Confiteor &c. specialiter autem me accuso à proxima Confessione, quam ante tres dies peregi.*

Una die ex inordinato erga certum negotium affectu nimiùm distractus, DEI, & præsentiæ ejus multùm immemor, mentem raró ad DEum levavi.

In certa aliqua afflictione minùs resignatus Divinæ voluntati, satis tristis, pusillanimis, ac turbatus fui ferè per mediam horam.

Contra proximum bis habui levem aversionem, & internam impatientiam, per medium circiter quadrantem.

Profanis cogitationibus, de cura, & solicitudine hujus sæculi una vice medium, alia vice integrum perdidi quadrantem temporis &c.

De laude mihi attributa semel gavisus, & semel ob contemptum mihi irrogatum parùm tristis fui, utique ex superbia.

De rebus sacris, & piis actibus jocosè fui locutus semel.

Verba S. Scripturæ ad jocos, & sensum profanum adhibui, pro-

probabiliter cum scandalo aliorum, exinde forsan subsecuto.

Proximum mordaciter, punctoriè vexavi bis, & semel verbis contendi cum ipso, subsecutâ meâ, & ipsius impatientiâ, ac indignatione.

Malè loquentes de proximo in re levi ex respectu, & timore humano non correxi, nec discursum averti, cùm bene potuissem, ter: bis etiam libenter, & aliqua cum complacentia audivi eos.

Me ipsum vanè jactavi, semel de spiritualibus, & bis de profanis actibus.

Mendacium jocosum semel, & officiosum quinquies dixi.

Verba superflua & otiosa inconsideratè protuli aliquoties.

Tempore silentii garrivi bina vice.

In persolvendis meis horis Canonicis, & aliis precibus, plerumque aliquas distractiones, minùs tamen advertenter habui: semel verò Vesperas cum Completorio valde distractè, ac indevotè recitavi.

Horas Minores bis absque legitima causa usque ad noctem distuli, & semel inverso ordine persolvi.

Ex negligentia lustrandi Directorium, & Rubricas, semel recitavi incompetentes Lectiones, & bis omisi commemorationem.

Ex somnolentia semel generale, & bis omisi particulare examen.

Meditationem semel valde tepidè, ac luridè inter multas distractiones peregi, magna cum negligentia repellendi distractiones, & excitandi me ad debitam devotionem.

Confratri pro auxilio roganti in re levi, ex aliqua aversione, charitatis obsequium denegavi semel; & bis, dum monendô à confusione, & pœna eum eripere potuissem, omisi.

Bis levem excessum feci in cibo, & potu, cum subsecuta minore dispositione ad mea peragenda, longiorî somnô, & jacturâ temporis.

Semel mediam horam otiô, & bina vice integram horam superfluô somnô consumpsi.

Tribûs distinctis vicibûs quinque ferè horas perdidi legendô librum quendam ex sola curiositate, & inclinatione naturali.

Præscripta obedientiæ, & of-

 ficii

ficii mei munera satis luridè, & perfunctoriè peregi quater.

Bis in operibus meis habui vanam complacentiam, & semel intendi vanam gloriam.

Statuta absque justa causa transgressus fui quinquies, & semel præceptum Superioris localis in re levi; & sic scandalo fui aliis, utpote propterea idem etiam facientibus.

Divinis inspirationibus aliquoties locum non dedi.

De his, & omnibus aliis &c. ùt supra *num. 90.*

Confessio valde luridi, & tepidi, indéque in periculoso statu existentis, sincerè tamen confitentis, & propterea aliquam spem adhuc habentis Religiosi.

100. *Confiteor &c. specialiter autem me accuso à proxima Confessione, quam ante quatuordecim dies peregi.*

Per totum hoc tempus nunquam, vel rarissimè, & non nisi obiter, ac sinè reverentia, & devotione, DEI, Divinæque præsentiæ ejus fui memor.

Cogitationes, & curas profanas, sæculares, & inutiles, quotidie sæpius habui, & voluntariè iis immoratus fui, bonis vel non admissis, vel statim iterum dimissis.

Confratri meo per duos dies verè invidus fui, quòd magis æstimetur, & ametur, quàm ego.

Ob levissimam injuriam mihi illatam, diu rancorem, & cogitationes vindictæ, nôn tamen gravis, in corde per quadrantem fovi contra illum, eúmque internè contempsi.

Quater in re levi, & ter in gravi, absque sufficienti causa suspicatus fui de proximo, firmum tamen judicium non tuli.

Quoties adversitas aliqua, etiam modica, aut verbum, vel à longè contrarium mihi obvenit, semper impatiens, indignatus, aut iratus, & conturbatus fui.

Contra Superiorem quoque bis impatiens fui, & internè murmuravi contra illum, dum me etiam justa de causa, & discretè correxit.

Ambitiosis cogitationibus, & desideriis aliquoties voluntariè locum dedi, sed absque advertentia mali gravis.

Sæpius vanam complacentiam habui, & aliquoties vanam gloriam concupivi.

Jura-

Juravi absque urgenti causa bis, non tamen falsò.

Aliorum devotiones, pia exercitia, & religiosos mores irrisi, & contemptim de eis locutus sum quinquies.

In quovis ferè discursu contra charitatem proximi, leviter saltem, locutus fui, & actiones aliorum traduxi: semel etiam de uno, & bis de alio grave, ac priùs occultum delictum, ex relatione tamen aliorum narravi.

Contra Superiorem leviter murmuravi sexies, graviter bis.

In quovis discursu plerumque verba non nisi inutilia, & superflua protuli, ídque clamorosè, & absque ulla modestia, & mansuetudine religiosa.

Discursum spiritualem nec institui, nec audire volui unquam, fugiens illos, & hypocritas, ac devotulos vocans, qui de rebus spiritualibus loquebantur.

Sæpenumero etiam directè, & indirectè me jactavi, ac mentitus fui.

Semel etiam verba minùs casta, sed vexatoriè tantùm dixi.

Alios ad varias transgressiones leves induxi, & in eis confortavi.

Horis meis Canonicis ordinariè vel nullam, vel omnino tepidam præparationem præmisi, éasque ferè omnes tepidè, indevotè, ac plenus distractionibus, etiam voluntariis, persolvi, aut certè negligentissimus fui in præcavendis, ac repellendis distractionibus.

Ordinariè etiam valdè deproperanter, & sincopandô subinde verba, eas persolvi.

Passim etiam sub iisdem curiosè circumspexi, alia egi, & cum aliis locutus fui.

Meditationem aliquoties frivolâ, vel ficta ex causa subterfugi, vel solùm ex parte peregi, ter etiam vel quater circiter sub ea dormivi, vel alias profanas cogitationes fovi.

Cuncta mea, etiam obedientiæ opera, à potiori absque ulla bona intentione, præcisè ex tepida consuetudine, & servili timore, vel respectu humano, aut inclinatione naturali, vel motivo temporali, vel aliàs negligenter, ac perfunctoriè perfeci.

Alienis etiam sæcularibus negotiis ultro me immiscui, propriis neglectis, bis.

Præceptum Superioris quater, Statuta autem passim transgressus fui.

Ter absque licentia Superioris aliqua munuscula, non tamen in magna quantitate procuravi, & acceptavi.

In comedendo, & bibendo immemor omnis intentionis supernaturalis; solùm semper attendi voluptatem, & ordinariè aliquem excessum feci cum levi saltem detrimento sanitatis.

Quotidie notabile temporis spatium diversis distinctis vicibus malè perdidi, otiandô, dormiendô, inutiliter discurrendô, & inutilia agendô.

Statui, & muneri meo necessariam scientiam acquirendi, debitum conatum, & diligentiam non adhibui, ita, ut etiamnum caream necessariâ notitiâ Regulæ, ac Declarationis ejus, quibus etiam, dum leguntur, non attendo; Rubricarum item, & aliorum necessariorum ignorantia satis notabili laboro.

In acquirendis virtutibus, & perfectione, ferè nullum conatum, aut diligentiam adhibeo; nec aliquam vim mihi infero, nec mortificationem internam, nec externam exerceo, sed juxta passiones, & inclinationes procedens, omnino tepidam, & imperfectam vitam duco, verè indignus, quòd sacrum habitum portem, & in tam sancta Religione existam.

De his, & omnibus &c. ut supra *num. 90.*

Ex hactenus recensitis confitendi formulis facilè intelligitis, qualiter juxta conditiones *à n. 51.* propositas, peccata vestra confiteri, & enarrare possitis, ac debeatis. Solùm pro practica doctrina restant adducenda

Principia practica

Circa Confessionem ordinariam.

Principium I.

101. Omnem adhibere diligentiam, & conatum acquirendi habitum debitè, & exactè faciendi Confessionem Sacramentalem, & deponendi imperfectam consuetudinem contrariam.

Principium II.

102. In Confessione peragenda potissimam curam, & tempus impendere eliciendæ perfectæ contritioni, & exacto proposito.

Prin-

Principium III.

103. Summè cavere, ne per Confessionem, & confitendi modum, laudem, & aestimationem apud Confessarium intendamus, vel ne ejusmodi aestimationis jacturam timeamus: & econtra sincerè intendere, ac, quantum salva veritate licet, ita se accusare, ut saltem apud Confessarium verè confundamur, & vilipendamur.

Principium IV.

104. Tradita hucusque de Confessione, & requisitis ejus, ac praecipuè de illo, in quo adhuc deficimus, saepius, & tam diu legere, & relegere, donec in perfectam praxin, & habitum deducantur.



CAPUT VII.

De Confessione Sacramentali extraordinaria.

§. I.

De Confessione Generali & Annuali.

1.

Quaeritur I. Quid, & quotuplex sit Confessio Generalis? Resp. Confessio Generalis est legitima sui accusatio de propriis peccatis à tota vita, vel ab aliquibus annis facta Sacerdoti, ad obtinendam eorum remissionem. Haec descriptio partim ex dictis, partim ex ipsis terminis patet. Solùm notandum

2. Quòd dicatur, *à tota vita, vel ab aliquibus annis facta:* quia duplex est, vel dupliciter fieri potest Confessio Generalis, videlicet, vel à tota vita, seu à pueritia, id est, à primo usu rationis, quantùm, & quousque quis recordatur. Et haec magis propria dicitur Confessio Generalis. Deinde, *ab aliquibus annis*, ut, si Religiosus instituit Confessionem ab ingressu in Religionem usque

usque ad Sacerdotium, quod suscipere intendit; vel à Sacerdotio usque ad Ordinis Prælaturam, quæ ei nunc imponitur; vel ab ultima Confessione Generali. Et hujusmodi minùs propriè est, & dicitur Confessio Generalis.

3. Quæritur II. An, & quibus necessaria sit Confessio generalis? Resp. Quamvis non omnibus, tamen aliquibus absolutè necessaria est Confessio Generalis, illis nempe, qui præteritas Confessiones ordinarias omnes, vel aliquas sacrilegè, & invalidè fecerunt, e. g. quia absque legitima causa scienter & voluntariè ex verecundia, vel timore unum, vel plura peccata mortalia in Confessione reticuerunt; aut minorem numerum dixerunt; vel necessarias circumstantias speciem mutantes non expresserunt; vel quia peccata gravia palliàrunt, aut excusàrunt, ad hoc, ut levia apparerent Confessario; vel quia non habuerunt sufficientem contritionem, aut sufficiens propositum vitandi non tantùm peccata, sed etiam proximas occasiones; vel quia à Sacerdote non habente jurisdictionem, seu potestatem absolvendi, & consequenter invalidè fuerunt absoluti &c. quæ omnia pleniùs patebunt in Theologia.

4. Quæritur III. An, quibus, & quoties utilis, ac consequenter suadenda, vel concedenda sit Confessio Generalis? Resp. I. Licèt juxta dicta, Confessio Generalis omnibus necessaria non sit, tamen omnibus summè utilis, & DEO summè accepta est. Ita sentiunt omnes Theologi, & Ascetæ, idque ob multiplicem rationem; nam.

I. Per eam quis ad utilissimam sui cognitionem devenit.

5. II. Per illam quis insignem, summèque meritorium, & DEO gratissimum actum humilitatis, magna sui mortificatione, & victoriâ exercet; dum confitens resistente totâ superbâ naturâ, & naturali verecundia, omnes suos etiam occultissimos internos, & externos defectus, malitiam & nequitiam, ad sui confusionem, & contemptum propter DEUM sincerè detegit.

6. III. Ad eam major, & perfectior fit dispositio, ipsáque necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita, præsertim contritio, & propositum perfectiùs afferuntur; hoc ipso enim, quòd quis

quis multitudinem, & gravitatem suorum peccatorum in simul videat, majores, & plures causas dolendi, pœnitendi, & se emendandi habet, indéque ad majorem contritionem, & efficacius propositum movetur.

7. Hinc IV. ad efficacissima, & heroica proposita, ad exuendum totaliter antiquum hominem cum malis habitibus suis, & induendum novum, admodum servit, præsertim, quia intuitu illius DEUS etiam speciales gratias largiri solet.

8. V. Confert copiosum augmentum gratiæ & meriti, pœnásque peccatis debitas, vel ex toto delet, vel plurimùm minuit, ídque ex opere operato; si enim Confessio ordinaria in aliquo gradu id præstat, juxta dicta *Cap. præced. n. 7.* longè perfectiùs id efficiet Confessio Generalis, utpote majori cum dispositione, majori cum perfectione, & majoribus cum virtutibus fieri solita.

9. VI. Magnam, & optatissimam affert securitatem, & quietem conscientiæ, eámque liberat ab illa odiosa anxietate, an quis omnia ritè confessus sit, & à periculosa obligatione scrutandi, vel indagandi, an non aliqua adhuc lateant, vel confitendi, quæ postea incidunt; siquidem hoc ipso, quòd juxta dicta ad Confessionem Generalem major, aut perfectior dispositio, ac præparatio fiat, ipsáque necessaria requisita perfectiùs præmittantur, simúlque specialiter assistat DEus; longè certiùs, & securiùs, imò moraliter certò habetur valor, & effectus Sacramenti, consequenter certa remissio omnium peccatorum, etiam pro tunc oblitorum, & incognitorum, vel ex ignorantia inculpabili, vel bona fide, aut erroneâ conscientiâ in Confessione Generali quoque non debitè, aut non cum aliàs necessariis circumstantiis propositorum, item illorum, à quibus quis necdum est absolutus, invalidis forsan ex defectu contritionis, propositi, jurisdictionis &c. existentibûs pluribûs Confessionibûs; uno verbo, prorsus omnium, & singulorum peccatorum.

10. Accedit, quòd, qui semel à tota vita sua fecit Confessionem Generalem, præmissa conscientiæ discussione, seu examine debito, & sufficienti, (id est, facto mediocri saltem, vel tali cum dili-

diligentia, quam aliàs in negotio alicujus momenti, adhibere vir prudens solet) non teneatur ampliùs cogitare de anteacta vita, nec indagare, scrutari, vel recordari, an nullius oblitus fuerit, an nil omiserit, vel an omnia debitè, debitóque cum numero, & necessariis circumstantiis confessus fuerit &c. imò non expedit, ut hoc faciat. Quòd si ultro occurrant, vel subitò, vel occasionaliter incidant aliqua peccata, & nescit quis, vel non ampliùs recordatur, aut dubitat, an in Confessione Generali confessus fuerit, nec ne, vel an cum debito numero, aut necessariis circumstantiis proposuerit, non tenetur ulteriùs se examinare, aut de veritate scrutari, sed potest absque omni ulteriori indagine cuncta rejicere, & absque anxietate, & scrupulo securè præsumere, se cuncta jam ritè fuisse confessum, nisi forsan absque omni ulteriori indagine statim clarè, aut certò constaret, peccatum aliquod mortale, quod modò incidit, ex oblivione v. g. in Confessione non fuisse expositum; tale enim utique confiteri oporteret, sed absque ulla repetitione aliorum.

11. Cæterùm nil refert, etiamsi à parte rei, & materialiter erraret quis, præsumendô, vel putandô, se ritè fuisse confessum, quod tamen reverà non, aut non debitè confessus est: quia juxta doctrinam Theologorum per Confessionem Generalem quivis etiam ab oblitis, & incognitis, vel ex ignorantia inculpabili, aut bona fide sinè debito numero, vel minùs circumstantionatè confessis peccatis, saltem indirectè absolvitur; consequenter nec damnum, nec periculum patitur ratione oblitorum, aut inculpabiliter omissorum, vel minùs ritè confessorum peccatorum.

12. Ex his satis patet, quantam utilitatem, præcipuè verò, quantam securitatem, quietem, & tranquillitatem conscientiæ conferat Confessio Generalis, etiam illis, quibus juxta dicta necessaria non est; præsertim, cùm etiam hi ignorent, an non plures eorum Confessiones ex defectu contritionis v. g. aut propositi fuerint invalidæ; licèt enim hi defectus etiam per quamvis subsequentem Confessionem, & absolutionem validam resarciantur, tamen omnium securissimè sup-

supplentur per Confessionem Generalem à tota vita, vel saltem à proxima Confessione Generali.

13. Resp. II. Licèt juxta dicta Confessio Generalis utilissima sit, attamen regulariter vel ordinariè loquendô repeti à tota vita sæpius non debet, si ea jam semel ritè facta est. Ita docent communiter Theologi & Ascetæ. Ratio est, quia præcipuus Confessionis Generalis effectus, videlicet securitas, & tranquillitas conscientiæ per repetitionem illius ordinariè non augetur, sed potiùs minuitur, vel omnino tollitur; cùm per hujusmodi repetitiones Confessionum Generalium plerumque generentur, & exsurgant anxietates, dubia, scrupuli, perturbationes, & alia tam corporis, quàm animæ mala.

14. Specialiter autem hoc observare, & à repetitione Confessionis Generalis abstinere debent illi, qui aliàs sunt anxiæ, timidæ, aut scrupulosæ conscientiæ. Imò his non tantùm dissuaderi, sed tanquam certè nociva omnino prohiberi debet repetitio Confessio Generalis a tota vita.

15. Pariter ab hujusmodi repetitione vel maximè abstinere debent illi, qui vitam ducentes luxuriosam peccatis carnalibus priùs erant obnoxii; quia repetitio longioris discussionis, & examinationis, ac diuturnior recordatio de speciebus, numero, circumstantiis peccatorum carnalium, facilè generare potest tentationes, & periculum lapsûs. Unde optimum, & securissimum est, de his peccatis, postquam semel ritè confessa sunt, per totam vitam nil ampliùs dicere, nec cogitare de iis, nisi in genere, ac cum dolore, & aversione.

16. Dicitur autem notanter in responsione *num. 13. Si ea jam semel ritè facta est:* nam si ritè facta non est, sed obiter tantùm, aut luridè, vel sine debito examine, aut dispositione; eò quòd v. g. ritè faciendi illam, necessaria defuerit notitia, vel sufficiens tempus, vel occasio &c. eam repetere utique conducit; cùm enarrati fructus, & privilegia, favorésque conscientiæ ex hujusmodi obiter, ac defectuosè facta Confessione Generali non acquirantur.

17. Dicitur ulteriùs *cit. n. 13. Regulariter, vel ordinariè loquendô:* quia, si quis ita constitutum se

novit, ut ex repetitione Confessionis Generalis nullum periculum anxietatis, scrupuli, perturbationis, vel alterius damni timere habeat, haud dubiè utiliter agit, & gratum DEO obsequium præstat, si ex humilitate ad majorem sui confusionem, & contemptum, ex amore erga DEUM, odiô erga se, & peccata, eam subinde in vita repetat, prout nonnulli faciunt.

18. Dicitur insuper, *Confessio Generalis à tota vita:* quia Confessio Generalis minùs propriè talis, e.g. quæ solùm fit ab ultima Confessione generali, utique magna cum utilitate, & conscientiæ securitate repeti potest, ùt statim dicetur.

19. Quæritur IV. Quandonam, seu quo tempore maximè quadret deponere Confessionem Generalem? Resp. I. Si alicui Confessio Generalis necessaria est ob aliquam ex recensitis causis *num. 3.* statim post ingressum Religionis vacare debet eidem faciendæ. Ratio patet, quia hoc ipso, quòd, utì supponitur, sit in statu disgratiæ, ex multis causis debet accelerare Confessionem Generalem; præsertim autem, quia aliàs Communiones illius, & Confessiones ordinariæ forent sacrilegæ, & omnia ejus opera absque merito. Huc collimare voluit S. Bonaventura, dum in *Speculo Discipl. cap. 1.* circa finem ita docet Novitios: *Post ingressum Religionis continuò debent Confessioni facienda vacare, & de omnibus, quæ in sæculo à pueritia commiserunt, ad memoriam, quantum poterunt, studiosa solicitudine revocatis, generaliter confiteri.*

20. Resp. II. Qui nullam necessitatem habens, nihilominus pro acquirenda majori puritate conscientiæ, & aliis fructibus animæ, ex amore DEI, & suæ salutis, statim post ingressum Religionis generaliter confiteri vult, id quidem utiliter facere, sed etiam differre poterit; quia durante Novitiatu adhuc semel, & quidem majori cum fructu, ac effectu poterit generaliter confiteri.

21. Resp. III. Confessio Generalis, minùs strictè talis, seu illa, qua non nisi ab ultima Confessione Generali exponuntur peccata, semper utilissimè, & pro cujusvis libitu sæpius institui potest: tum, quia ferè eosdem cum Confessione Generali insignes fructus, & effectus *à num. 4* recen-

censitos habet: tum quia etiam sæpius repetita, nullum causat anxietatis, aut scrupulorum periculum, hoc ipso, quòd solùm fiat de iis, quæ in aliqua Confessione Generali nunquam adhuc fuère proposita.

22. Hinc Charissimi! pro augmento gratiæ, & gloriæ, pro remissione pœnarum, pro securitate, & quiete conscientiæ, pro profectu in virtute & perfectione, pro majori DEI gloria, consulitur vobis, ut ad imitationem aliorum, perfectioni magìs studentium, Confessionem hujusmodi Generalem faciatis *Primò*, dum aliquando suscipitis Sacerdotium, confitendô omnia peccata, quæ post ultimam Confessionem Generalem à tota vita in Novitiatu factam commisistis; quia summè decet, ut ad Sacerdotium omni possibili puritate quivis se præparet.

23. *Secundò*. Quando absolutìs omnibûs studiìs pro cura animarum destinati, ad varias operationes pro DEI gloria, & proximorum salute mittemini. Enimvero *Operum omnium Divinorum divinissimum est*, ait S. Gregorius, ex D. Dionys. Areop. *Cœlest. Hier. cap. 3. cooperari DEO in salute animarum:* ut proin hoc munus quoque magna animi puritate, & prævia optima quaque dispositione assumere oporteat.

24. *Tertiò*. Si quem forsan cum tempore manus DEI tangat, & ad Superioratum evehat; quia, cùm hic status sit omnium periculosissimus, & omnibûs licitìs modìs fugiendus, omnia facere oportet, ut speciale auxilium DEI obtineatur, casu quo ex obedientia, aut certa vocatione statum hunc assumere necesse erit.

25. *Quartò*. Tempore Jubilæi rursus generaliter confitendô peccata, quæ ab ultima Confessione Generali fuère commissa.

26. *Quintò*. In articulo mortis; nisi quis à periculo anxietatis liber, & sufficientes vires habens, velit instituere Confessionem Generalem à tota vita.

27. Quæritur V. Quæ requirantur ad Confessionem Generalem perfectè, ac faciliter deponendam? Resp. I. Ea ipsa, quæ supra *Cap. 6. à num. 16.* de Confessione ordinaria diximus, etiam ad Confessionem Generalem requiruntur. Solùm notandum, quòd summè deceat hæc requisita speciali, & majori cum dili-

gentia, conatu, & fervore, quàm in ordinaria Confeſſione afferre, quatenus eò certiùs, & uberiùs optatiſſimos fructus, & effectus Confeſſionis Generalis conſequi quis valeat; ut proin, ſi quis aliàs in diſpoſitione ad Confeſſionem ordinariam ſit brevis, longior exiſtat in eadem ad Generalem.

28. Reſp. II. Qui ex neceſſitate ob aliquam, vel plures ex cauſis *num. 3.* allegatis, Confeſſionem Generalem facit, debet, & graviter tenetur in illa à tempore, quo ſacrilegè, aut invalidè confiteri incepit, omnia peccata mortalia, etiam jam confeſſa, ſecundùm numerum, ſpeciem, & circumſtantias neceſſarias fideliter exprimere, ita, ut, qui per totam vitam, vel à pueritia nunquam ritè confeſſus eſt (v. g. quia aliquod peccatum mortale ex verecundia, aut timore ſemper reticuit) teneatur à tota vita, qui ab aliquibus annis, vel aliquo tempore invalidè confeſſus eſt, teneatur ab illo tempore, quo malè confiteri incepit, cuncta gravia peccata, etiam jam confeſſa exprimere; quia etiam de iſtis jam confeſſis nondum eſt abſolutus, hoc ipſo, quòd, uti ſupponitur, omnes illius Confeſſiones interea fuerint ſacrilegæ.

29. Reſp. III. Quamvìs illi, qui non ex neceſſitate, ſed ad conſequendos præſtantiſſimos fructus, & effectus *à num. 4.* enarratos, generaliter confitentur, non teneantur omnia peccata mortalia jam confeſſa, denuo confiteri, ſed poſſint ea pro libitu omittere; tamen conſultiſſimum, ac utiliſſimum, & pro acquirenda optata ſecuritate, ac tranquillitate conſcientiæ quaſi neceſſarium eſt, ſemel ſaltem in Confeſſione Generali totius vitæ, præſertim in illa, quam vos Chariſſimi à tota vita ante Profeſſionem, utpote jam magìs inſtructi, & apti facitis, omnia per totam vitam commiſſa, etiam jam confeſſa peccata mortalia exactè ſecundùm numerum, & ſpeciem, atque neceſſarias circumſtantias confiteri. Ratio eſt, quia, niſi hoc ſemel fiat, præcipui duo effectus, videlicet, optata ſecuritas, & tranquillitas conſcientiæ, item favor, & privilegium conſcientiæ, quo eximitur quis ab omni obligatione ulteriùs de peccatis, an omnia, ac bene confeſſa ſint, recogitandi, ac ſponte occurrentia confitendi

juxta dicta *à num. 9. & seqq.* perfectè & securè obtineri non valent, utì patet ex dictis.

30. Resp. IV. Ad Confessionem Generalem à tota vita ritè instituendam requiritur, ut debita cum diligentia, saltem mediocri, vel tali, quam aliàs in negotio alicujus momenti, & nobis charo adhibere solemus, examinetur, ac discutiatur conscientia de omnibus saltem mortalibus peccatis à tota vita (si ab hac fit Confessio) vel ab ultima Confessione generali (si ab hac instituitur) commissis.

31. Dicitur *saltem Mortalibus*; quia, sicut venialia confiteri nemo tenetur, ita etiam de iis se examinare non obligatur; quamvìs longè melius, ac perfectius sit, etiam de illis, quantum possibile est, se examinare, & de iisdem se accusare, exprimendô eorum numerum, & speciem saltem in genere, vel manifestandô in genere, & exprimendô malam circa illa consuetudinem, habitum, abusum &c.

32. Ut autem debitum examen, & discussio conscientiæ exactè simul, & faciliter fieri queat, post factam bonam intentionem, ardens desiderium, bonúmque propositum, invocatô auxiliô Divinô, Confessionem Generalem perfectè, ac ita, ac si ultima esset, instituendi, & mediante illa conversionem tuam seriò inchoandi, observa sequentia puncta.

33. I. Sepone, quantùm licet, ad tempus alias curas, & negotia, ut totum te impendere possis examini, & Confessioni faciendæ.

34. II. Antequam te examinare incipias, denuo pete gratiam, & lumen à DEO, cuncta tua peccata perfectè cognoscendi, detestandi, & confitendi.

35. III. Præpara papyrum, & alia necessaria ad conscribenda tua peccata; siquidem pro Confessione Generali exactè deponenda plurimùm conducit, eam ex scriptis facere; quia hac ratione non solùm periculum oblivionis magìs evitare, sed etiam singula peccata consideratè secundùm numerum, speciem, & circumstantias necessarias notare, conscribere, & exactè confiteri poteris.

36. IV. Ne in examine faciendo te ipsum confundas, observa ordinem, & examina te I. circa decem Præcepta Decalogi.

II.

II. Circa Præcepta Ecclesiæ. III. Circa septem Peccata capitalia. IV. Circa Peccata aliena, indagandô, qualiter circa quodvis horum peccaveris cogitatione, verbo, opere, omissione. Pro quo tibi deserviet Speculum Confessionis, quod habes §. *seq. à num. 55.*

37. V. Pro juvanda memoria, & examine facilitando, divide tempus vitæ tuæ in varias partes, v.g. ut *una pars* sit ab usu rationis, vel à tempore, cujus adhuc recordaris, usque ad tempus scholæ Germanicæ. *Secunda pars* à dicto tempore usque ad studia. Tempus studii in tot partes dividere poteris, quot annîs studuisti, & de singulis his vitæ temporibus recollige loca, in quibus fuisti, socios, aut homines, cum quibus conversatus es, negotia, quæ habuisti, & qualiter ubique verbo, cogitatione, opere, & omissione peccaveris.

38. VI. Examen non perfunctoriè, sed consideratè, & sedulò perage, tempúsque sufficiens, saltem aliquot dierum (si à tota vita confiteris) vel si hæ non sufficerent, unius, aut alterius septimanæ tribue.

39. VII. Ubi peccata graviora deprehendis, illico conare habere contritionem, & detestationem illorum elicere, ac veniam à DEO precari.

40. VIII. Si, dum super uno præcepto te examinas, tibi unum vel plura gravia contra aliud præceptum incidunt, quorum oblivionem forsan times, nota breviter, in separata schedula, ut dein, si ad tale præceptum veneris, in ordine scribere valeas.

41. IX. Debes te non tantùm de peccatis, sed etiam de singulorum specie, numero, circumstantiis speciem mutantibus, & etiam (pro majori securitate, perfectione, & tui humilitate) aggravantibus examinare, eáque debitè conscribere, & confiteri. Quòd si subinde numerum certò indicare nequis, sufficit dicere numerum, quem putas, verisimiliorem, additô *circiter*, vel *plùs minùs:* si nec hoc dicere vales, dic quoties circiter in die, vel septimana, aut mense, computandô unum cum altero, contigerit, v.g. *Hoc, vel illud N.N. circiter trigesies:* vel, *ferè singulis diebùs:* vel, *ter vel quater circiter in septimana, computando unam cum alia, idque practicavi per 6. annos &c.*

42. Finito examine conare cum

cum Divina gratia, quantùm potes, perfectam elicere universalem contritionem, & efficacissimum te emendandi propositum, cum firmissima spe veniæ, ac bona voluntate, hæc & omnia alia adhuc latentia peccata exactissimè confitendi, dummodo scires, quid, & quomodo insuper confiteri deberes.

43. Dum actu confiteris, præter dicta de Confessione ordinaria, observa, quòd priùs te accuses de peccatis à proxima Confessione commissis, modô ordinariô; quibûs propositîs, humillimè roga Confessarium, ut dignetur excipere tuam Confessionem Generalem, eíque indica, an ex necessitate, & à quo tempore, an verò absque necessitate generaliter confitearis.

44. Finita Confessione fac clausulam generaliter accusatoriam, seriè, devotè, attentè, juxta dicta supra *Cap. 6. à num. 90.* Recepta absolutione confer te ad locum solitarium, & quidem, si fieri potest, ad Ven. Sacramentum, ibíque omni possibili cum devotione, reverentia, humilitate, & gratitudinis affectu DEO tuo debitas age gratias, pro infinita sua bonitate & clementia, qua tibi tanto peccatori tamdiu parcere, spatium, & gratiam pœnitentiæ concedere, peccata tua, licèt gravissima & innumera remittere, téque in spiritu regenerare, & in gratiam recipere amandissimè, & misericordissimè dignatus sit; exulta, lauda corde & ore infinitam DEI erga te misericordiam: dicendô cum David *Psalm. 88. v. 2. Misericordias Domini in æternum cantabo. Psalm. 85. v. 13. Quia Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Verè *Miserationes ejus super omnia opera ejus. Psalm. 144. v. 9.* Atque devotissimè elice actus *Cap. præced. num. 95.* specificatos, Confessionem sequentes.

45. Principaliter autem heroica, firmissima, & efficacissima fac proposita, qualiter modò antiquum hominem exutus, novum induere, & quasi recens natus spiritu vivere, DEOque servire, & quæ pro peccatis vitandis, pro acquirendis virtutibus, ac perfectione facere, & omittere velis: dictáque proposita dein tibi in charta nota, illáque exequi cum tui diffidentia, & confidentia in DEUM, fortiter incipe, & constanter perge, assum-

ſumpto etiam pro uno, vel alio, ubi magìs opus eſt, examine particulari, & aliis mediis. Finaliter tandem humillimè invoca DEUM, ut confirmet, quod operatus eſt in te, & det gratiam conſtanter ſervandi, & exequendi, quæ ſanctè ſtatuiſti, mentíque altè imprime, & ſæpius recole illud Chriſti *Joan. 5. v. 14. Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.*

46. Quæritur VI. Quid, quàm utilis, & quomodo in praxi fieri debeat Confeſſio annua? Reſp. I. Confeſſio annua eſt illa, qua quis ſingulìs annìs ſemel exactè confitetur omnia, & ſingula, etiam jam confeſſa peccata, per totum annum commiſſa. Deſcriptio hæc, quia clarè patet ex terminis, declaratione non indiget.

47. Reſp. II. Confeſſio annua ferè æquè utilis, & meritoria, DEOque accepta eſt, ac Confeſſio Generalis, ídque ob easdem rationes, quas *à num. 4.* pro demónſtranda utilitate Confeſſionis Generalis attulimus; quia eædem ferè omnes proprietates, etiam pro Confeſſione annua militant, utì legens, & conſiderans facilè cognoſcet, indéque colliget, quòd Confeſſio annua ferè æquè utilis, & meritoria, DEOque accepta ſit, atque eoſdem cum Confeſſione Generali fructus, & effectus habeat, præſertim verò illos duos principales *num. 9. & 10.* adductos; videlicet, optatam ſecuritatem, & tranquillitatem conſcientiæ, nec non liberationem ab anxietate, & obligatione recogitandi de peccatis antiquis, & ea confitendi. Nam ſicut Confeſſio Generalis ritè inſtituta liberat ab obligatione recogitandi, an omnia peccata juxta ſpeciem, & numerum in Confeſſione ritè expoſita ſint, nec non ab obligatione ultro occurrentia confitendi, ita Confeſſio annua liberat ab obligatione recogitandi de peccatis hoc anno commiſſis, & ultro occurrentia confitendi, ſimúlque confert ſecuritatem, & tranquillitatem conſcientiæ, utpote ad modū Confeſſionis Generalis ſupplens defectus, vi quorum forſan per añum una, vel plures Confeſſiones invalidè, aut ſacrilegè fuiſſent factæ. Hinc experientia multiplici teſte plurimi incredibile, & ferè idem, imò ſubinde majus ſolatium, animíque tranquillitatem ex Confeſſione añua, quàm ex Generali perceperunt.

48.

48. Intuitu tantorum fructuum, & effectuum ex Confessione annua provenientium, S. Bonaventura *in Regul. Novit. cap. 3. ad finem.* cuivis Religioso annuam Confessionem suadet illis verbis: *Studeas annuatim generaliter confiteri:* id est, singulis annis de omnibus peccatis totius anni Confessionem instituere, quæ respectu omnium commissorum in aliquo sensu etiam Generalis dici potest, & generaliter fieri dicitur.

49. Doctrinam S. Bonaventuræ sequentes plures bene ordinatæ Religiones, inter sua Statuta etiam hoc habent, ut quivis singulis annis Confessionem annuam instituere debeat.

50. Resp. III. Eadem, quæ requiruntur ad Confessionem Generalem, requiruntur etiam ad annuam, & eodem modo, quo Generalis, proportionaliter etiam fieri debet Confessio annua, adeò, ut I. sicut speciali, & majori cum diligentia, conatu, & fervore fieri debet Confessio Generalis, ita & annua. II. Sicut in Confessione Generali confitens tenetur omnia, etiam confessa mortalia exactè confiteri à tempore, quo incepit sacrilegè, vel invalidè confiteri, ita & annualiter confitens, à tempore, quo forsan in illo anno sacrilegè vel invalidè confessus est. III. Sicut in Confessione Generali etiam non necessaria, utilissimè exprimuntur omnia mortalia jam confessa quoque, ita etiam in voluntaria Confessione annua omnia etiam jam confessa peccata, per illum annum commissa. IV. Sicut ad Confessionem Generalem requiritur, debitum examen, ita & ad annuam: prout etiam ad facilitandum examen, & ritè confitendum annualiter, conducunt, & proportionaliter observanda sunt eadem, quæ pro Confessione Generali diximus *à num. 32.* ubi lege.

Appendix
De Principiis practicis circa Confessionem Generalem, & annualem.

Principium I.

51. SEmel, & quidem tunc, quando sufficiens habetur cognitio tum malitiæ peccatorum, tum requisitorum ad Confessionem Generalem, & modi perfectè confitendi, debita cum diligentia, & conatu exa-

ctam à tota vita inſtituere Confeſſionem.

Principium II.

52. EAndem Confeſſionem à tota vita ſemel ritè peractam, ex timore vel anxietate, vel titulo majoris ſecuritatis, extra mortis periculum ſinè poſitivo conſilio prudentis Confeſſarii non ampliùs repetere.

Principium III.

53. COnfeſſionem Generalem minùs ſtrictè talem, & quidem primò à tempore Confeſſionis Generalis propriè talis, ac poſtea ſemper ab ultima, ſuìs temporibûs, præſertim contingente majori mutatione Statûs peragere, niſi diſſuadeat Confeſſarius.

Principium IV.

54. COnfeſſionem annualem, præſertim tempore Exercitiorum, ſingulìs annìs ſedulò peragere.

§. II.

Speculum Confeſſionis, ſeu Catalogus Peccatorum.

55. TRaditur hìc ſuccinctus quidam Peccatorum Catalogus, quibûs contra decem Præcepta Decalogi, & Præcepta Eccleſiæ, nec non juxta ſpeciem peccatorum capitalium leviter, vel graviter peccatur, cogitatione, verbis, opere, & omiſſione; & quamvìs paſſim obvii habeantur Libelli, Speculum Confeſſionis, *vulgò* Beicht-Spiegel intitulati, in quibus Catalogus præfatorum peccatorum continetur, eum nihilominus pro utilitate veſtra hìc quoque inſerere ex multis rationibus placuit, & quidem I. quia, etſi paſſim, tamen non ubique habetur hujusmodi Libellus.

II. Quia aliqui hujusmodi Catalogi valde imperfecti, ac inſufficientes inveniuntur, nec addunt, quando graviter, vel quando leviter contra præceptum aliquod peccetur.

III. Quia inter doctrinas cuivis Chriſtiano, ne dicam Religioſo, ſummè utiles, quin & neceſſarias eſt, poſt primos ſtatim diſcretionis annos ſcire, quando, & quomodo contra Præcepta DEI, & Eccleſiæ, vel in alio genere

nere juxta cujusvis statum, & conditionem peccetur, ne aliàs ex ignorantia crassa variè delinquatur, vel saltem ex inculpabili ignorantia mali, contra Præcepta contrahantur transgressionum habitus, qui postea, cùm debita notitia serò acquiritur, difficillimè deponuntur. Hinc, ut quivis vestrûm hujusmodi catalogum, quantùm sufficit, & necesse est, ad manum habeat, & primô statim conversionis annô peccata contra quodvis Præceptum cognoscere, séque, & cum tempore etiam alios juvare valeat, hìc subjungitur. Itaque

56. Quæritur I. Quando, & quomodo quis cogitatione, verbo, opere, & omissione peccet contra primum Præceptum Decalogi? Ante responsionem notandum, primô Præceptô principaliter quidem, & expresse præcipi ea, quæ Fidem concernunt, indirectè tamen, & implicitè Spem quoque, Charitatem, & ea concernentia præcipi; quia Fides de DEO statim ejusdem Spem, seu desiderium, & Amorem secum trahit. Hoc notato Resp.



Contra primum Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi de aliquo articulo Fidei pertinaciter dubitat, vel eum non credit, aut contrarium credit. Pertinaciter autem id facit, qui sciens Ecclesiam contrarium tenere, id facit.

Qui firmiter credit auguriis, superstitionibus &c.

Specialiter etiam, qui credit, quemvis in sua Secta salvari posse.

Qui internè diabolum invocat pro auxilio.

Qui de consequenda salute, & emendatione vitæ, remissione peccatorum, vel misericordia Divina desperat.

Qui creaturam aliquam quamcunque, nimìs inordinatè, & plus amat, quàm DEUM, ita, ut internè dispositus, & paratus sit ob eam graviter peccare, consequenter DEUM relinquere.

Qui DEUM odio habet; qui vult, vel proponit aliquid dicere, facere, vel omittere contra Spem, Fidem, & Charitatem juxta dicenda.



Cogitatione leviter peccat.

QUi in repellendis cogitationibus contra Fidem negligens, & remissus est.

Qui somniis & auguriis, vel superstitionibus aliqualiter adhæret.

Qui Divinis inspirationibus resistit, aut eas negligit.

Qui inordinatum affectum, vel amorem erga quamcunque creaturam habet.

Qui inordinatè gaudet, & delectatur rebûs terrenîs.

Qui vanis, inutilibus, otiosis cogitationibus, inordinatis curis, & solicitudinibus hujus sæculi, debitum amorem, & servitium DEI impedientibus, ac distractionibus deliberatè inhæret, aut in iis præcavendis, vel repellendis negligens est.

Qui tristes, & pusillanimes cogitationes fovet.

Verbîs graviter peccat.

QUi verbîs externè exprimit, quòd aliquem Fidei articulum non credat, vel de eo dubitet, vel contrarium credat.

Qui de potestate Papæ, vel Ecclesiæ in rebus Fidei, vel morum, contemptim loquitur.

Qui diabolum pro auxilio expressè invocat.

Qui magos, aut alios diaboli ministros superstitiosè consulit.

Qui utitur verbîs, precibûs, vel adorationibûs superstitiosîs.

Qui alios superstitiosa, vel aliàs contra fidem docet; vel eos in his laudat, confirmat, ad id hortatur, suadet &c.

Qui internam suam desperationem verbîs exprimit, vel verba desperationis seriò projicit.

Qui verbîs exprimit se creaturam aliquam plùs, quàm DEUM, id est, tantùm amare, ut potiùs cuncta alia, quàm eam relinquere, vel ob eam DEUM graviter offendere paratus sit.

Verbîs leviter peccat.

QUi contra Fidem, vel de mysteriis Fidei, Potestate Papæ, vel Ecclesiæ &c. jocosè, vel minùs reverenter loquitur ex levitate animi.

Qui ex indignatione vel impatientia, & non seriò verba desperationis projicit.

Qui verbîs suîs præcisè hominibus placere satagit.

Qui superfluè, vel otiosè loquitur.

Opere

Opere graviter peccat.

QUi exteriorem aliquem actum infidelitatis, vel hæreſis exercet; præſertim ſi tali actu, ſignô, vel factô infidelitatem, vel hæreſin profiteatur, etſi id non ſincera mente, ſed ex timore v.g. faciat.

Qui hæreticos, vel infideles contra Catholicos fovet, & defendit in materia Fidei.

Qui componit, vel abſque licentia legit, retinet, vel diſtrahit librum hæreticum.

Qui abſque neceſſitate cum proximo perverſionis periculo infidelibus, vel hæreticis inſervit.

Qui magiam, maleficia, vel ſuperſtitiones exercet, vel iis utitur.

Opere leviter peccat.

QUi modicam tantùm materiam ex libro hæretico legit &c.

Omiſsione graviter peccat.

QUi multùm negligens eſt in addiſcendis articulis, ac myſteriis Fidei, & Doctrinæ Chriſtianæ ſcitu neceſſariis, neceſſitate medii, aut præcepti, uti ſunt notitia Unius, & Trini DEI, æternè præmiantis bona, & punientis mala, Incarnationis Dominicæ, & Præceptorum Decalogi.

Qui nunquam internum actum Fidei, Spei, & Charitatis exercet.

Qui ſignis, vel actibûs externîs Fidem profiteri omittit, quando de ea interrogatus fuit à Poteſtate publica &c.

Qui negligit in neceſſariis Fidei, & morum articulis docere curæ ſuæ commiſſos.

Omiſsione leviter peccat.

QUi parùm negligit diſcere neceſſaria Fidei, & morum.

Qui negligens eſt gratitudinis actus exercere ob DEI beneficia.

57. Quæritur II. Quando, & quomodo quis peccet contra ſecundum Præceptum Decalogi? Ante Reſponſionem notandum, hoc Præcepto præcipuè prohiberi perjuria, & juramenta non neceſſaria, irreverentem uſum, & abuſum Sacratiſſimi DEI Nominis, & aliarum rerum Sacrarum, blasphemias, & nonnulla alia virtuti Religionis contraria: econtra præcipi obſervationem juramenti promiſſorii, voti &c. reverentiam rerum Sacrarum, & quædam alia ex virtute Religionis debita. Hoc notato Reſp.

Con-

Contra secundum Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi mente contra DEUM, vel Sanctos blasphemat.

Qui internè contra DEUM, vel dispositiones ejus murmurat, vel conqueritur, quasi non esset satis providus, & justus.

Qui proponit verbô, opere, aut omissione graviter violare hoc secundum Præceptum, juxta statim dicenda.

Cogitatione leviter peccat.

QUi vult, & intendit dicere, facere, vel omittere huic Præcepto leviter contrarium, juxta dicenda.

Verbis graviter peccat.

QUi juramentô affirmat mendacium, etiam minimum, v.g. officiosum, vel jocosum, vel id, de quo dubitat, an sit verum.

Qui jurat quid facere, vel omittere absque animo adimplendi.

Qui jurat, seu sub juramento asseverat, confirmat, aut promittit, se graviter peccaminosum facturum.

Qui causa est, quòd alter falsò juret, aut juramentum suum licitum non observet.

Qui legitimè sub juramento interrogatus in judicio, non respondet ad sensum, & mentem Judicis interrogantis in iis casibus, ubi,& quando aliàs respondere tenetur: vel qui hoc alteri suadet.

Qui verba Scripturæ Sacræ ad turpia applicat.

Verbis leviter peccat.

QUi Sacratissimum DEI Nomen vanè, & absque ulla reverentia usurpat.

Qui verba Scripturæ Sacræ ad aliquo modo facetosa, non tamen turpia applicat ex animi levitate.

Qui absque ulla necessitate in re vera jurat.

Opere graviter peccat.

QUi in materia gravi committit aliquid, quod sub juramento, vel voto omittere debuit.

Qui gravi irreverentia afficit Sacras Imagines, Reliquias Sanctorum, & alias res Sacras.

Opere

Opere leviter peccat.

QUi juramentum, vel votum omittendi aliquid in levi materia violat.

Qui Scripturâ Sacrâ, Missalî, Breviariô, Sacrîs Imaginibûs, aut aliîs rebûs sacrîs ad usus profanos minùs reverenter utitur, aut aliàs levem irreverentiam eis irrogat.

Omissione graviter peccat.

QUi in re gravi omittit servare juramentum, vel votum, de aliquo faciendo, vel observando.

Qui graviter negligens est in deponenda consuetudine præcipitanter, & passim in rebus veris, & falsis jurandi.

Omissione leviter peccat.

QUi in re levi non servat juramentum, aut votum aliquid faciendi.

58. Quæritur III. Quandò, & quomodo quis peccet contra tertium Præceptum Decalogi? Notandum priùs, hoc Præcepto præcipuè mandari, ut homo, sepositîs negotiîs sæcularibûs, aliquod saltem vitæ tempus, præsertim dies festivos cultui Divino, & animæ suæ saluti impendat, aliquos, præsertim Religionis actus positivè exercendô, aliquos omittendô. Et quia huc etiam suîs quinque Præceptîs Ecclesia tendit, ea plerumque ad hoc Præceptum reducuntur. Hoc notato Resp.

Contra tertium Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi intendit, vel proponit diebûs festivîs nullam audire Missam, aut aliàs verbîs, factîs, aut omissione graviter violare hoc Præceptum, vel unum ex quinque Præceptis Ecclesiæ, juxta dicenda.

Cogitatione leviter peccat.

QUi proponit, aut intendit leviter violare unum ex dictis Præceptis.

Qui sub Missa diebûs festivis internas distractiones admittit, aut negligenter repellit.

Verbîs graviter peccat.

QUi per totam, vel majorem aut notabilem v. g. tertiam Missæ partem diebûs festivîs confabulatur, aut garrit, ita, ut nesciat, quidnam interim agatur à Sacerdote.

Qui alios verbis inducit ad graviter transgrediendum hoc tertium, aut unum ex quinque Præceptis Ecclesiæ.

Qui de iisdem Præceptis contemptim loquitur.

Verbis leviter peccat.

QUi diebûs festivis sub Missa absque notabili parte garrit.

Qui inter preces quascunque, vel Horas Canonicas sinè legitima causa garrit, confabulatur &c.

Opere graviter peccat.

QUi opera servilia per magnam vel notabilem diei partem, absque legitima causa exercet in diebus festivis.

Qui sub Missa dictis diebûs per notabile spatium cum distractione profana legit, aut alia externa cum interna intentione incompossibilia agit.

Qui alios impedit, quòd Missam audire nequeant.

Qui sinè debito dolore, vel sufficienti proposito, aut voluntariè omittens peccatum mortale, confitetur.

Qui sacrilegè, seu in statu peccati mortalis communicat.

Qui in quadragesima, vigiliis, & aliis Interdictis diebus, sinè legitima causa sæpius comedendô, ita, ut ad notabilem quantitatem deveniat successivè, aut in secunda refectione graviter excedendô, jejunium non servat.

Qui dictis diebûs, vel etiam die veneris, aut sabbathi carnem comedit in notabili quantitate.

Opere leviter peccat.

QUi sinè justa causa diebûs festivis per aliquam non notabilem diei partem opera servilia exercet.

Qui diebûs festivis tempus ludendô, otiandô, garriendô consumit.

Qui in diebus Jejunii parvam quantitatem carnis comedit, aut leviter jejunium violat.

Qui Pœnitentiæ, aut alia Sacramenta tepidè, vel valde modica cum reverentia, dispositione &c. suscipit.

Qui preces quascunque, & laudem Divinam, præsertim Horas Canonicas, tepidè, indevotè, irreverenter, vel nimis præcipitanter persolvit.

Omissione graviter peccat.

QUi absque justa causa diebûs festivis Missam, aut notabilem illius partem audire negligit.

Qui

Qui semel in anno communicare, vel peccatô mortalî irretitus confiteri omittit.

Qui obligatus ad Breviarium, illud totum, vel notabilem ejus partem e. g. integram aliquam Horam Minorem omittit.

Omissione leviter peccat.

QUi modicam Missæ partem sinè justa causa negligit.

Qui Rubricas præceptivas non observat, vel eas discere negligit.

Qui statîs temporibûs absque legitima causa non persolvit Horas Canonicas.

Qui modicam Breviarii partem e. g. Psalmum, aut commemorationem omittit.

59. Quæritur IV. Quando, & quomodo quis peccet contra quartum Præceptum? Notandum priùs. Hoc Præcepto principaliter jubemur, debitum amorem, reverentiam, & obedientiam Parentibus, & Superioribus, utpote DEI locum tenentibus exhibere. Hoc notato Resp.

Contra Præceptum quartum

Cogitatione graviter peccat.

QUi grave odium, seu aversionem internam, erga Parentes, vel Superiores quoscunque fovet.

Qui illos internè graviter contemnit.

Qui eisdem mortem, vel aliud grave malum optat.

Qui de gravi malo v. g. morte ipsorum gaudet.

Qui in re gravi temerariè eos judicat.

Cogitatione leviter peccat.

QUi in præfatis leviter delinquit contra Parentes, vel Superiores suos.

Verbîs graviter peccat.

QUi verbîs graviter injuriosîs, & irreverentibûs eos afficit.

Qui graviter contra ipsos murmurat &c.

Verbîs leviter peccat.

QUi verbîs, aliquantum durîs, & asperîs, vel impatientibûs, aut aliàs leviter irreverentibûs, illos alloquitur, vel eisdem respondet.

Qui eisdem leviter obmurmurat, vel contra eos sic murmurat, aut illis leviter detrahit.

Opere graviter peccat.

QUi in re gravi, vel ex contemptu formali etiam in re levi, prohibitionem Parentum, vel Superiorum transgreditur.

Qui Decreta, & Constitutiones Pontificias inhibitorias, & obligatorias in materia gravi transgreditur.

Qui signis vel factis gravi irreverentia, vel contemptu Parentes, vel Superiores suos afficit, vel graviter, & injustè eos contristat.

Qui ad percutiendum eos manum, vel aliud instrumentum levat; & multò magis, qui actu, etiam leviter tantùm, eos percutit.

Qui Sacerdotes, vel alias Ecclesiasticas Personas, Magistros, Præceptores, signis, vel factis, gravi irreverentia afficit.

Parentes, qui prolem ad Matrimonium, vel Monasterium cogunt, vel libertatem aliàs in eligendo Statu adimunt.

Qui prolibus, aut subditis grave dant scandalum.

Opere leviter peccat.

QUi in re levi inobediens est, aut levis irreverentiæ signis, aut factis eos afficit, vel leviter contristat.

Qui Decreta, & leges Ecclesiasticas, vel Civiles justas & non merè pœnales leviter transgreditur.

Omissione graviter peccat.

QUi in re gravi, vel ex contemptu in re levi positivum aliquod præceptum Parentum, vel Superiorum, non observat.

Qui Parentibus in infirmitate, vel alia gravi necessitate pro viribus non opitulatur.

Qui testamentum Parentis in re gravi exequi negligit.

Parentes, qui prolem in scitu necessarijs Fidei, & Doctrinæ Christianæ instruere graviter negligunt.

Parentes & Superiores, qui filios, & subditos graviter delinquentes, corrigere, & emendare omittunt.

Omissione leviter peccat.

QUi absque contemptu in re levi positivum præceptum Parentum vel Superiorum non observat.

Qui debitum honorem, ac reverentiam Parentibus, vel Superioribus exhibere omittunt in re levi.

Parentes, qui in docendis, ac instruendis prolibus verè, sed non graviter defectuosi sunt.

Parentes, & Superiores, qui præfatô modô defectuosi sunt in

in monendis, puniendis prolibus, aut subditis.

Iidem, qui suô malô exemplô causa sunt, quòd proles, & subditi præcepta, ac leges positivas leviter transgrediantur.

60. Quæritur V. Quando, & quomodo contra quintum, & octavum Præceptum Decalogi peccetur? Notandũ priùs, quòd, postquam tradita sunt Præcepta, quomodo circa Deum, résque Sacras, Parentes, ac Superiores, Dei locum tenentes, habere nos debeamus, sequantur modò Præcepta circa seipsum, ac proximum quemcunque, & quidem principaliter negativa, quibûs prohibetur, ne quis contra seipsum peccet, & ne proximus noster quicunque, in suis bonis vitæ, famæ, aut fortunæ ullo modo injustè lædatur, aut aliàs contra charitatem proximi agatur. Quòd si contra Parentes, aut Superiores id fieret, distinctam speciem in Confessione necessariò exprimendam constitueret, ob læsionem pietatis, amoris, & reverentiæ illis specialiter debitæ. Prohibetur autem quinto hoc Præcepto specialiter, ne proximus noster in vita, aut bonis corporis lædatur. Et quia vita ac fama suô modô pari passu ambulant, atque hæc majus bonum est, quàm bonum fortunæ, eodem isto quæsito adducemus etiam peccata contra octavum Præceptum, quo prohibetur, ne proximus injustè lædatur in bonis famæ. Hoc notato Resp.

Contra quintum & octavum Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi ex desperatione, vel quacunque alia ratione seipsum occidere, aut sinè legitima causa seipsum mutilare, aut aliud grave malum corporis sibi inferre intendit, aut proponit.

Qui grave odium, vel inimicitiam erga aliquem habet, animô se vindicandi, & grave malum in bonis corporis, aut honoris, vel famæ inferendi.

Qui alteri mortem, aut grave malum corporis, vel famæ seriò optat.

Qui alteri internè graviter irascitur, seria cum voluntate grave malum corporis, famæ, aut honoris ei inferendi.

Qui delectatur de alterius morte,

te, vel gravi ejus malo corporis, famæ, honoris: vel econtra tristatur de vita, aut notabili bono corporis, famæ, vel honoris illius.

Qui de proximo in re gravi temerariè judicat.

Qui intendit, vel proponit verbô, opere, vel omissione juxta infra dicenda, graviter violare quintum, vel octavum Præceptum.

Cogitatione leviter peccat.

Qui ex impatientia, aut tædio vitæ sibimet ipsi mortem inefficaciter optat.

Qui levem inimicitiam, odium, vel aversionem injustam erga proximum fovet, aut leve malum in bonis corporis, honoris, vel famæ ei inferre vult.

Qui de alterius levi malo corporis, famæ, vel honoris delectatur; aut econtra de levi bono ejusdem tristatur.

Qui de proximo temerè suspicatur absque tamen temerario judicio.

Qui intendit, vel proponit, verbô, opere, omissione, juxta dicenda, leviter violare præfata duo Præcepta.

Verbis graviter peccat.

Qui alteri verbis grave malum corporis, honoris, & famæ seriò imprecatur.

Qui alterum gravi calumnia verbali afficit.

Qui alteri graviter detrahit, sive verum occultum revelandô, sive falsum dicendô.

Qui in re gravi falsum testimonium fert contra proximum.

Qui mendacium alteri graviter nocivum committit.

Qui alios instigat, hortatur, vel eis consulit, ut proximum occidant, vel ei grave malum corporis, honoris, vel famæ inferant.

Qui simile factum alterius laudat, approbat &c.

Qui susurratione graves discordias inter alios causat.

Verbis leviter peccat.

Qui alteri verbis leve malum corporis, honoris, aut famæ, vel grave quidem, at solùm ex semideliberato motu iræ, non item ex vero animo imprecatur.

Qui levi calumnia verbali alterum afficit, vel leviter ei detrahit, aut malè de eo loquitur.

Qui

Qui ex ira, impatientia, indignatione subitanea durè, asperè, & indiscretè alteri loquitur, vel respondet, aut turpia, non tamen graviter ignominiosa agnomina imponit, vel qui vexatoriis, aut mordacibûs verbîs alterum lacessit, confundit &c.

Qui verbîs contendit cum alio leviter.

Qui susurratione, aut aliîs verbîs pacem leviter turbat, aut leves discordias inter alios causat.

Qui alterius defectus corporis, paupertatis &c. exprobrat.

Qui mendacium leviter nocivum, vel jocosum, officiosum &c. dicit.

Opere graviter peccat.

QUi seipsum ex desperatione, vel quacunque alia causa occidit.

Qui in grave mortis periculum se conjicit absque sufficienti causa.

Qui inordinatâ vitâ, aut illicitîs voluptatibûs grave nocumentum sanitatis sibi causat, vel vitam notabiliter abbreviat.

Qui alterum injustè occidit.

Qui alterum injustè mutilat, aut aliud grave damnum corporis infert.

Qui Sacerdotem, Clericum, vel Religiosam Personam percutit, quod specialem speciem, acetiam Excommunicationem inducit.

Qui abortum procurat, aut ad eum suadet, vel juvat.

Qui libellum famosum facit, aut projicit.

Qui scriptîs, signîs, aut factîs graviter lædit alterius famam, vel honorem.

Qui alterius litteras injustè aperit, & legit cum gravi ejus præjudicio.

Qui aliquid, sub gravi secreto sibi commissum, cum alterius præjudicio revelat.

Opere leviter peccat.

QUi inordinatâ vitâ, illicitîs actionibûs, præsertim superfluô cibô, & potu sibiipsi leve nocumentum sanitatis causat.

Qui alteri leve damnum corporis, aut famæ, vel honoris, signîs, vel factîs infert.

Qui alterum leviter percutit.

Qui ex curiositate libellum famosum ab alio factum legit.

Omissione graviter peccat.

QUi graviter negligit propriam sanitatem, & vitam conservare, vel media ordinaria pro ea applicare.

Qui

Qui pauperi in extrema, vel gravi necessitate constituto non succurrit.

Qui alium quemcunque in periculo vitæ, vel gravi necessitate, aut afflictione positum, dum bene potest, juvare negligit.

Qui inimico ignoscere non vult.

Qui graviter detrahentes, dum facilè potest, & spes emendæ apparet, non corrigit.

Qui eosdem voluntariè auscultat, facilè potens evitare.

Qui famam graviter, & injustè ablatam non restituit.

Qui Medicus, vel Chirurgus existens, negligit haurire debitam scientiam, cum aliorum vitæ, & sanitatis periculo.

Omissione leviter peccat.

QUi in re levi aliis indigentibus, aut rogantibus charitatem exhibere, & succurrere, dum facilè potest, omittit.

Qui leviter detrahentes, dum facilè potest, & spes fructûs est, non corrigit.

61. Quæritur VI. Quando? & quomodo contra sextum, & nonum Præceptum Decalogi peccetur? Meritò eadem quæstione indagatur de peccatis contra sextum, & nonum Præceptum, quia utroque idem prohibetur, hac sola cum distinctione, quòd per Præceptum sextum externa, per nonum verò etiam sola interna prohibeantur peccata luxuriæ. Cæterùm notandum, quòd, licèt dictis Præceptis expressè tantùm internum, & externum peccatum adulterij prohibeatur, implicitè tamen etiam quodvis aliud luxuriæ peccatum vetetur. Hoc notato Resp.

Contra sextum & nonum Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi voluntariè, & plenâ advertentiâ, cum complacentia, vel voluptate venerea inhæret impuris cogitationibus.

Qui voluntatem, & desiderium gerit habendi copulam carnalem cum soluta, vel conjugata, vel consanguinea, vel affine, vel sacrata, aut votô Castitatis ligata persona, quarum quævis distinctam peccati speciem, in Confessione necessariò exprimendam constituit.

Qui voluntariam complacentiam habet de peccato aliquo carnali olim commisso, cujus

species

ſpecies etiam in Confeſſionali explicari debet.

Qui matrimoniô ligatus ſub licitis actibus conjugalibus aliam perſonam (cujus ſpecies exprimi debet) ſibi imaginatur.

Cogitatione leviter peccat.

QUi cogitationibus & motibus obſcœnis non conſentit quidem, nec ijs venereè delectatur, ſed tamen in ijs præcavendis, vel repellendis remiſſus, & negligens eſt.

Verbis graviter peccat.

QUi turpia, & obſcœna ex carnali voluptate, vel animo laſcivo loquitur, vel hujusmodi turpes cantilenas cantat.

Qui præfata etiam ex ſola vexatione, ſed cum probabili periculo ſcandali audientium loquitur, vel canit.

Qui aliam perſonam verbîs ad turpia allicere, vel perſuadere conatur: explicetur ſpecies.

Verbîs leviter peccat.

QUi turpia, & obſcœna ex mera vexatione, & ſinè periculo proprij, vel alieni ſcandali profert.

Qui ex ſimili vexatione verba æqui voca cum ſenſu obſcœno profert.

Opere graviter peccat.

QUi obſcœna animô laſcivô libenter audit.

Qui ſeipſum animô laſcivô impudicè tangit, vel aſpicit.

Qui aliam perſonam laſcivô animô impudicè tangit, oſculatur, vel id in ſe fieri permittit, vel aſpicit; ubi exprimatur ſpecies perſonæ, & declaretur, an ex ſolius voluptatis, vel complacentiæ venereæ, an verò etiam cum deſiderio carnalis operis factum ſit.

Qui cum ſoluta, vel ligata, vel conſanguinea, vel affine, vel votô obſtricta, vel cum eodem ſexu, vel cum beſtia congreditur; conſequenter fornicationem, vel adulterium, vel inceſtum, vel ſacrilegium, vel ſodomiam, vel beſtialitatem committit. Quæ omnes diverſæ ſunt ſpecies, neceſſariò in Confeſſione exprimendæ.

Qui procurat pollutionem ſinè, vel cum imaginatione perſonæ, quæ exprimi debet, ſi ad eam, quaſi præſentem ſpeciali feratur affectu, ſeu deſiderio carnali.

Qui habita in ſomno pollutione, vel turpibus ſomnijs exper-

expergefactus delectatur deliberatè, & plenè sibi compos.

Qui lascivô animô aspicit obscœnas picturas.

Qui pingit, sculpit, vel alias obscœnas efformat figuras.

Qui domi retinet valde obscœnas imagines, aut figuras.

Qui animô lascivô scribit amatorias, vel turpes literas.

Qui componit impudicos libros, vel cantilenas.

Qui scienter hinc inde portat lascivas, & periculosas amatorias literas.

Qui animô lascivô legit libros, vel literas obscœnas.

Qui advertenter exponit se periculo proximo luxuriæ; explicetur species.

Qui ad aliquod peccatum luxuriæ occasionem, vel auxilium præbet.

Qui corporis vestitu, ornatu, fictâ formâ, vel alio modo alios ad amorem lascivum allicere intendit.

Qui gestus impudicos, aut choreas lascivô animô exercet.

Qui alteri poculum amatorium, aut philtrum præbet.



Opere leviter peccat.

QUi alterum sexum non ex lascivo, sed ex inordinato amore, & sensualitate in partibus honestis tangit, vel osculatur.

Qui eundem in partibus inhonestis ex joco tantùm, & aliquali levitate super vestes modicè tangit,

Qui ex sola curiositate absque animo lascivo sexum alterum, præsertim in partibus minùs honestis, vel picturas, aut figuras turpes aspicit, præsertim si non fixè contingat.

Qui absque animo lascivo libros, cantilenas, aut literas ex sola curiositate, vel ingenij causâ legit.

Qui ex solo joco, aut animi levitate, & sinè animo lascivo literas amatorias, aut turpes scribit citra periculum scandali.

Omissione graviter peccat.

QUi graviter negligens est in repellendis tentationibus cum præviso periculo proximo deliberatæ complacentiæ, vel pollutionis.

Qui aliquod grave luxuriæ peccatum non impedit, du .. facilè potest.

Omis-

Omissione leviter peccat.

QUi aliquantùm remissus, & negligens est in repellendis, vel præcavendis cogitationibus, vel tentationibus obscœnis.

62. Quæritur VII. Quando, & quomodo quis peccet contra septimum, & decimum Præceptum Decalogi? Eodem iterum quæsito peracta contra utrumque Præceptum indagantur; quia utroque idem interdicitur, hac sola cum distinctione, quòd septimô externa, decimô autem interna peccata, quibûs proximus in bonis fortunæ contra justitiam, vel charitatem læditur, prohibeantur. Hoc notato Resp.

Contra septimum & decimum Præceptum Decalogi

Cogitatione graviter peccat.

QUi intendit, vel proponit, vel vellet, si posset, verbîs, opere, vel omissione, juxta dicenda, graviter agere contra hæc Præcepta.

Qui injustô modô desiderat alterius bona, vel invidet alteri bona fortunæ, aut de eorum gravi damno gaudet, vel econtra de prosperitate tristatur.

Cogitatione leviter peccat.

QUi vult, vel intendit leviter agere contra hoc Præceptum, & levem invidiam de bonis fortunæ alterius habet.

Verbîs graviter peccat.

QUi mendaciô, falsô testimoniô, juramentô, vel malô consiliô, approbatione, secreti revelatione, vel alio verborum genere in causa, & culpa est, quòd alter in bonis fortunæ grave damnum patiatur.

Verbîs leviter peccat.

QUi præfato verborum genere alteri leve damnum causat in bonis fortunæ.

Opere graviter peccat.

QUi furtum committit in re gravi.

Qui in gravi re rapinam committit, seu vi aufert aliquid.

Qui in re gravi Sacrilegium committit, id est, rem sacram, vel Personam sacram surripit.

Qui factô quocunque alterum injustè, & graviter damnificat in bonis fortunæ, quod innumerîs modîs fieri potest; è quibus aliquos adducemus v. g.

Qui deceptoriè ludit, vel qui injusto pondere, aut mensurâ utitur.

Qui merces, aut res inutiles, corruptas, aut defectuosas pro bonis vendit.

Qui usuras illicitas exercet.

Qui venatione segetes, aut fructus agrorum notabiliter destruit.

Qui terminos agrorum transfert.

Qui alia ratione alterius agris, pratis, vineis, fructibus, aut aliis rebus grave damnum infert, vel causa est, quòd ab aliis inferatur.

Qui scienter grave debitum contrahit, quod solvere se non posse prævidet.

Qui falsâ, vel notabiliter minùs ponderosâ monetâ solvit; etsi eandem ab aliis acceperit.

Qui ùt Reus, vel Actor in Judicio causam injustam tuetur cognitam ùt talem.

Procurator, vel Advocatus, qui causam injustam suscipit, defendit, aut consulit, etsi optimè injustitiam causæ agnoscat.

Judex, qui injustam sententiam profert.

Qui causas ex negligentia, vel malitia plùs justò protrahit notabiliter.

Qui Rempublicam, vel officium publicum administrantes, officiales &c. de alienis bonis notabilem quantitatem sibi appropriant.

Famuli, & famulæ domesticæ, quando modicîs furtîs ad gravem quantitatem venire intendunt, vel actu veniunt, & tamen dein furta minuta continuant, quamvìs advertant præcedentem magnam quantitatem.

Filiifamilias, qui gravem quantitatem surripiunt, vel subtrahunt, vel malè dissipant cum gravi præjudicio aliorum fratrum, aut sororum.

Artifices, & Opifices, Mercenarii, qui vel ex negligentia, vel malitia rem malè conficiunt, vel perficiunt, vel quædam sibi retinent, vel pretium justò majus exigunt, ita ut Dominus, vel simul & semel, vel successivè grave damnum, vel præjudicium patiatur.

Qui alterius justum lucrum, aut commodum per se, vel per alios injustè impedit.

Qui dignum aliquem ab Officio, vel Beneficio injustè impedit.

Qui quocunque modo injusto, vel illicito alteri grave damnum infert.

Opere

Opere leviter peccat.

QUi leve quid furatur, vel in uno ex præfatis, aut simili modo leviter damnificat alterum in bonis fortunæ.

Omissione graviter peccat.

QUi promissa, vel contractum aliquem non observat cum gravi alterius præjudicio.

Qui mercedem operariis, famulis, opificibus, officialibus justè non solvit, aut nimiùm differt cum gravi eorum damno.

Qui contracta debita non solvit, aut nimis differt cum alterius gravi damno.

Qui decimas non solvit, vel defraudat.

Qui grave damnum alterius, quod ex officio, vel charitate proximi amovere debuisset, ac facilè potuisset, neglexit.

Qui inventa notabilis pretij suo Domino, quem scit, vel indagandô facilè scire potest, non restituit.

Qui grave damnum, quod quacunque ratione juxta dicta, verbo, opere, aut omissione injustè, vel illicitè causavit, non resarcit, quamvìs posset.

Omissione leviter peccat.

QUi uno, ex præfatis, omissionis modo leviter damnificat alterum.

Qui modicum furtô ablatum non restituit, aut modicum damnum causatum non resarcit.

Qui grave quid furtô ablatum restituere, aut debitum solvere, vel grave damnum illatum resarcire aliquantùm, & sinè gravi damno alterius differt.

63. Quæritur VIII. Quando, vel quomodo quis peccet aliquo ex septem peccatis Capitalibus? Resp. Quamvìs, utì ex dictis patet, peccata Capitalia à potiori inter peccata contra Præcepta Decalogi contineantur; nihilominus breviter, & compendiosè aliqua ex ijs adducemus. Itaque

Peccatô Superbiæ graviter peccat.

64. QUi ex superbia, cogitatione, verbo, vel opere, ita se extollit, vel extollere vult, ut Deo, aut Superioribus subjici nolit.

Qui ex ambitione, vel præsumptione procurat officium, ad quod inhabilis, vel insufficiens est, ita, ut inde sequatur Dei irreverentia, vel notabile dam-

num temporale, aut spirituale boni communis, aut proximi.

Qui ita se effert super alios, ut eos contemnat, complacendô in eorum notabili abjectione.

Qui ex jactantia gloriatur de aliquo peccato mortali, si fiat de ipso opere malo: vel qui aliorum vituperat timiditatem, quòd aliquid mortaliter peccaminosum aggredi v. g. graviter se vindicare, duellare &c. ausi non sint.

Qui ex hypocrisi sanctitatem, miracula, aut extraordinariam aliquam perfectionem simulat, aut, ne erràsse, aut minùs doctus appareat, impugnat veritatem cognitam, ac perseverat in sua mala opinione, vel sententia, præsertim, dum inde sequitur damnum, vel scandalum aliorum.

Superbiâ leviter peccat.

QUi vanam gloriam, laudem, & æstimationem inordinatè appetit, vel in suis dictis, & factis intendit.

Qui vanam de se, vel suis complacentiam habet, se ipsum plus justô æstimat &c.

Qui directè vel indirectè de se, vel suis se jactat.

Qui alios corde, vel ore leviter spernit, & se meliorem aliis reputat.

Qui se nimiùm ex animi levitate vel vanitate exornat.

Qui ex hypocrisi virtutem, aut pietatem exercet, vel se exercere simulat, ut pro virtuoso habeatur.

Qui suæ confusionis, humiliationis, vilipensionis, aut contemptûs nimis impatiens est, & propterea ob eam variis cogitationibûs agitatur, valde se perturbans, quod signum est latentis superbiæ.

Avaritiâ graviter peccat.

65. QUi ita inordinatè appetit, vel afficitur erga pecunias, vel res temporales, ut pro eis acquirendis, augendis, vel conservandis, Præceptum aliquod grave transgrediatur, vel transgredi paratus sit e. g. Præceptum erogandi superflua in pauperes.

Avaritiâ leviter peccat.

QUi de temporalibus plus affectat, quàm pro se, vel suis necesse habet, ídque ex inordinato amore erga temporalia.

Qui pro acquirendis, augendis, vel conservandis temporalibus

bus superfluis nimium laborem, & curam impendit, cum aliquo, sed non gravi dispendio virtutum, & perfectionis Christianæ, ac salutis æternæ.

Qui de jactura temporalium inordinatè tristatur.

Luxuriâ graviter, & leviter

66. QUomodo quis peccet? abundè dictum est supra *num. 61.* de peccatis contra sextum, & nonum Præceptum Decalogi.

Invidiâ graviter peccat.

67. QUi de gravi alterius malo gaudet, vel de gravi bono, aut felicitate alterius tristatur, vel illud odiô habet: & quidem vel respectu sui superiorum, quia eis non æquatur, vel respectu inferiorum, ne sibi æquentur, vel respectu parium, quia sibi æquantur.

Invidiâ leviter peccat.

QUi de levi malo alterius gaudet: vel bono illius tristatur modô superiùs indicatò.

Gulâ graviter peccat.

68. QUi jejunium sub mortali debitum violat graviter ex inordinato appetitu ad cibos.

Qui diebûs jejunii carnes in notabili quantitate comedit ex mera gula.

Qui nimiô cibô, vel potu grave nocumentum infert sanitati ex eodem inordinato appetitu.

Qui usque ad privationem usûs rationis se inebriat, vel alios inebriare conatur.

Qui per inordinatum potum notabiliter ineptum se reddit ad functiones, ad quas sub mortali obligatur.

Qui poculîs epotandîs decertant, vel magnam diei, & noctis partem insumunt, non curantes, an plena ebrietas, aut inhabilitas ad graviter obligatoria sequatur.

Qui continuò hærent in popinis cum gravi jactura uxoris, & prolium.

Qui de horum gravi excessu gloriantur, si hæc gloriatio fiat de ipso opere malo.

Gulâ leviter peccat.

QUi ultra naturæ necessitatem edit, aut bibit.

Qui necessaria naturæ ex sola voluptate sumit, aut soli voluptati inhæret.

Qui nimis avidè, vel ardenter, solam spectans voluptatem, comedit, aut bibit.

Qui

Qui extra tempus absque necessitate, vel rationabili causa bibit, vel comedit.

Qui nimis delicatos, aut exquisitos, vel nimis accuratè præparatos cibos inordinatè appetit.

Qui in defectu horum murmurat, impatiens est, & conqueritur.

Qui de cibo, & potu quasi continuò cogitat, eúmque inordinatè, oblectamenti gratiâ desiderat.

Qui de potatione, vel comestione superflua, aut voluptuosâ (non tamen graviter peccaminosa) se jactat.

Qui semiebrius est, nec plenè privatus ratione.

Irâ graviter, vel leviter

69. Qualiter quis peccet? abundè habetur supra *n. 60.* de peccatis contra quintum Præceptum Decalogi.

Acediâ,

70. Quæ generaliter est languor, aut desidia ad bene operandum, seu fastidium rerum spiritualium, specialiter autem est tristitia de re spirituali.

Graviter peccat.

Qui ob eam omittit necessaria ad salutem, aut omittit opus graviter præceptum; vel committit opus graviter prohibitum.

Qui de re spirituali tristatur.

Acediâ leviter peccat,

Qui tepidè, languidè, aut somnolenter preces, aut alia pia exercitia persolvit.

Qui pusillanimis, tædiosus, aut nimis timidus est ad aggrediendа ea, quæ pro sua, vel aliorum salute sunt conducentia.

Qui aversionem, & quasi nauseam à virtutibus, aut pijs exercitiis habet, eáque propterea quavis data occasione fugit &c.

Qui tempus otiosè consumit.

71. Quæritur IX. Quando, & quomodo quis peccet peccatô alienô?

Quamvìs ex dictis à potiori jam pateat ad quæsitum, nihilominus pro compendiosa notitia Resp. Novem, imò decem modîs quis committit peccatum alienum, videlicet: I. Consiliô. II. Jussione. III. Consensu. IV. Irritatione. V. Laudatione, seu adulatione. VI. Taciturnitate.

VII.

VII. Conniventiâ. VIII. Participatione. IX. Defensione. ac X. Malô exemplô.

Consiliô peccat.

QUi ad aliquod ex hactenus recensitis peccatis v. g. ad alium occidendum consulit.

Jussione peccat.

QUi Superior existens subdito suo mandat, ut peccatum aliquod v.g. furtum faciat.

Consensu peccat.

QUi suum suffragium, votum, seu consensum expressum, vel tacitum ad peccatum alterius præbet.

Irritatione peccat.

QUi alium ad peccatum v. g. luxuriam, iram, blasphemiam, verbis vel factis allicit, irritat, vel provocat.

Laudatione, vel Adulatione peccat.

QUi alterius malefactum laudat, eique propterea quasi de gloriosè, magnanimiter, ac bene gesto adulatur, indéque causa est, quòd alter in suo malo perseveret, aut pergat.

Reticentiâ, seu Taciturnitate peccat.

QUi, cùm loquendô v. g. monendô, docendô, corrigendô &c. peccatum alterius impedire posset, ac deberet, silet, & tacet.

Conniventiâ peccat.

QUi peccatum alterius, quod sua authoritate, aut facultate data vindicare, & punire, ac puniendô emendare potest, ac debet, impunitum relinquit, & in peius ruere sinit; ita sæpe peccant Superiores, Domini, Patresfamilias &c.

Participatione peccat.

QUi in parte lucri cum furibus aut deceptoribus venit, aut de bonis injustè ablatis participat. Sic peccant, qui furibus, aut notæ turpitudinis hominibus hospitium præbent, ut eorum malè partis gaudeant.

Defensione peccat.

QUi malefactoribus patrocinatur, vel eos, cùm malefaciunt, verbis, vel factis defendit,

fendit, vel qui perversam alterius doctrinam tuetur.

Malô Exemplô peccat.

Qui suô peccatô, aut malefactô causa est, quòd alij similiter peccent, & malè agant.

Hi sunt potissimùm modi committendi peccata aliena gravia, vel levia. Quæ gravia sunt, Confessioni necessariò subjici debent. Porro non sufficit in Confessione genericè se accusare de peccatis alienis, v. g. *mandavi*, vel *Consului peccatum &c.* sed debet species peccati exprimi, e. g. *Mandavi meo subdito, ut innocentem aliquem verberibus exciperet.*

72. Et hic est Catalogus, seu speculum potissimorum peccatorum propriorum, & alienorum contra Præcepta Decalogi &c. ex quo etiam alia peccata colligere, sicque Confessionem Generalem facere quis facilè potest: de aliis autem peccatis gravibus, quæ hîc non videntur exprimi, quemvis bonæ voluntatis propria conscientia, & Angelus Custos monebunt.

73. Specialiter autem circa hunc Catalogum est notandum, quòd ea, quæ peccata mortalia ex se esse diximus, mortalia non sint, quando bona fide, vel ex ignorantia invincibili, aut sine plena mali gravis advertentia fiunt. Nec ex subsequenti cognitione evadit peccatum mortale, neque tenetur quis confiteri illud, quod priùs, dum perpetravit, mortale, aut grave esse non scivit. v. g. qui bona fide, nesciens esse mortale peccatum, legit librum hæreticum, & postea primùm rescit illud, non est reus peccati mortalis, nec tenetur illud postea confiteri.

74. Quibûs non obstantibûs, meliùs, perfectiùs & securiùs facit, qui cuncta etiam illa peccata secundùm se sive ex natura sua mortalia confitetur, quæ ex ignorantia, aut abs cognitione sufficiente, vel sinè plena advertentia, & deliberatione facta sive commissa esse opinatur; eò quòd in hujusmodi factis non rarò intervenire possit ignorantia mali culpabilis, crassa, supina, vel affectata (de qua ampliùs Theologi) à mortali minimè excusans, vel quòd adfuerit præter novam reflexionem sufficiens advertentia mali gravis tempore, quo commisit.

75. Cæterùm, siquis ex prædicto Catalogo peccatorum, ad evi-

evitandam nimiam prolixitatem summariè solùm & succinctè posito, nihilominus in uno alteróve casu particulari satis se juvare non posset, Confessarii, aut Directoris sui spiritualis consilium desuper imploret, consultum & necesse est.



CAPUT VIII.

De Communibus, & quotidianis Operibus in genere.

1.

POstquam in præcedentibus quinque Capitibus ad longum docti estis Charissimi Tyrones Religiosi! declinare à malo, seu peccato, id est, delere, & extinguere peccata jam commissa, eáque imposterum super omne aliud malum timere, ac declinare; jam docebimini facere bonum, juxta ordinem à Spiritu Sancto præscriptum *Psalm. 36. v. 27. Declina à malo, & fac bonum.* & *Isaiæ cap. 1. v. 17. Discite bene facere.* Quod pluribus exprimit S. Paulus *Rom. 6. v. 13. Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ Deo.* & *v. 19. sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Et *ad Ephes. 4. v. 23.* & *24. Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Quia minus est, mala non agere* (inquit S. Gregorius *Hom. 13. in Evangel.*) *nisi etiam quisque studeat & bonis operibus insudare.* Nec sufficit vivere in Religione, nisi in Religione bene vivatur.

2. Quod ut meliùs, & faciliùs procedat, à facilioribus incipiemus, tradendô in præsenti Capite doctrinam, & praxin cuncta opera, & actiones, præsertim verò communes, & ordinarias quotidianas perfectè, & prout Deo maximè placet, peragendi.

3. Quamvis enim ratio ordinis

nis aliàs exigeret, ut priùs de perfectione Religiosa, & de obligatione, motivis, & mediis ad eam tendendi ageretur; tamen pro utilitate vestra de expressis in rubrica, seu titulo hujus Capitis agemus: tum, ut à facilioribus ad difficiliora gradatim ascendatis: tum, ut maturè sciatis, quomodo quasvis actiones, & opera, præsertim quotidiana, perfectè, ritéque peragere debeatis, ne aliàs in ijs, quæ quotidie, ac continuò agere debetis, imperfecti, ac defectuosi inveniamini, &, donec illa perfectè agere discatis, malè, & imperfectè agendi habitum etiam in Religione contrahatis, vel contractum magis radicetis, indéque difficultatem augeatis, eum corrigendi, & extirpandi: tum etiam, quia plurimùm refert, quotidianas actiones ordinarias ritè peragere; cùm in perfecta earum persolutione potissima pars perfectionis, imò juxta aliquos tota quasi perfectio nostra consistat.

4. Quoniam verò actiones, & opera nobis incumbentia ordinaria & quotidiana diversa sunt, & valde multa, ita, ut de omnibus & singulis in specie disserere, utilis, & necessaria brevitas non admittat, hinc in præsenti Capite & sequentibus tribus agetur de quovis opere in genere ritè peragendo: in subsequentibus deih agetur de quibusdam ordinarijs, & quotidianis actionibus, seu exercitiis Religiosis in specie.

§. I.

De Præstantia, & Utilitate Communia, & quotidiana Opera, & Exercitia Religiosa in genere perfectè peragendi.

5. QUæritur I. Quantùm interfit, communia & quotidiana opera ritè, & perfectè peragere? Pro faciliùs, & meliùs capienda resolutione hujus Quæsiti, sicut & pro necessaria compendiosa saltem aliqua cognitione Dei, & Perfectionis Religiosæ, priùs sciendum, & bene notandum est, quòd (juxta dicenda *in Parte posteriore*) Perfectio Religiosa, ad quam tendere tenemur, consistat in perfecta, & constanti tam interna, quàm externa executione voluntatis Divinæ quoad omnia, seu

ſeu in perfecta conformitate hominis interni, & externi cum voluntate Divina, ſive potiùs in habitu ex amore erga Deum illud omne, & ſolum volendi, & nolendi, deſiderandi, & averſandi, agendi, omittendi, & patiendi, quod vult Deus, quomodo vult, & quia vult, ita, ut internè quis nil aliud velit, nil amet, vel deſideret, & externè nil aliud agat, quàm quod Deus vult, & quod placet Deo, nec quidquam odiô habeat, timeat, averſetur, & externè fugiat, declinet, vel omittat, quàm quod Deo diſplicet, & contra ſanctiſſimam ejus voluntatem eſt; conſequenter perfectus Religioſus, quoad hominem internum unius mentis, unius voluntatis, & ſpiritûs cum Deo ſit: quoad externum verò hominem, in omnibus internò conformiter agat, operetur, & appareat, ídque omne ex amore, & reſpectu erga ipſum Deum, ob beneplacitum, honorem, & gloriam ipſius, utpote digniſſimi, ut ab omnibus, & in omnibus ametur, honorificetur, glorificetur, eíque perfectè ſerviatur, ejusdem ſanctiſſima, ſapientiſſima, utiliſſima, ter optima voluntas, & Divinum beneplacitum in omnibus exactè adimpleatur, adeò, ut, ſi quis interrogaretur, *quare hoc, aut illud amas, vel deſideras, agis, aut pateris?* ex ſincero corde, & vero animo reſpondere poſſet: *quia Deus vult;* vel, *quia Deo placet; quia cedit ad Dei gloriam, laudem, & honorem &c.* Et, ſi ulteriùs interrogaretur: *quare autem ita vis, & deſideras ſolè placere Deo, ejúsque ſolam cupis, intendis, & quæris gloriam, laudem, & honorem, ac beneplacitum?* ſincerè reſponderet: *quia illum ſolum ſummopere, & quidem ſuper omnia diligo.* Et, ſi rurſus fieret interrogatio: *ſed quare illum ſolum tantopere amas, & ex amore illius deſideras, ac quæris honorem illius, gloriam, & beneplacitum?* reſponderet: *quia ſolus omni amore, laude, gloria, & ſervitio digniſſimus eſt, & infinitè meretur, ut ab omnibus, in omnibus, & per omnia, & ſuper omnia, præſertim à me ametur, honoretur, laudetur, glorificetur, eique perfectè ſerviatur.*

6. Enimvero (ut breviſſimè tantùm aliquid pro aliquali Dei cognitione dicamus) fide certum eſt; quòd Deus ſit bonum infinitum, quo majus, aut melius eſſe, vel excogitari non poteſt, omne aliud bonum, omnéque amabile, & æſtimabile

totius universi, tam possibile, quàm actu existens, eminentissimo, ac infinitò modò in se continens, & superans, à quo omnia, in quo omnia, per quem, & propter quem omnia. Intuitu, & consideratione cujus sanctus Pater noster Franciscus per integram noctem continuò, & aliàs sæpissimè spiritu, amoréque plenus exclamavit: *Deus meus, & omnia! Deus meus, & omnia!*

7. Est insuper ab æterno, & in æternum existens ter optimus maximus, omnipotens Dominus Deus, Creator, & Conservator totius universi, sapientissimus, ac providentissimus Gubernator, Rector, & Director cœli, & terræ, omniúmque creaturarum; æquissimus, ac justissimus Legislator, & Judex noster; clementissimus, & benignissimus Miserator; mirabilis omnium, præsertim suorum Custos, Defensor, & Protector; largissimus, & æternus omnium, etiam minimorum Retributor; immensa, & incomprehensibilis Majestas, in qua jugiter vivimus, movemur, & sumus &c.

8. Hic ipse tantus Deus est præterea summus, imò infinitus, indicibilis, inexplicabilis, incessabilis, ac intensissimus Amator, Fautor, & continuus Benefactor noster, infinitô desideriô flagrans, omni nos bonô implendi, & ab omni malo nos eruendi, ac custodiendi; prout etiam omni momentô innumera corporis, & animæ, temporalia, & spiritualia beneficia nobis confert, & ab innumeris omnis generis malis nos præservat, intensissimè cupiens, nos adhuc pluribûs, & majoribûs donis, & beneficiis, prosperitate, & felicitate, hic, & in æternum replere (dummodo incapaces nos ipsos non reddamus) ac econtra à quovis, præsertim æterno malo nos liberare.

9. Unde etiam ex infinito erga nos amore æstuans, ut nos (qui per peccatum Adæ omnes eramus æternæ mortis rei) ab æterna damnatione eriperet, simúlque æterna felicitate cœlesti bearet, etiam miseram naturam nostram assumpsit, factus est homo, & pro nobis, amoréque nostri acerbissima tormenta, intensissimos dolores, ludibria, contemptus, & irrisiones sustinuit, mortémque turpissimam, & dolorosissimâ, crucis nempe obiit.

10. Nec hic quiescit infinitus illius erga nos amor, sed (quod stupen-

stupendū est) dum his omnibus non obstantibus, tantum Deum, tantúmque nostri Amatorem, & Benefactorem quotidie offendimus, continuisq; injuriis iniquissimè afficimus, & locò amoris reciproci odium, locò honoris, servitii, & obedientiæ debitæ contemptum, ac rebellionem rependimus, ita, ut non rarò tota quasi vita nostra à potiori sit mera illius offensa, injuria, atque in opere, & effectu vilipensio, ac contemptus illius, ipse non cessat, sed continuat nos amare, & millies parcens nobis, locò æternæ damnationis toties promeritæ, continuis beneficiis nos cumulat, omnibúsque viis, mediis, & modis ab æterno interitu eripere, & ad se, suíque amorem, ac æternam felicitatem trahere, continuò amantissimè satagit; etsi ipse, ejúsque æterna gloria, & felicitas à nobis minimè dependeat, utpote, cùm absque nobis, & nobis æternùm damnatis, de præsenti sit, ac in æternum foret idem, qualis ab æterno fuit, infinitus, ac felicissimus Deus; nos econtra omni momentô ab ipso in omnibus dependeamus, simúlque ex natura miserrimæ, vilissimæ, minimo amore, & favore tanti Dei indignissimæ, atque ob peccata nostra locò amoris, & favoris æternum odium, æternásque, & omnes temporales pœnas sæpissimè promeritæ creaturæ simus.

11. Quis isthæc de præfatis attributis Dei, tantóque illius erga nos amore cognoscens, & considerans non æstimet, & amet illum? quis non ex amore erga eundem omnem laudem, honorem, & servitium semper, & in omnibus juxta sanctissimam, & sapientissimam ejus voluntatem exhibeat ei? quis aliud desideret, aut in quo alio lætetur, quietus, & contentus vivat, quàm quòd talis, ac tantus Deus semper, & ubique, in omnibus, & per omnia ametur, glorificetur, laudetur, eíque perfectè serviatur; præsertim si etiam perpendimus, quòd amor, honor, servitia &c. à nobis eidem exhibita, in nosipsos quoque, nostram temporalem, & æternam felicitatem ex infinita ejus bonitate redundent.

12. Hinc Charissimi! ut voluntatem nostram ad Dei amorem faciliùs & meliùs moveamus, & ut ex amore erga illum, in omnibus ejus sanctissimam volun-

voluntatem exactè faciamus, solúmque illius beneplacitum, gloriam, & honorem intendamus, & quæramus, ac propter ipsum cuncta perfectè agamus, summè conducit, imò necesse est, de Attributis, & Perfectionibus Divinis, ejúsque erga nos infinito Amore, & Bonitate sæpius cogitare, ac meditari, ut successivè ad majorem illius cognitionem, indéque ad majorem amorem veniamus; quia *nil volitum, quin præcognitum.*

13. Verùm, quantumvis fides amandissimum Deum nostrum infinitè bonum, & amabilem, omníque amore, honore, & servitio dignissimum nobis exhibeat, adeò, ut quis illum, prout juxta fidem est, considerans, spectata ratione non possit non amare, laudare, & honorare, atque ex amore illi servire, ejusdémque sanctissimam voluntatem in omnibus adimplere; natura tamen nostra per peccatum Adæ adeò fuit inversa, & facta perversa, ut omnes ferme illius appetitus, passiones, & inclinationes sint sanctissimæ voluntati, amoríque Divino è diametro contrariæ, ita, ut ferè omne illud, quòd sanctissima Dei voluntas à nobis exigit, eíque placet, natura nostra perversa juxta suam naturalem passionem aversetur, & fugiat: econtra, quod sanctissima Dei voluntas nobis prohibet, eíque summè displicet, natura nostra perversa juxta suam naturalem inclinationem appetat, & desideret, ut proin omnis, qui Deum verè amare, & honorare, eíque (prout tenetur) ex amore perfectè servire, & sanctissimam voluntatem ipsius in omnibus exactè implere, consequenter ad perfectionem *num. 6.* aliqualiter descriptam pervenire vult, debeat quasi continuò contra perversam suam naturam, ac inordinatas passiones, & inclinationes ejus certare, pugnare, ac sibimet ipsi vim inferre agendô, & patiendô propter Deum illud, quod perversæ naturæ adversum, contrarium, difficile, ac odiosum est, ac omittere illud, quod eidem arrideret, acceptúmque foret.

14. Quod certamen spirituale tam diu continuare debet, donec malas, & inordinatas naturæ passiones, ac inclinationes totaliter extirpet, vel ita saltem sedet, & corrigat, ut Divinæ voluntati, ac rationi tam rebelles, & contrariæ

trariæ non ampliùs existant, quin faciliter vincantur, & cedant, si data occasione quandoque se adhuc insinuant.

15. Et in hoc certamine spirituali, in hac inordinatarum passionum, & inclinationum nostrarum extirpatione, in hac perversæ naturæ nostræ, ac interni hominis correctione, & reformatione potissimus labor, cura, & solicitudo nostra consistere debet; tum, quia hoc Deus à nobis maximè desiderat, eíque summè gratum, & acceptum, nobísque summè meritorium est, adeò, ut quis per certamen spirituale, curam, & laborem, quo cunctas suas inordinatas passiones eradicare sedulò satagit, Deo majus, & gratius præstet obsequium, majúsque obtineat meritum, quàm si unâ, aut pluribûs inordinatîs passionibûs sinè cura habitîs, quotidie flagellîs usque ad sanguinem voluntariè se cæderet, & jejuniîs, aliísque corporis afflictionibûs, & mortificationibûs rigidissimos aliquos Eremitas superaret; vel plura animarum millia converteret, hoc ipso, quòd illud magìs, quàm istud à nobis exigat Deus; prout ampliùs infra: tum, quia, nisi passiones nostræ inordinatæ extirpentur, vel sufficienter domentur, & econtra boni habitus, ac virtutes internæ solidè implantentur, ac firmentur, consequenter homo internus bene constituatur, externa quæque, vel imperfecta, vel non diu sunt duratura, sícq; omnis labor frustraneus, & homo in periculoso statu erit, nec à longè Perfectionem assequetur; prout ampliùs *in Parte posteriore* dicetur, simúlque docebitur modus, & praxis, malas passiones & vitia, pravósque habitus, & consuetudines faciliter, & perfectè extirpandi, ac econtra implantandi habitus eis contrarios, & virtuosos.

16. Et hæc modica de Perfectione Religiosa, cognitione Divina, & certamine, seu pugna spirituali summè meritoria, & semper necessaria, breviter, & obiten interim, ac quasi per parenthesiit tradere, ac præmittere oportuit quia summaria saltem, & compendiosa illorum notitia ad intelligentiam præsentis, & sequentium Capitum, nec non ad alia scitu jugiter necessaria est. Hac igitur supposita pergimus modò ad prosecutionem Rubricæ, seu tituli hujus materiæ, & quidem

ad resolutionem quæsiti *num. 5.* positi.

17. Resp. Plurimùm refert, Deóque gratissimum, summéque meritorium est, cuncta, quæ agimus, non tantùm magna, sive ardua, sed etiam parva, imò minima, præsertim verò communia, ac quotidiana opera perfectè, & exactè peragere. Ita unanimis sensus SS. Patrum, Theologorum, & Ascetarum. Ratio est; quia in hoc potissima Perfectionis pars, imò in aliquo sensu tota quasi Perfectio consistit: cùm enim juxta dicta, Perfectio Religiosa consistat in perfecta executione voluntatis Divinæ; seu, ut omne, & solum velimus, & agamus, quod vult DEUS, quomodo vult, & quia vult; planè perfectus erit ille, qui, quidquid agit, perfectè agit; hoc ipso, quòd perfectè agere quodvis opus, inter alia requirat, ut semper illud, & nunquam aliud agat, quàm quod hîc, & nunc vult Deus, quomodo vult, & quia vult.

18. Nec desunt perfectè operanti virtutes, & mortificationes internæ; cùm enim perfectè cuncta operari, ordinariè contrarium, & adversum sit naturæ nostræ perversæ, inordinatísque passionibus, & inclinationibus nostris, sæpissimè, imò quasi continuò se mortificare, sibíque, & perversæ suæ naturæ vim inferre, ac contra passiones pugnare, consequenter plurimas virtutes internas exercere debet, qui omne, quod agit, perfectè agere vult. Opus námque perfectum, etiam bonam, perfectámque voluntatem internam, perfectum modum, perfectúmque finem partim supponit, partim includit; ut proin ex operibus, & actibus externis, internum hominem facilè cognoscamus, docente ipsomet Christo *Matth. 7. v. 20. Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

19. Hinc Spiritus S. *Eccli. 33. v. 23.* hortatur, & præcipit: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Ad perfectè agendum, quidquid agimus, etiam exemplô suô, promissîs, & minîs, variè nos inducit amandissimus DEUS: exemplô quidē, postquam enim fecit cœlum, & terram, & ea, quæ in eis sunt, consideravit, *viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. v. fin.* de Christo etiam *Marci 7. v. 37.* dicitur: *Bene omnia fecit.* Ubi nota ly *bene*, & *omnia*

omnia, id est: *perfectè*, & quidem *omnia*.

20. Promissis etiam inducit; nam David, licèt multa & varia à Deo sibi revelata habuerit, tamen inter hæc duo præcipuè sibi notavit, & nos notare debemus; videlicet quòd, sicut Deus ex Omnipotentia sua potest, & ex infinita Bonitate, ac Misericordia sua vult, ita certissimè in re, & effectu cuique dona, gratias, & mercedem hîc, & in altera vita largiturus, & redditurus sit *juxta opera sua*; prout nempe quis malè vel bene, perfectè vel imperfectè egerit. Sic enim ait *Psalm. 61. v. 12. & 13. Semel locutus est Deus: duo hæc audivi; quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua:* etsi nemo hominum opera sciverit, vel audiêrit; quia Deus, *Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Matth. 6. v. 4.*

21. Minîs quoque expressè, etiam sub maledictione, & quidem universali, consequenter valde timendâ intentat, negligenter, & imperfectè agentibus opera sua: nam *Jeremiæ 48. v. 10.* dicit Spiritus S. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter;* seu, ùt alii loquuntur, *negligenter*, id est, obiter, imperfectè, & defectuosè; quamvìs enim hic textus de oratione, & aliis actibus virtutis Religionis specialiter intelligatur, tamen etiam de aliis Religiosi operibus intelligendus venit; est enim, vel saltem debet esse quodvis opus Religiosi opus Domini, hoc ipso, quòd se totum mancipaverit servitio Divino, & in eo existens nil aliud, quàm quod vult ejus Dominus, agere debeat, consequenter omne, quod agit, opus Domini sit; unde de quovis, quod negligenter agit, maledictionem timere debet. Nec immeritò; quia, qui opus Domini negligenter, & imperfectè agit, plùs displicet Deo, quàm placet, eúmque potiùs offendit, quàm honorat; proinde non tam mercedem, quàm pœnam, & maledictionem meretur. Hinc non sufficit facere, *quod Deus vult*, sed etiam, *quomodo vult:* exactè nempe, & perfectè; quia, ùt S. Ephrem *tom. 3. Serm. de pœnit.* ait: *Non ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis, & non intuetur, quod fit, sed quò quid studiò, & propensione peragatur.*

22. Dicitur autem notanter in responsione, *non tantùm magna, sed*

sed etiam parva, imò minima: quia, qui in parvis est imperfectus, defectuosus, & negligens, etiam talis in magnis erit, teste æterna Veritate *Luc. 16. v. 10. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Hinc idem Salvator noster, servum in paucis, & minutis fidelem, super multa constituit *Matth. 25. v. 23. Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.* Dum econtra in paucis, & minutis infidelem totaliter abjicit, &etiam modicum, quod ei commisit, aufert ab eo; ùt patet ex illo *Luc. 19. v. 16.* ubi mna illa, quam quis unicam habuit, sed cum ea debitè operari neglexit, eidem ablata, & illi collata fuit, qui decem mnas habuit. Unde, qui verè amat, & *timet Deum,* ait Ecclesiastes *c. 7. v. 19. nihil negligit.*

23. Accedit, quòd Deus etiam minima perfectè facta, maximi faciat, respiciat, & remuneretur: *Mos enim,* ait S. Chrysostomus *Homil. 25. in Gen. Divinæ misericordiæ est, ut, si nos tenuia quadam & vilia obtulerimus, multa liberalitate nos remuneret.* Et *Homil. 38. ad Populum: Omnia facit* Deus, *& satagit, ut ex minimis te coronet.* Hinc bene ait S. Basilius Constant. *lib. de vita solitaria. cap. 24. Decet Religiosum, etiam viliora opera cum multa diligentia & animi promptitudine amplecti, scientem, non esse exigui, sed magni momenti, & spirituale, cœloque dignum, & cœlestem mercedem nobis adferre.* Siquidem non raró contingit, quòd à minimo aliquo opere, bene, vel malè peracto, consecutivè dependeat hominis salus; dum nempe ad illud bene peractum quis consequitur certam gratiam, qua mediante aliud agit, aliámque, & forsan majorem obtinet gratiam, qua firmatus adhuc perfectiùs pergit, & feliciter consummat: dum econtra, si illud primum minimum opus neglexisset, aut malè egisset, aliæ gratiæ emansissent, & illis deficientibus forsan peccata concatenata subsecuta fuissent.

24. Dicitur ulteriùs in Responsione *num. 5.* data: *Præsertim verò communia, ac quotidiana:* quia in perfecta observatione, ac persolutione actionum, ac operum communium quotidianorum, seu ordinariorum v. g. Horarum Canonicarum, & aliarum orationum à Statutis præscri-

ſcriptarum, ſilentii, Chori, meditationis, & recollectionis, examinis generalis, & particularis, auditionis, vel lectionis Miſſæ, Confeſſionis & Communionis, ſtudii literalis, vel alterius laboris, Ceremoniarum, externæ diſciplinæ, & civilitatis Religioſæ, ac compoſitionis corporis, & membrorum, ex Regula, Statutis, conſuetudine Religionis, aut præcepto, vel præſcripto Superiorum nobis incumbentis, & in exacta obſervatione aliorum à Statutis præſcriptorum, etiam minimorum, conſiſtit Perfectio Religioſi, prout bene obſervant celeberrimi Aſcetæ poſt S. Bonaventuram *in Specul. Diſcipl. p. 2. c. 2.* expreſsè dicentem: ***Optima Religioſi Perfectio eſt, perfectè communia quæque conventualia obſervare.*** Ratio eſt; quia, cùm juxta dicta, & dicenda adhuc, in ordine ad perfectionem nil referat, quid agamus, ſed ut id agamus, quod Deus vult, ídque perfectè: Deus autem certiſſimè velit, ut actiones, opera, & exercitia communia Religionis, utpote ex virtute obedientiæ, indéque ex certa voluntate Divina nobis incumbentia agamus; conſequens eſt, illum in Religione perfectè vivere, qui actiones, exercitia, & opera Religionis communia, quotidiana, vel ordinaria, perfectè, atque exactè obſervat, & perſolvit.

25. Accedit, quòd Deus etiam ſingularem habeat complacentiam in communibus Religionis operibus, eíſque providè aſſiſtat, ſua dona, & gratias ob ea largè tribuat; non tantùm, quia ex obedientia, conſequenter juxta voluntatem ejusdem fiunt, ſed etiam, quia in communione unita, & ordinata charitate, ac concordia, qua magnopere delectatur, peraguntur, indéque mutua perfectione intenduntur, & contingentes ſubinde defectus unius, vel alterius, perfectione, & virtute aliorum ſuô modô ſupplentur. Suam complacentiam Divinam in communibus, ac unitis operibus manifeſtaturus Chriſtus *Matth. 18. v. 20.* dicit: ***Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.***

26. Concors eſt SS. Patrum Doctrina, quodvis etiam minimum opus, ſeu actionem communem Religionis, Deo magìs placere, majúsque meritum cauſare, quàm privatum, etſi cœteroquin bonum, ita, ut, ſi inter duos, unus propterea, quòd ex

privata devotione v. g. jejunet, media nocte ad laudem Divinam surgat, meditetur, oret &c. duos gradus meriti obtineret, Deóque ùt duo placeret; alter, qui simile quid ex obedientia præstaret, tres vel quatuor gradus haberet: si verò etiam in Communitate id faceret, plures adhuc gradus meriti compararet, Deóque ùt sex, vel octo certissimè placeret: econtra, si incumbens sibi opus obedientiæ commune, ob privatum aliquod cœteroquin bonum, & ex se excellentius opus omnino omitteret, non tam bene, quàm malè ageret, & pœnam potiùs, quàm mercedem coram Deo mereretur.

27. Colligetis *primò* Charissimi! quòd, cùm perfecta observantia, & persolutio operum, exercitiorum, & actionum communium quotidianarum, seu ordinariarum Deo summè placeat, ingens meritum, & copiosam Dei benedictionem obtineat, & ùt plurimùm Religiosi perfectionem importet, eam utique maximi æstimare, sinè urgenti causa nunquam negligere, sed semper perfectè observare, & persolvere, privatísque operibus, aut devotionibus vestris longè anteponere debeatis.

28. Colligetis *secundò*: quàm malè sibi consulant illi, qui communia, & ordinaria opera parvi æstimantes, ex levi, vel nulla causa subterfugiunt, negligunt, vel non nisi ex tepida consuetudine, & coactè, aut aliàs imperfectè observant, ac perficiunt.

29. Colligetis *tertiò*: quantùm errent, & decipiantur illi, qui sua privata, vel peculiaria opera, vel devotiones magìs æstimant, & curant, quàm communia, & hæc propter illa omittunt, vel perfunctoriè absolvunt.

30. Colligetis *quartò*: quàm facile sit Religioso ad perfectionem venire, si velit; cùm enim juxta dicta ad eam non requiratur, ut multa extraordinaria, & ardua opera peragat, vel rigidas austeritates exerceat, in solo pane, & aqua v. g. vivat, catenis ferreis se cruentet, & raptus, extasin, vel revelationes cœlestes habeat; sed tantùm, ut actiones, & exercitia, ac opera communia, & ordinaria quæque Religionis perfectè observet, & persolvat. Certè nullus habet, quòd de difficultate conqueratur.

31. Multi sunt in mundo, qui liben-

libentissimè, & omni fervore debitæ perfectioni studerent, dummodo scirent, quid, & quomodo agere deberent: sed prô dolor! eis contingit, quod lamentatur Propheta Jeremias *Thren. 4 v. 4. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui eis frangeret.* Religiosi econtra ter felices, omnî quasi momentô sciunt, vel scire possunt, quid, & quomodò agere debeant, cùm ferè omnia, eáque plerumque non nisi communia, & facilia, ex certa, & clara obedientia peragere debeant: quibus proin Deus meritò illud, quod Israëlitis *Deut. 30. v. 11. & seqq.* dicere potest: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, ut possis dicere: quis nostrùm valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, & audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, ut causeris, & dicas, quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire, & facere, quod præceptum est? sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

32. Quæritur II. Quantæ utilitatis sit, respectu juniorum præsertim Religiosorum, communia & quotidiana opera exactè persolvere? Resp. Quamvìs (utì ex dictis patet) respectu omnium Religiosorum plurimùm referat, cuncta opera, præsertim communia, & quotidiana perfectè, & exactè persolvere, attamen id respectu Novitiorum, & aliorum Juvenum Religiosorum, specialissimè, & omnium maximè refert, eísque summè utile, ac necessarium est. Ratio est; quia, qui in juventute, seu primis annis Religionis non exactè, & perfectè, sed tepidè, obiter, & ex mera consuetudine, vel aliàs imperfectè, ac defectuosè sua opera, præsertim communia peragere assuescunt, ordinariè taliter etiam per reliquum vitæ tempus pergunt, &, si non graviter malam, saltem tepidam, & hoc ipso miseram vitam maximo cum periculo salutis æternæ ducunt; dum econtra, qui bene, exactè, & perfectè cuncta sua exercitia, actiones, & opera observare, & peragere satagunt, & assuescunt, atque ita perfectè operandi, agendíque sanctam consuetudinem, & habitum primìs statim annìs generant, in eodem facillimè, & felicissimè pergunt, ac plerumque perseverant. Divinum siquidem

praxin imperfectos, & defectuosos vos agnoscitis, perfecti quoad utrumque evadatis.

34. Ad hoc præter memorata vos moveat, quòd modò opportunissimum tempus, optatissimam occasionem, omnis generis media, & auxilia, ipsámque naturam, ad omne bonum adhuc flexibilem, utpote juvenem habeatis, quæ si culpabiliter negligitis, nullam sanè spem veræ emendationis, conversionis, & profectus vestri relinquitis. Enimvero Charissimi! si in Novitiatu, vel primis annis, in quibus à labore, negotio, cura, & solicitudine immunes, pro acquirenda perfecta notitia, & praxi Ascetica, in solo studio virtutum, & perfectionis toti occupati esse potestis, & debetis, hoc negligitis, profectò nulla, vel exigua spes apparet, quòd id præstetis, dum literarum studiô, Confessionalî, Concionibûs, aut aliîs obedientiæ muneribûs, curîs, aut negotiîs necessariò distracti, & occupati eritis; si defacto, ubi quotidianâ Magistri, ac Superiorum curâ, vigilantiâ, consiliîs, auxiliîs, adhortationibûs, & admonitionibûs ad omne bonum juvamini, perfectè in cunctis operari, & agere non discitis, & assuescitis, quid erit, quando mediîs destituti, & extra majorem Superiorum curam positi, solis vobismetipsis relicti manetis? si in his annis, quibûs natura adhuc ad omne bonum flexibilis, nullîs fortè, vel nisi tenerîs, & facilè movibilibûs habitibûs pravîs imbuta existit, hos extirpare, & bonos implantare, naturámque domare, & ad bona quæque assuescere negligitis, quid fiet, dum natura magis indurata, diuturnîs, & altè radicatis malis habitibûs, & passionibûs obfirmata existit? Certè nil boni sperandum, sed potiùs, si non graviter mala, saltem tepida, atque hoc ipso misera, ac periculosissima vita timenda; cùm Religiosi vita tepida sit periculô salutis plena, & abominatio coram Deo, ut proin à primis Religiosi cujuscunque annis vita ejus subsequens, profectus, & defectus, salus, vel perditio ordinariè desumi valeat.

35. Eja igitur dilectissimi! audite D. Paulum seriò adhortantem, & monentem *Galat. 6. v. 10.* *Dum tempus habemus, operemur bonum.* & *2. Corinth. 6. v. 1. & seqq.* In visceribus JESU Christi *adjuvan-*

tes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; id eſt, ne ſanctiſſimum, & aureum iſtud, pro ſolo virtutum, & perfectionis ſtudio deputatum, & vobis conceſſum tempus (quod eſt maxima gratia extrinſeca) negligatis; *ait enim* Dominus: *Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te; ecce! nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis; nox* ſæculi *præceſſit, dies autem* ſanctiſſimæ Religionis *appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum*, opera imperfecta, defectuoſa &c. *& induamur arma,* ſeu opera *lucis, ſicut in die honeſtè*, & perfectè *ambulemus. ad Rom. 13. v. 12. & 13. æmulamini* in cunctis *charifmata meliora. 1. Corinth. 12. v. 31.*

36. Et quoniam nullum videtur dubium, quin ex dictis quivis veſtrûm ad omne bonum heroicè, & ferventer ſe jam reſolverit, & adhuc magis, ac efficaciùs reſoluturus ſit, indéque tantùm ſcire deſideret, quomodo cuncta perfectè agere valeat, ſubjungitur ſequens Paragraphus, quo examinabitur, quid ſit, omne opus perfectè agere, & quæ ad id requirantur; infra *Cap. XI.* verò etiam de mediis differemus.

37. Interea etiam, antequam alia, & aliter quivis addiſcat, ſancto ſuo deſiderio, & obligationi facillimè ſatisfacere, perfectè in cunctis operari, ipſíque Deo perfectè placere poterit, dummodo interim obſervet ſequentia duo principia.

38. *Primò*: ut omnia, etiam minima, præſertim communia, & ordinaria, quæ ex obedientia, vel aliunde certò ſcit, quòd, & quomodo ea velit habere Deus, perfectè agat.

39. *Secundò:* ut ea, ad quæ perfectè agendi ſufficientem notitiam, & praxin nondum habet, paratus ſit pro viribus addiſcere, & habitâ ſufficienti notitiâ, perfectam illam agendi praxin aſſumere. Interim autem tam perfectè agat, quantum ſcit, & poteſt: ac taliter, qualiter ſcit, vel putat eſſe melius, magíſque placere Deo, etiamſi à parte rei ſeu materialiter erret: tum, quia Deus à nemine plus requirit, quàm quis ſcit, & poteſt: tum, quia, ſi quis non ex craſſa, ſupina, aut aliàs ex culpabili ignorantia, vel negligentia, ſed inculpabili bona fide erret, agendô aliquid, quod à parte rei malum eſt, vel bonum talì modô, qui aliàs à parte rei imperfectus, vel etiam pec-

peccaminosus est, nihilominus Deo perfectè placet, ac formaliter perfectè agit, si ex dicta inculpabili bona fide putat id, & quidem taliter placere Deo; quia prima nostra lex, & regula, juxta quam Deus nos operari vult, operantésque judicat, est dictamen conscientiæ nostræ.

40. Ex quibus patet, quemvis etiam pro nunc (si velit) perfectè vivere, Deóque perfectè servire, & placere posse. Patet insuper, longè facilius esse Deo, quàm mundo, aut hominibus servire; quia Deus omnia occulta, & secreta intuens, perfectè cognoscit, quid, & quomodo quivis sciat, & possit agere; item, qualiter, qua diligentia, qua mente, ac intentione quis agat: & contentissimus est, atque æternùm muneratur, si homo, quantum scit, & potest, ac taliter agat, qualiter scit, & putat placere DEO, etsi à parte rei quid materialiter malum, vel bonum malè fieret: dum econtra homines, qui interna ignorant, & plerumque vires aliorum non agnoscunt, ac insuper non sciunt, quæ, & quantâ diligentiâ, curâ, & labore, ipsis absentibus fiant, malè contenti sunt, suspicantur, indignantur, & malè se exhibent erga sibi servientes, si res ad votum non succedat, aut error contingat, etsi absque omni culpa agentis eveniat.

§. II.

De necessario requisitis ad perfectè operandum: præsertim verò de Statu Gratiæ, prævia cognitione, & advertentia Boni.

41. PRævie advertendum est pro doctrina fundamentali, quodlibet opus perfectè agere, esse semper omne & solum id agere, quod vult Deus, quomodo vult, & quia vult. Patet responsio ex dictis *num. 5.* & adhuc magis patebit ex dicendis in *Parte poster.* Jam

42. Quæritur I. Quæ requirantur ad quodvis opus perfectè peragendum? Ante Responsionem nota, aliud esse quærere de necessariò, & absolutè requisitis, aliud de mediis conducentibus, & quasi necessariis ad perfectè quodl-

quodvis opus agendum. Prius de absolutè, & necessariò requisitis, postea de mediis agemus; hoc notato Resp. Ad hoc, ut opus aliquod, quodcunque tandem, perfectè fiat, sequentia quatuor absolutè necessariò requiruntur, videlicet: I. Status gratiæ. II. Practica cognitio, & advertentia boni. III. Bona intentio, seu bonus finis. IV. Debitus modus operandi: de quorum duobus prioribus in præsenti, de aliis verò in sequentibus Capitibus agemus.

43. Quæritur II. Quid sit Status gratiæ, & qualiter requiratur ad perfectè operandum. Resp. I. Status gratiæ est; seu tunc dicitur homo esse in statu gratiæ, quando habet gratiam habitualem, seu sanctificantem, seu (quæ sunt synonima) gratum facientem, & per consequens, quando in nullo existit peccato mortali; hoc enim incompatibile est cum gratia sanctificante, ita, ut, ubi hæc est, illud non inveniatur; & econtra, ubi peccatum aliquod mortale est, gratia sanctificans certè absit.

44. Resp. II. Ut opus aliquod fiat, & sit perfectum, necessariò requiritur, quòd operans sit in statu gratiæ, ac sinè peccato mortali. Ita unanimis SS. Patrum, & Theologorum. Ratio est; quia, ut opus aliquod sit, & dicatur perfectum, debet esse condignè meritorium vitæ, & gloriæ æternæ, simúlque placere, & gratum esse DEO: est autem de fide, quòd nullum opus, quantumvis excellens, & in se bonum, sit de condigno meritorium vitæ, & gloriæ æternæ, vel DEO verè gratum, & acceptum, nisi fiat à tali, qui existit in gratia habituali, & caret omnî peccatô mortali, prout magis Theologi; ergo.

45. Imò omnia opera, etiam in se præstantissima v. g. largitio eleemosynæ, jejunium, conversio peccatorum, mortificatio carnis &c. in statu disgratiæ, seu, dum homo est in statu peccati mortalis, facta, sunt, & verè dicuntur mortua, ac sinè merito de condigno; manéntque talia in perpetuum, ita, ut etiam tunc non vivificentur, & meritoria evadant, quando homo per pœnitentiam peccata mortalia delet, & gratiam sanctificantem iterum acquirit: licèt econtra opera bona, in statu gratiæ facta, & postea per peccatum mortale mortificata,

cata, iterum reviviscant, valorémque, & meritum antiquum acquirant, quamprimum homo iterum in gratiam redit, juxta dicta *Cap. III. n. 28.* & ampliùs dicetur in Theologia. Interea

46. Colliges I. Eum, qui Deo placere, eique perfecta exhibere opera, & grata præstare cupit obsequia, debere ante omnia, & absque ulla dilatione pro viribus conari, ut per Confessionem, vel saltem perfectam contritionem veniat in statum gratiæ, si, quod Deus avertat, sciat, aut prudenter dubitet, se unius, aut plurium peccatorum mortalium esse reum, & consequenter non esse in statu gratiæ.

47. Colliges II. Valde bonum esse, & pro majori securitate servire, nostris, saltem majoris momenti, operibus contritionem de cunctis peccatis in genere præmittere, etiam tunc, quando quis nullius peccati mortalis sibi conscius est; eò quòd nemo certò sciat, se esse in statu gratiæ, juxta illud *Ecclesiastis cap. 9. v. 1. Nescit homo, utrum amore, an odiò dignus sit.* Et illud D. Pauli *1. Cor. 4. v. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* quare, ut magis simus certi de gratia Dei, magisque securi de perfectione, & merito operum nostrorum, omnino bonum erit, assuescere, ut ante nostra majoris momenti opera, perfectam contritionem elicere conemur. Hæc siquidem, etiam absque Confessione actuali interim delet quodvis peccatum mortale, & ponit hominem in statu gratiæ. Accedit, quòd talis contritio universalis hominem in gratia sanctificante jam existentem, adhuc magis sanctificet, consequenter faciat, quòd opus subsequens Deo eò magis gratum, & acceptum evadat, quò magis à grata Deo causa promanat.

48. Hanc praxin suadere videtur Spiritus S. docens, quòd etiam justus ante omnia se accuset. *Prov. cap. 18. v. 17.* ibi: *Justus prior est accusator sui.* Eandem praxin exemplô docet Ecclesia Catholica, dum Sacerdotibus, etiam nullius peccati gravis sibi consciis præscribit, ut ante tremendum Missæ Sacrificium, opus utique maximi momenti, de peccatis se accusent, & actum pœnitentiæ eliciant, animô contritô dicendô illud: *Confiteor Deo omnipotenti &c.*

49. Quæritur III. In quo consistat,

sistat, & qualiter requiratur ad perfectè operandum prævia cognitio, & advertentia boni? R. esp. Eam consistere in hoc, quòd penitus nil resolvamus, multò minùs agamus, nisi priùs sciamus, vel saltem putemus, simúlque advertamus, seu recordemur; opus hîc & nunc placere Deo, eúmque velle, & beneplacitum habere, quòd hîc, & nunc fiat: & hoc ad quodvis opus perfectè agendum etiam necessariò requiritur. Ratio est, quia aliàs deest voluntas, & intentio bene operandi, ac Deo placendi, ejúsque voluntatem faciendi; impossibile enim est, aliquid velle, & intendere, quod non scitur, aut cognoscitur: cùm juxta tritum, ac verissimum illud: *Nil volitum, quin præcognitum.* Hinc sicut nullum opus malum, aut peccaminosum est sine cognitione, & advertentia mali, sic nullum opus verè bonum, & Deo placitum erit, nisi cum cognitione, & advertentia boni eliciatur.

50. Quapropter David meditationes suas ùt plurimùm instituit de cognoscenda lege, mandatis, voluntate, ac beneplacito Divinis, meditandô die ac nocte, ut cognosceret, & sciret leges, mandata, & voluntatem Dei, quidnam, & quomodo velit, aut præcipiat Deus: quomodo item juxta legem, & voluntatem Divinam cognitam operari, & ambulare, eíque perfectè placere, & servire valeret, quem amore, & obsequio dignissimum credebat, & semper cognoscebat. Ad quam meditationem de lege Divina bene cognoscenda, & perfectè exequenda, omnes homines spiritu repletus sæpe hortabatur, prout copiosè videre, & legere est in illius Psalmis, præsertim *Psalmo 118.*

51. Dicitur autem notanter in Responsione *num. 49.* data, primò: *vel saltem putemus:* quia, etsi certò non sciamus, vel cognoscamus voluntatem ac beneplacitum Divinum; imò, etsi à parte rei, & materialiter erremus, nihilominus opus DEO acceptum, & perfectum esse poterit, dummodo saltem in conscientia putemus, id vel ita velle Deum, ac placere DEO.

52. Dicitur notanter secundò: *simúlque advertamus, seu recordemur:* quia non sufficit habere cognitionem, & notitiam habitualem, opus aliquod esse bonum, Deó-

que

que acceptum, ita, ut interroganti desuper respondere possemus, utpote cognitionem hanc jam pridem nacti: sed insuper debemus illius habere aliquam actualem, saltem virtualiter durantem advertentiam, ita, ut ad agendum moveamur, quia scimus, cognoscimus, aut putamus, hìc & nunc ita velle Deum, ita placere Deo &c. secus enim verum non erit, quòd tali opere velimus, aut intendamus placere Deo; cùm hìc & nunc id non cognoscamus, nec advertamus. Unde, sicut inadvertentia excusat à malo, & à peccato, quantumvìs opus in se sit gravissimum peccatum, sic econtra inadvertentia boni, quod agimus, facit, quòd coram DEO pro bono non reputetur, hoc ipso, quòd tale illud, hìc & nunc non velimus, nec intendamus, utpote ùt tale, hìc & nunc non cognoscentes, nec advertentes.

53. Circa quod punctum errant, & opera, vel omni bonitate carentia, aut certè non nisi plurimùm imperfecta producunt, qui absque omni prævia consideratione, præcisè ex tepida consuetudine, aut inclinatione, aut impulsu naturali operantur. Et quoniam miser hic, & imperfectus operandi modus valde frequens, & semel in habitum deductus difficiliter mobilis est, ab eo summopere cavendum, & omni solertia vigilandum, ut statim ab initio assuescamus, habitúmque contrahamus, nihil inconsideratè, aut ex tepida consuetudine, impulsu, aut inclinatione naturali, sed cuncta attentè, & consideratè agendi, scientes, & advertentes, ita velle, ita placere Deo, & ex hoc, alióve fine bono, & motivo, quod agimus, agentes.

54. Dicitur notanter tertiò: *Opus hìc, & nunc placere Deo, eúmque velle &c.* quia rursus non sufficit, scire, & cognoscere opus aliquod in se esse bonum, nisi etiam sciamus, & advertamus, illud hìc & nunc velle Deum, aut placere Deo; quantumvìs enim opus in se sit bonum, & sanctum, si tamen Deus non vult, ut hìc & nunc illud, sed aliud faciamus, nequaquam Deo placeret, sed potiùs displiceret, si hoc omisso illud quis faceret; hinc, licèt orare, legere librum spiritualem, meditari &c. sint opera in se bona, tamen coram DEO bona non sunt, si eo tempore fiunt,

fiunt, quo ex voluntate Divina, obedientia &c. quid aliud faciendum, v. g. laborandum, studendum &c. esset.

55. Errant in hoc plurimi, præsertim illi; qui privatas suas devotiones omittere nolunt, etsi sciant, aut scire deberent, inde se impediri ab iis, quæ Deus, obedientia, aut officium ab ipsis requirunt: item, qui easdem devotiones peragunt tempore, quo ex voluntate Divina aliis operibus vacare deberent: vel qui non illud, quod Deo magis placet, sed, quò ipsi magis inclinant, operantur: item, vel maximè illi, qui neglectis propriis aliena negotia assumunt, vel illis ultro se immiscent, aut talibus actionibus, laboribus & curis se occupant, tempus & vires consumunt, quæ nec Deus, nec eorum status, conditio, officium, nec obedientia, nec alia vera virtus ab eis requirit.

56. Hi miseri pertinent ad illud infelix hominum genus, de quibus ille Sapiens aiebat: *Est etiam aliquod genus hominum operosè agentium nihil*; illorum videlicet, qui, licèt nescio, quantum laborent, vires animi, & corporis intendant, curas, & solicitudines habeant, se fatigent, & consumant; attamen prorsus nihil agunt, id est, penitus nullam mercedem, sed pœnam potiùs apud Deum merentur: quia neglectis, vel defectuosè, & imperfectè peractis propriis, ac debitis actionibus, vel negotiis, illud agunt, quod agere ipsorum saltem hìc & nunc non est; seu, quod Deus nec directè, nec indirectè ab ipsis requirit. Profectò, si servus aliquis à Domino temporali ad hoc conductus, ut eidem semper à latere sit paratus ad currendum, & exequendum, quod Dominus pro tempore jusserit, relicto Domino, vaderet ad alienam domum, ibique cum operariis maxima cum sua fatigatione, summáque cum diligentia, & intensione, in continuo vultûs, & corporis sudore, per totum diem frumentum excuteret, fimetô currus oneraret, terram foderet, ligna secaret &c. prorsus nullam laudem, sed vituperium, nec mercedem, sed verbera expectare haberet à Domino, meritò objurgante: serve stulte, & nequam, ad quid te conduxi? quare non facis, quod ego volo, & præcepi tibi? quid ad te ista? &c. Consimiliter

cœlestis Paterfamilias aget cum illis, de quibus *num. praeced.* diximus.

57. Ut proin prorsus nihil inconsideratè resolvere, vel incipere oporteat, nisi quis priùs parùm cogitet, & mente revolvat, aut cognoscat, an, & qua ratione hoc, aut illud, hic & nunc ab ipso exigat, aut velit Deus; an Deo hìc & nunc placeat, an non; cognitáque voluntate, & beneplacitô Divinô advertat, se ad agendum moveri, quia DEUS vult, quia DEO placet.

58. Ubi tamen notandum, quod pro habenda cognitione, an aliquid velit Deus, vel an Deo placeat, considerationi immorandum non sit, sed sufficiat, simpliciter memorem esse, & advertere, velle Deum, vel placere Deo, casu quo absque omni consideratione, & scrutatione, primo statim intuitu certè constat, id velle Deum, placere Deo &c. uti contingit in omnibus iis, quæ ex præcepto Divino, vel Ecclesiastico, vel præscripto Regulæ, & Statutorum, præcepto, vel voluntate Superiorum, consequenter ex obedientia, Deo, Ecclesiæ, & Superioribus debita, nobis incumbunt: cùm enim cuncta obedientiæ opera certissimè velit Deus, eíque absque omni dubio præ omnibus placeant, *Melior est enim obedientia, quàm victima. 1. Reg. 15. v. 22.* urgente obedientia utique scrutandum, & disputandum non est, an placeat Deo, sed hoc, tanquam certò supposito, illico intentio formanda, & opus promptè inchoandum, ac exactè persolvendum est.

59. Et in hoc valde felices sunt Religiosi, utpote qui ferè cuncta, quæ agunt, vel ex præscripto, aut dispositione, ordinatione, aut præcepto Regulæ, Statutorum, Superiorum, sícque ex obedientia agunt; enimvero ex obedientia certo tempore, certóque modo orant, Chorum frequentant, aut psallunt, audiunt, vel legunt Missam, student, legunt, laborant, vigilant, jejunant, silentium servant, confitentur, dormiunt, surgunt, & innumera alia, ex mera obedientia, etiam tempus, modum, & alias circumstantias plerumque præscribente, faciunt, consequenter ferè in omnibus quoad substantiam, & modum de voluntate & beneplacito Divino, indéque magno, ac plerumque duplici merito,

merito, absque alia indagatione certissimi sunt, adeò, ut tantùm attendere habeant, quatenus sua quæque ex obedientia, Deóque placendi motivo, & non ex alio vano fine, vel ex sola inclinatione naturali, vel ex servili necessitate, aut tepida consuetudine, vel inconsideratè faciant.

60. Pariter ordinariè non multùm indagandum, an placeat Deo id, quod agere, observare, omittere, aut pati certò suadent, vel jubent aliæ virtutes v. g. fides, religio, charitas proximi, justitia, humilitas, patientia, mansuetudo, modestia, temperantia, castitas, paupertas &c. cùm enim quivis certò sciat, hujusmodi virtutes placere Deo, necesse non est, offerente se occasione, de hoc multùm indagare.

61. Dicitur autem notanter in præcedenti numero: *quod certò suadent, vel jubent aliæ virtutes.* Nam ulteriùs notandum, quòd, si etiam in virtuosis (quæ ex certo præcepto Divino, vel Ecclesiæ, vel ex Regula, Statutis, præcepto, vel voluntate Superiorum, consequenter ex certa virtute obedientiæ non incumbunt) dubium, vel incertitudo appareat; aut si quis ignoret, aut hæsitet, an hìc & nunc, vel qualiter hoc, vel illud placeat DEO, an non obedientiæ, vel alteri virtuti adverfetur; item etiam, si duo, aut plura contraria, vel incompatibilia obedientiæ opera agenda occurrunt, vel quando duo, aut plura præcepta concurrunt, & universaliter, quando dubium est, vel certò non constat de voluntate, & beneplacito Divino, an, vel quomodo fieri debeat? omnino consideratio aliqua, seu indagatio, an, vel quomodo quid placeat DEO, præcedere debet: circa quod sequentes Regulas observa.

62. I. Si periculum non est in mora, & opus, causa, vel negotium est arduum, magni momenti, vel diu durans, vel frequenter, aut sæpiùs rediens, tunc, antequam agas, aggrediaris, vel te resolvas, bene considera, & perpende, imò etiam meditare, ac (si res exigit) per lectionem indaga, an, & quomodo id velit Deus, an, & quomodo placeat, vel displiceat Deo.

63. II. Si solus te ipsum juvare, aut securè, & certò te resolvere non potes, consule, & interroga Superiorem, Magistrum

aut

aut Patrem tuum spiritualem; imò in arduis, & majoris momenti rebus, sinè hujus præscitu, consilio, vel assensu plerumque nil resolvas, vel incipias: vel si natura negotii; vel operis exigit, consule, & interroga etiam alios, in re magis doctos, & expertos, prudentes tamen, & timentes Deum. Hoc suadet Spiritus S. *Eccli. 32. v. 24. Fili! sinè consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis;* quia *salus, ubi multa consilia. Proverb. 11. v. 14.* Unde etiam Tobias filio suo inter alia sancta principia suadebat. *Tob. 4. v. 19. Consilium semper à sapiente perquire.* Ratio autem petendi ab aliis consilium est; tum, quia non vult Deus, ut quis sibi soli fidat, solíque suæ innitatur prudentiæ, aut sapientiæ. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* dicit Spiritus S. *Prov. 3. v. 5.* & ibid. *v. 7. Ne sis sapiens apud temetipsum:* tum, quia Deo placet humilitas, qua quis sibi soli fidere non præsumens, alios propter Deum consulit; unde etiam hos juvat, & dirigit, teste Spiritu S. *Proverb. 13. v. 10. Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ,* æternâ videlicet; dum econtra nimiùm præsumentes de se derelinquit, & confundit: prout Judith *c. 6. v. 15.* ad Deum orans dicit: *Domine Deus cæli, & terræ &c. ostende, quoniam præsumentes de se humilias.*

64. III. Si actus est transiens, vel res moram non patitur, aut occasio alios consulendi, aut tales, qui consuli possent, desunt, citò cum fiducia recurre ad DEUM, eúmque humillimè invoca, ut te illuminet, & dirigat, quatenus Divinam ejus voluntatem, ac beneplacitum cognoscere, & exequi valeas: & quidem, si res est ardua, & aliquam moram patitur, devotè recita Hymnum *Veni Creator Spiritus &c.* cum oratione *Deus qui corda fidelium &c.* B. V. Mariam quoque per unum saltem *Ave Maria,* & *Sub tuum præsidium &c.* invoca: sicut & Angelum tuum Custodem. Si verò res moram non patitur, aut res levior est, breviter pro Divino lumine roga: v. g. dic cum Propheta *Psalm. 118. v. 135. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas.* & *v. 125. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.* vel dic cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit servus tuus. 1. Reg. 3. v. 10.*

65. IV. Facta invocatione luminis Divini, aliquantulum

(quantum nempe natura operis, aut negotii exigit, & ratio temporis patitur) perpende, & considera, quidnam juxta principia Fidei, & Scripturæ, vel exempla, aut doctrinam Christi, Apostolorum, vel aliorum SS. Patrum, Ascetarum, aut perfectorum virorum, Deus magis velit, vel exigat: quid, & qualiter ei magis placeat: quibus præmissis id, & taliter age, quod, & qualiter Deo placere cognoscis, & putas; tunc enim Deo certò placebis juxta dicta *num. 39.* quòd si in neutram partem te resolvere potes, utpote ignarus, vel dubius manens, quid velit Deus, vel quid magis ei placeat, non errabis, sed bene facies, quidquid egeris, præsertim, si bonam voluntatem habeas, aliud, & aliter agendi, dummodo scires, quid, & qualiter velit Deus.

CAPUT IX.

De bona Intentione.

§. I.

De natura, divisione, & necessitate bonæ Intentionis.

1.

QUæritur I. Quid, & quotuplex sit bona Intentio? Resp. I. Intentio bona ad propositum est actus, seu motus voluntatis, quo agimus, omittimus, aut patimur ex aliquo fine, aut motivo supernaturali, seu, quo per ea, quæ agimus, omittimus, aut patimur, finem supernaturalem intendimus: intentio enim specificatur, suámque bonitatem, aut malitiam accipit ex motivo, seu fine, quem intendit, & quærit, ita, ut, si finis, vel motivum est bonum, & supernaturale, talis etiam sit intentio; econtra, si malus, temporalis, vel indifferens, talis quoque sit intentio: ut proin habere bonam

nam intentionem in suo opere, aut operari ex bona intentione, ferè idem sit, ac habere bonum finem, aut motivum agendi, aut ex bono fine, seu motivo agere, vel operari.

2. Resp. II. Intentio bona supernaturalis potissimùm triplex est. *Prima* est, qua agimus, omittimus, aut patimur aliquid ex timore pœnæ à Deo infligendæ, seu ex hoc fine, & motivo, ne aliàs Deus hìc, vel ibi nos puniat, seu pœnam, vel afflictionem æternam, aut temporalem immittat.

3. *Secunda* est, qua agimus, omittimus, aut patimur desideriô, & spe præmii, aut boni, vel doni alicujus, sive corporalis, sive spiritualis, sive æterni, sive temporalis à Deo consequendi: seu ideo, & ex hoc fine, & motivo, ut Deus nobis æternum præmium tribuat, cœlum nempe; vel ut hanc, aut illam gratiam, donúmve spirituale, hanc, vel illam virtutem, hoc aut illud bonum corporis, famæ, aut fortunæ largiatur.

4. Utraque intentio ex his duabus est bona, & supernaturalis, reddens opus ex ea factum, Deo gratum, & acceptum; etiamsi ideo præcisè, seu ex hoc motivo fiat, ut quis evitet pœnam, afflictionem, aut aliud malum temporale; vel econtra, ut acquirat, & impetret bonum aliquod temporale; dummodo hæc, bonum nempe, aut malum temporale, *ut à Deo provenientia, ab eóque conferenda, aut immittenda*, respiciat. Hoc enim (coinfluente etiam gratia actuali) facit intentionem talem supernaturalem, reddítque opus ex ea factum supernaturale, Deóque gratum, & acceptum. Si verò opus aliquod fieret solo timore pœnæ, aut desideriô, seu spe præmii, vel boni alicujus temporalis ab homine, vel aliunde absque respectu, aut reflexione ad Deum provenientis, merè naturale, Deóque minimè acceptum esset, utpote carens intentione, seu fine, & motivo supernaturali, tanquam conditione ad bonum opus supernaturale, Deóque gratum eliciendum necessariò requisitâ.

5. Quòd autem intentio, finis, & motivum, ipsúmque opus factum ex intentione, fine, aut motivo, ut pœnam sive æternam, sive temporalem à Deo infligendam evitemus, aut bonum,

ſive æternum, ſive temporale à Deo conferendum, conſequamur, ſit bonum, ac ſupernaturale, Deóque gratum, & acceptum, certum eſt. Et quidem de intentione, fine, & motivo pœnæ, ſeu præmii æterni, ipſóque opere ex tali intentione facto, tanquam de fide definit Concilium Tridentinum. *ſs. 14. cap. 4.*

6. De intentione verò, fine, aut motivo pœnæ, & mali temporalis à Deo infligendi, aut præmii, boníque temporalis à DEO conſequendi, & operibus ex hujusmodi intentione, ſeu fine factis, quòd ſint ſupernaturaliter bona, Deóque grata, & accepta, patet paſſim ex Scriptura, tam veteris, quàm novi Teſtamenti, ubi Deus variè, & multipliciter ſub motivo pœnæ, & afflictionis temporalis ab ipſo infligendæ, & præmii, bonorúmque temporalium ab eodem largiendorum, ad vitanda peccata, & cuſtodienda mandata ſua nos adhortatur, & allicit; quod neutiquam faceret, ſi intentio, finis, & motivum ejusmodi, atque opera, ac præceptorum obſervantia ex eo facta, bona ſupernaturalia, & eidem accepta non eſſent.

7. Legatur Caput XXVIII. Deuteronomii: ubi cum admiratione videre erit, quot, & quantîs minîs pœnarum, malorum, & maledictionum merè temporalium, & econtra promiſsis bonorum, ac benedictionum merè temporalium, Deus hominem ad obſervantiam mandatorum ſuorum adhortetur, & alliciat. Similia copiosè habentur in aliis Scripturæ locis. Ipſe etiam Propheta David, aliàs vir ſecundùm cor Dei, de ſe fatetur, *Pſalm. 118. v. 112. Inclina vi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.*

8. *Tertia* demum intentio bona, ac ſupernaturalis eſt, qua præcisè, & unicè DEO placere, eíque perfectè ſervire, ac ſanctiſſimam ejus voluntatem exequi, ejusdémque beneplacitum, laudem, gloriam, & honorem intendimus, ſeu quando agimus, omittimus, aut patimur aliquid ex hoc ſolo fine, & motivo, quia ſic Deo placet, vel quia ſic Deus vult, vel, ut ſanctiſſima Dei voluntas adimpleatur, ipséque magìs adhuc glorificetur, guſtum, & beneplacitum habeat, ídque ideo, quia eundem unicè, & ſuper omnia amamus, utpote quem omni amore & ſervitio digniſſimũ-

crue

credimus, & agnoscimus, adeò, ut in hoc resolvantur, ac finiantur actuum nostrorum interrogatio, & responsio, juxta dicta *Cap. præced. num. 5.* quæ diligenter revide, & altè menti impressa continua praxi exerce.

9. Quæritur II. Quanta sit necessitas, & utilitas intentionis bonæ ad perfectè agendum? Resp. I. Bona aliqua intentio ad omne opus bonum summè, absolutè, & inevitabiliter est necessaria, adeò, ut nullum opus (quantumvis aliàs in se excellens) coram Deo bonum, acceptum, aut meritorium sit, nisi ex bona intentione fiat. Hæc est unanimis doctrina omnium tam SS. Patrum, quàm Theologorum, quorum textus innumeri allegari possent: sufficiat unum vel alterum adducere. S. Gregorius *Hom. 7. in Ezech.* inquit: *Quidquid agitur, id radice intentionis pensandum est, quo merito apud judicium Creatoris habeatur.* Hinc Richardus à S. Victore *de Statu interioris hom. cap. 7.* ait: *Quod est corpus sinè vita, hoc est opus sinè intentione bona.* Et S. Laurentius Justinianus *de Regimine Prælat. cap. 22. In cunctis operibus suis, quicunque anima suæ salutem exoptat, intentionis suæ componat obtutum, & ad illum, quem Divina lex mandat, dirigat finem, ut non casso labore desudet.*

10. Concordat verbum Divinum *Matth. 6. v. 22. & 23. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ubi juxta communem SS. Patrum per oculum intelligit Magister Divinus intentionem, & per corpus quamvis actionem, volens dicere; si oculus, id est intentio, fuerit simplex, id est recta, & bona, totum corpus lucidum, id est, tota actio lucida, seu bona erit; si autem nequam fuerit, etiam actio lumine bonitatis carebit. *Quid enim per oculum exprimitur*, inquit S. Gregorius *Lib. 28. mor. cap. 13. nisi opus suum præveniens cordis intentio, quæ, priusquam se in actione exerceat, hoc jam, quod appetit, contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur? nisi unaquæque actio, quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur. Lucerna itaque corporis est oculus; quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis.*

11. Ratio est; quia, quod sinè bona intentione fit, id sinè ulla relatione aut respectu ad Deum fit,

sit, consequenter caret fine debito, ob quem creati sumus, & agere debemus, & hoc ipso jam, si non malum, saltem imperfectum & Deo minimè acceptum, nec aliqua retributione, vel mercede coram Deo dignum est; sicut enim operarius non potest prætendere mercedem ab illo, cui, & propter quem, seu intuitu cujus non laboravit; sic immeritò, & frustra expectat meritum, & mercedem à Deo ille, qui nec directè, nec indirectè propter Deum, aut respectu, vel intuitu ipsius operatur.

12. Infertur proin, omnes illas actiones, & opera, etiam in se excellentia, & optima, v. g. jejunare, eleemosynam dare, sensus omnes, & corpus mortificare, austero habitu, duro lecto, incommoda habitatione uti &c. omni penitus merito, & mercede carere apud Deum, eíque minimè grata existere, si absque bona intentione fiant: prout fit, si ex mera tepida consuetudine, necessitate, aut inclinatione naturali, consequenter ex nulla bona intentione fiant: item, si fiant ex solo respectu humano, aut ex solo timore pœnæ ab homine infligendæ, aut præcisè ob interesse & commodum, aut ex alio fine purè naturali, vel temporali, sinè respectu, & relatione ad Deum: item, & multò magìs, si fiant ex vana gloria, aut motivo consequendi laudem, vel æstimationem humanam, aut ex ambitione officiorum, dignitatum &c. aut ex alio fine malo.

13. Resp. II. Intentionem bonam non tantùm summè necessariam, sed etiam, summè, ac mirè utilem esse. Ratio est; quia, quidquid ex illa fit, bonum, meritorium, Deóque acceptum evadit, quantumvìs aliàs in se modicum, vile, exiguum, necessarium, indifferens, & operanti etiam commodum, ac delectabile sit, dummodo in se malum, aut prohibitum non sit; ut proin etiam dormire, recreari, discurrere, & aliæ hominis actiones indifferentes, naturales, ac necessariæ, bona opera apud Deum meritoria, eíque grata, & accepta esse possint, si ex bona intentione fiant. Mira, & copiosa sunt; quæ de utilitate bonæ intentionis SS. Patres, & Ascetæ scribunt; adeò, ut integer tomus non sufficeret, si ea adducere vellemus.

14. Ratio est; quia Deus in

cunctis principaliter respicit mentem, & finem agentis; nam, ut scribit S. Gregorius *hom. 5. in Evang. Deus cor, & non substantiam pensat, nec perpendit quantum, sed ex quanto proferatur.* Et Salvianus *ad Eccles. Cathol. Oblata Deo non pretio, sed affectu placent: nec enim animus dantis datis, sed animo commendantur data.* Unde S. Augustinus *in Psalm. 31. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cùm faciat, aspiciat.*

15. Multi comparant bonam intentionem virgæ Mydæ Regis: sicut enim juxta fabulam omnia aurea fiebant, quæ virga illa tangebat, ita bona intentio omnes quascunque actiones nostras (dummodo malæ non sint) aureas, & meritorias facit. Pulchrè alii ad propositum dant illam similitudinem: sicut charta aliqua parvula parùm ex se, vel nihil valet, vel æstimatur; at verò, quando Regis aut Principis subscriptione, vel sigillô subsignata est, omnis ei exhibetur reverentia, & obedientia; sic quoque multæ operationes nostræ nullius essent meriti ad consequendã vitam æternam; vel ad augendam, & acquirendam gratiam: at verò, quando conjunctæ sunt, & signatæ sigillô rectæ intentionis; meritoriæ fiunt, & à DEO magnopere remunerantur.

16. Infertur pro praxi, debere nos omnibûs viribûs laborare, ut penitus nihil sinè bona intentione faciamus, sed potiùs per frequentatos actus, habitum acquiramus, omnia faciendi ex bona intentione: quod ab initio difficile quidem, & molestum aliquibus eveniet, brevì tamen facile, ac jucundum apparebit.

17. Quæritur III. Quænam inter bonas intentiones (supra *à num. 2.* recensitas) sit melior, & perfectior? Resp. Quamvis tam prima, quàm secunda intentio ibidem allegata sit bona, reddátque opera meritoria, & Deo accepta, tamen tertia *à num. 8.* allegata, & explicata est sinè omni comparatione melior, & perfectior, reddítque opus quodvis ex illa factum, sinè comparatione magìs meritorium, Deóque acceptum, adeò, ut vilissimum opus, ex hac intentione factum, Deo gratius, & magìs meritorium fit, quàm quodvis aliud, imò quàm plurima alia cœteroquin excellentia, & heroica, ex alia tamen, etsi bona intentione v. g. spe præmii cœlestis à

Deo conferendi, aut timore gehennæ facta. *O rem miram, & perpetuâ memoriâ dignam* (exclamat Madriliensis noster Asceta celeberrimus *Part. 1. docum. 2.*) *quòd majoris sit coram Deo dignitatis, hoc scopo, sive motivò comedere, quàm sumptô aliò, licèt non malò scopò, nempe possidendi cœlestes delitias, aut eis gaudendi, jejunare, sive asperis corporis castigationibus sanguinem effundere.* Non, quòd bonum non sit, propter cœlum operari, sed quia tertia intentio, videlicet *operari, aut pati, quia Deo places*, præfatas duas intentiones in perfectione plùs superat; quàm in magnitudine totus orbis superat nucem avellanam.

18. Ratio autem est; quia opera nostra quæcunque suum pretium, valorem, & meritum præcipuè derivant à fine; cujus gratiâ fiunt, adeò, ut, quò sublimior finis operis, eò sublimius; pretiosius, majorísque valoris, & meriti sit opus; consequenter; cùm tertia illa intentio finem respiciat sublimissimum, voluntatem nempe, beneplacitum; gloriam, & honorem Dei, ipsúmque Deum pro suo objecto habeat, & directè respiciat; aliæ autem duæ memoratæ intentiones directè, & primariò creaturam, Deum verò non nisi indirectè, & secundariò pro suo fine, & objecto habeant, procul dubio opus propter Deum factum, in pretio & valore sinè comparatione superabit opus factum ob creaturam, sicut Deus tanquam finis unius operis sinè comparatione superat creaturam, tanquam finem alterius operis.

19. Et ex hac perfectissima intentione, & sublimissimo fine, propter seipsum nempe perfectissimè operans, principaliter omnia fecit DEUS, juxta illud *Prov. 16. v. 4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et maximè desiderat, ut eum imitantes nos quoque ex eodem sublimi fine, videlicet propter ipsum, operemur, atque in omnibus, ac per omnia, non nisi ipsi placere, ac servire, ejúsque gloriam, honorem, & laudem intendamus: quod quò puriùs quis intendit, eò gratior Deo evadit.

20. Hanc perfectam Intentionem exemplô etiam suô docuit Christus, ùt constat ex verbis ejusdem *Joan. 8. v. 29. Quæ placita sunt ei, facio semper.* Et *Joan. 4. v. 34. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam*

opus

opus ejus. Quapropter Pater cœlestis tempore transfigurationis è nube loquens dixit de illo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Matth. 17. v. 5.*

21. Eandem intentionem, ut in omnibus haberemus, suadet, & hortatur D. Paulus 1. *Corinth. 10. v. 31. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* & *ad Coloss. cap. 3. v. 17. Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini JEsu Christi.*

22. Textibus SS. Patrum, hanc intentionem ùt octo commendantium, pleni sunt libri; audiamus tantùm ex iisdem S. Laurentium Justinianum *de Discipl. & perfect. cap. 24.* scribentem ita: *Sicut auri exigua massa magnum superexcedit cumulum vilis cujuscunque metalli, ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis, in conspectu Conditoris magis fulgent, atque gratiora fiunt, quàm multorum exercitia laborum prodeuntia de fonte intentionis incultæ.*

23. Neque minuit hæc intentio, sed auget præmium, intuitu cujus aliàs operari possemus: nec putemus, nos præmiô carituros, si pro præmio non laboramus, imò ob hoc ipsum præmium erit majus, ùt bene advertit S. Chrysost. *Homil. 5. in Epist. ad Rom.* dicens: *Major tibi merces, si citra mercedis spem feceris.* Nam, quò magis quis sui ipsius ob Deum obliviscitur, eò magis ipsius recordatur Deus: & quò minùs in suis operibus seipsum, amorem proprium, suúmque proprium interesse, vel consolationem, sive temporalem, sive spiritualem quærit, eò magis cuncta largitur ei amandissimus DEUS per Divinam providentiam suam disponendô, ut ei mirabiliter, & copiosè obveniat, quod nec petere, nec sperare ausus esset.

24. Et quidem loquendô de cœlesti gloria: si certum est, prout revera certum est, gloriam cœlestem nobis aliquando conferendam juxta mensuram meritorum, & gratiæ sanctificantis in hac vita promeritæ; certum quoque est, quòd ille, qui nec intuitu cœlestis gloriæ, nec ex timore pœnarum à Deo infligendarum, sed præcisè propter Deum, amore ipsius, quia ipsi placet, aliquid operatur, incomparabiliter majorem gloriam cœlestem inde habiturus sit,

quàm qui intuitu ejusdem cœlestis gloriæ obtinendæ operatur; quia juxta superiùs dicta certum est, per opus, quod absque omni alio intuitu præcisè fit, quia Deo placet, seu amore ipsius, ad ipsius honorem, & gloriam, incomparabiliter plus meriti, & augmenti gratiæ sanctificantis impetrari, quàm per opus ex fine alio v.g. cœlestis gloriæ intuitu factum. Nec habet timere æternas, vel temporales afflictiones, qui Deum tantopere amat, ejúsque honorem, gloriam, & beneplacitum in omnibus tam purè, & unicè quærit; cùm propterea Deus illum reciprocè amet, illúmque speciali sua providentia Divina dirigat, ab omni malo protegat, nec quidquam afflictionis super eum permittat, nisi quod & quantum pro ejusdem amandissimi DEI majori gloria, & honore, ac pro patientis æterna salute, majoríque gloria cœlesti conducere agnoscit.

25. Ex quibus satis patet, quàm præstans, & excellens, quàm grata, & accepta, quàm utilis, & meritoria sit, quantúmque alias intentiones superet intentio agendi purè propter Deum, quia Deo placet, ad solam ipsius gloriam, & honorem, seu ex solo fine ei placendi, eúmque honorandi, & glorificandi, idque ex amore erga ipsum, utpote omni amore & servitio, dignissimum: consequenter, quàm meritò pro possibili omnem conatum, & vigilantiam adhibere quisque debeat, donec successivè habitum acquirat agendi cuncta ex hac præstantissima intentione, seu fine.

26. Præsertim, cùm per hoc nemo impediatur, quin quandoque etiam operari, & agere possit ex alio, supernaturali tamen fine, seu intentione v.g. ad consequendam DEI gratiam, vel donum aliquod spirituale, vel obtinendum à Deo aliquid temporale v. g. corporis sanitatem, prosperitatem, & benedictionem in temporalibus; vel ad avertendam æternam, aut temporalem pœnam, sive afflictionem à DEO immittendam; vel, ut Deus præsentia jam mala e. g. morbum, persecutionem, afflictionem, bellum, pestem &c. clementer auferat; dummodo (ùt bene advertit Asceta Alphonsus Madriliensis, ac ex eo Laurentius Scupulus *in Certamine*

tumine Spirituali) hæc omnia ad supradictum excellentem finem, seu intentionem finaliter reducat; ùt, si quis v. g. ad obtinendam cœlestem gloriam, vel evitandam gehennam operetur, id faciat, quia DEUS vult, ut salvemur, & salvi fiamus; vel si quis pro humilitate, patientia, aut pro alia virtute, vel pro sanitate, aut alio bono corporis, famæ, fortunæ, vel pro avertendis futuris, & amovendis præsentibus calamitatibus, tribulationibus operetur, aut oret, id rursus faciat, quia Deus vult, ut hanc vel illam virtutem habeamus; vel quia DEO singulariter placet, vel quia vult Deus, ut in tribulationibus ad eum recurramus, illúmque pro bonis consequendis, & malis avertendis, opere, & oratione invocemus, ipsiúsque auxilium imploremus.

27. Porro potest hæc excellens intentio agendi purè propter Deum, seu solùm, quia Deo placet, vel ad solam ipsius laudem, gloriam, & honorem ulteriùs multùm perfici, ac in bonitate sua intendi; si videlicet præter illum excelsum finem soli Deo placendi, etiam ex motivo plurium aliarum virtutum, quarum quævis placet DEO, quis operatur. v. g. si quis jejunat I. ex puro erga Deum amore. II. ex motivo temperantiæ, ut inordinatum appetitum gulæ cohibeat. III. ex motivo castitatis, ut sic rebellem carnem refrænet. IV. ex motivo obedientiæ; quia nempe Ecclesia, vel Regula præcipit. V. ex virtute pœnitentiæ, ut pro peccatis suis satisfaciat. VI. ex motivo charitatis erga proximum, ut ei bonum exemplum præbeat, vel pro eo veniam impetret. VII. ex motivo humilitatis, quia dignum, & justum reputat, ut continuò mortificet suum corpus. VIII. ut Christum imitetur &c. Cùm enim quælibet harum virtutum Deo singulariter placeat, & quamvis earum suo tempore, & modo à nobis exigat, & velit Deus, per quodvis distinctum hujusmodi virtutis motivum, specialiter satisfit voluntati Divinæ, multiplicatur, & augetur Divinum beneplacitum, mirúmque in modum intenditur, & perficitur illa aliàs excellens Intentio agendi purè propter Deum, seu quia Deo placet.

28. Et licèt istæ intentiones, &

& motiva virtutum non omnia, attamen aliqua eorum in quovis opere haberi possint, &, ut habeantur, valde expedit, saltem in operibus arduis, aut longiùs durantibus; cùm præter inde sequentem multiplicationem meritorum nostrorum, id Deo singulariter placeat, utpote qui specialissimum beneplacitum habet, quòd ex amore erga ipsum variîs modîs eidem placere conemur: ut proin hujusmodi opus ob desiderium magis placendi Deo, ex motivo plurium virtutum peractum, sit quasi pulcherrima aliqua pictura, variis, & amœnissimîs coloribûs elaborata; aut insignis quædam corona variîs, ac distinctîs pretiosîs unionibûs, & margaritîs ornata: & anima ita operans in præsentia, & conspectu Dei, similis existat illi, de qua Propheta *Psalm. 44. v. 10.* inquit: *Astitit Regina in vestitu deaurato* (puræ nempe intentionis, soli placendi Deo) *circumdata varietate;* diversarum scilicet virtutum.

29. Cæterùm, licèt modus omnia operandi purè propter Deum, seu ex sola intentione & fine, quia Deo placet, ut Deus honoretur, glorificetur, ejúsque Divinum beneplacitum, & sanctissima voluntas fiat, ab initio non omnino facilis, & acceptus, sed quodammodo molestus, ac difficilis appareat, utpote necdum satis æstimatus, & cognitus, nec adhuc assuetus, aut practicatus; attamen successivè facillimus, & jucundissimus evadet; præsertim si quis sæpiùs considerat, & menti altiùs imprimit, quàm dignum & justum, quàm præstans, & utile sit, in omnibus, & per omnia soli DEO placere, & servire, eum solum, ejúsque laudem, gloriam, & beneplacitum unicè intendere, ac quærere.

30. Quæritur IV. Quando, quoties, & quomodo in praxi fieri, ac repeti debeat Intentio bona? Resp. I. Qui cunctas actiones, & opera sua perfectè, ac meritoriè peragere vult, debet inprimis statim de manè, quando surgit, aliquam perfectam, eámque universalem intentionem pro omnibus, & singulis actionibus totius diei elicere, ita, ut mediante illa ad solum Deum, ejúsque Divinum beneplacitum, & servitium dirigat, atque ad ejusdem laudem, gloriam & honorem sincerè offerat, & humillimè

simè sacrificet se totum quantum in anima, & corpore, omnésque potentias, & actus corporis, & animæ, cogitationes, verba, opera, actiones, passiones, commissiones, & omissiones. Ratio est; quia, cùm juxta dicta ad hoc, ut actio aliqua, vel opus quodcunque, perfectum, DEO acceptum, & meritorium esse valeat, absolutè necessariò requiratur bona aliqua intentio supernaturalis, nobis autem impossibile sit in omnibus & singulis actionibus, præsertim modicis, ac indifferentibus, vel naturalibus, utpote innumeris v. g. in quovis passu pedum, in quovis motu membrorum, in quavis minima indifferenti cogitatione, verbo, vel opere habere actualem bonam intentionem, necesse erit, aliquam universalem pro omnibus habere, quatenus per illam saltem adhuc virtualiter durantem præfata, & omnia alia afficiantur, indéque saltem ex virtuali intentione, bona fiant, consequenter perfecta, & Deo grata esse queant.

31. Enimvero notandum est ad propositum, triplicem esse Intentionem, Actualem videlicet, Virtualem, & Habitualem. *Actualis* est, qua quis actu id, quod facit, ad certum finem refert, aut dirigit: seu quando quis actu ex certo fine, seu motivo quid agit. *Virtualis* est, quæ actu quidem jam præteriit, attamen in sua virtute, & efficacia manet, ita, ut quis vi, vel virtute illius priùs habitæ, id modò faciat, quod facit, illáque præhabita sit principium, & causa, cur modò istud faciat, etsi intentionis actualis priùs habitæ, hìc, & nunc memor non sit. Sic v. g. si quis proponit, & facit intentionem ad honorem B. V. Mariæ peregrinari Oettingam, omnia, quæ postea pro itinere ordinat, ipsúmque iter, quod assumit, censetur vi, & virtute intentionis actualis præhabitæ facere, consequenter intentionem saltem virtualem in illis habere, etiam quando in suo itinere distractus est, & non cogitat de priori intentione.

32. Intentio *Habitualis* aliud non est, quàm aliquando habita, & per actum, vel intentionem contrariam non destructa, vel revocata, quæ tamen non ampliùs influit in actum, seu, quæ non est causa, cur modò id fiat, quod fit. Et hanc ad merendum,

dum, consequenter ad perfectè agendum non sufficere, cum D. Bonaventura, & D. Thoma expressè docet Scotus *2. Dist. 41. q. un.* ubi ait : *Non videtur minor relatio* (id est, intentio ad Deum) *sufficere ad meritum, quàm relatio virtualis.*

33. Resp. II. Quamvìs bona intentio de manè generaliter, seu universaliter facta pro cunctis actionibus totius diei plurimùm serviat, ac utilissima sit ad cuncta perfectè agenda, tamen non sufficit, sed insuper requiritur, ut aliquoties per diem breviter renovetur. Ita expressè docet S. Bonaventura *2. Dist. 41. a. 1. q. 3. ad 6.* ubi ad hoc, ut actio sit meritoria, requirit talem intentionem, vel relationem ad Deum; *non qua quis in genere refert ad Deum omnia opera diei, vel anni, sed qua quis refert aliquod opus ad Deum, ita, ut opus sequens directam habeat ad opus primum ordinationem, & consequentiam.* Ratio est, quia illa intentio universalis, ab initio diei facta, ad cuncta opera, vel partim se sufficienter non extendit juxta S. Bonaventuram, vel se extendens, per intentiones actuales contrarias in pluribus operibus destruitur, aut impeditur. Enimvero quivis experientiâ propriâ convictus fatebitur, quòd, nisi intentionem per diem sæpiùs repetat, & notabilioribus saltem operibus novam præmittat, plura per diem partim ex sola tepida consuetudine, partim ex naturali inclinatione, partim ex motivo temporali, partim ex amore, commodo, aut interesse proprio, partim ex timore, & respectu humano, vel ex vana gloria, studio placendi &c. consequenter absque omni intentione bona, sícque imperfectè agat; eò quòd bona intentio etiam virtualis, quin & habitualis ex præcedente generali actuali remanens, per subsequentem actualem contrariam semper destruatur, & annulletur; consequenter illa opera, quæ ex simili naturali, vel temporali fine, & motivo, seu intentione actuali fiunt, omni bona intentione ad bene agendum necessariò requisita carebunt, indéque, si non mala, saltem imperfecta, & sinè merito, Deóque minimè grata erunt. Hinc (ùt bene monet S. Gregorius *Lib. 28. moral. cap. 13. Vigilanti cura per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, ut nil temporale in his, quæ agit, appetat.*

34. Præ-

34. Præcipuè autem intentio actualiter facienda est in sequentibus. I. In operibus, quorum unum ad aliud ordinationem, & relationem talem non habet, ut intentio uni præmissa, virtualiter se extendat ad aliud; ne aliàs omni intentione, & consequenter etiam omni merito careant.

35. II. Ante initium cujusvis operis magìs notabilis, vel magìs difficilis, vel diutiùs durantis; tū, ut Deo certiùs, & magìs placeat; tum, ut extra periculum simus, ne tanta, & tanto tempore frustra operemur, tempùsque malè consumentes, DEUM offendamus potiùs, quàm honoremus.

36. III. Ante opera molesta, ingrata, & odiosa, item vilia, & abjecta; cùm enim hæc naturæ, inclinationi, sensualitati, & amori proprio sint contraria, per illa DEO specialissimè placere, & ingens meritum obtinere possumus, si propter DEUM perversæ naturæ, & inclinationi nostræ vim inferentes, ea perfectè agimus, consequenter in his admodum attendere debemus, ne absque bona intentione fiant.

37. IV. Ante opera, naturæ, sensualitati, vel inclinationi ex se valde grata, & accepta, qualia sunt v. g. edere, bibere, dormire, recreari &c. item, opera nobis magìs honorifica, aut utilia, & proficua; quia, cùm in his, & similibus commoditas, vel utilitas, ac interesse nostrum reperiatur, ex hujusmodi motivo ad agendum illico, ac facilè se determinat, & agere incipit natura nostra perversa, nisi per bonam intentionem actualem obviemus, & præveniamus. Imò in similibus sæpe non sufficit intentionem de novo formare, sed etiam necesse, vel saltem utilissimum est, ut protestatio quoque fiat contra omnem aliam sinistram intentionem, seu finem, aut motivum; ne aliàs bona intentio ab inclinatione, & amore nostro proprio vincatur, vel ita infirmetur, ut ex hoc potiùs, quàm ex bona intentione agamus.

38. Advertendum tamen, ad actualem intentionem operibus præmittendam non esse necessarium, ut intentio actualis semper fiat in actu signato, eliciendô expressum actum voluntatis, quo intentio actualis verbìs, vel cogitationibus exprimatur e. g.

volo modò hoc facere, aut omittam hoc; quia DEUS vult; quia DEO placet &c. sed sufficere etiam, si quis ex eo, quòd cognoscat, aut memor sit, hoc, vel illud velle DEUM, placere DEO, moveatur ad agendum, & propterea actu agat; etsi in mente, vel verbîs intentionem formaliter non exprimat, vel eliciat, cogitandô, vel dicendô expresse: *Volo hoc facere, quia DEUS vult &c.* Hoc ipso enim, quòd ad agendum moveatur, séque determinet, & cum advertentia actu agat, quia cognoscit, vel recordatur, placere DEO, revera agit ex actuali intentione (in actu videlicet exercito) placendi DEO; quia ex bona intentione agere, idem est, ac ex bono motivo, seu fine agere.

39. Confirmatur, & patet hæc Doctrina quotidianâ experientiâ, qua constat, quemlibet quotidie plura agere ex certo, præsertim temporali fine, seu motivo, consequenter ex certa intentione, absque hoc, quòd formalibûs, & expressîs verbîs, aut cogitationibûs eliciat intentionem in actu signato, dicendô v.g. vel cogitandô: *Volo hoc, vel illud facere ex hoc, vel illo fine.*

40. Resp. III. Ad cuncta perfectè agenda necessarium est, ut bona intentione quodvis opus non tantùm inchoemus, sed eâdem illud etiam continuemus, & finiamus; consequenter intentionem bonam sub ipso opere præ oculis habeamus, & nullam aliam priori contrariam sub ipso opere, aut post illud foveamus, vel admittamus. Ratio est; quia, quamprimum sub ipsô opere aliam intentionem, finem, aut motivum, priori bonæ contrariam habere incipimus, incipit opus esse imperfectum, & per subsequentem partem meritô carere, ac DEO displicere. Pariter etiam in fine, vel corrumpitur, vel minuitur meritum, si mala, vel non bona intentione opus finimus, vel bene finitum postea malè perdimus, juxta statim dicenda.

41. Hinc Diabolus intentionem nostram in principio, medio, ac fine operum solet infestare. In principio quidem, ut intentionem vel omnino negligamus, vel non nisi indifferentem habeamus, vel saltem non nisi obiter, tepidè, & imperfectè eliciamus, consequenter totum opus absque ullo, vel saltem minori

nori

nori merito faciamus: si hoc non obtinet, conatur sub ipso opere varias injectiones, motiva temporalia, indifferentia, & mala v. g. vanæ gloriæ, interesse, aut amoris proprij, respectus, aut timoris humani repræsentare, ut, qui totum non potuit, saltem partem operis inficiat, Deúmque gloriâ, & beneplacitô, nos autem meritô privet. Si nec sub ipso opere quid efficit, ad finem operis, aut post illud omnes vires intendit, ut vel ad vanam complacentiam, vel inordinatum appetitum laudis, & æstimationis propriæ, vel mercedis, retributionis, ac recognitionis humanæ, vel ad jactantiam, & vanam ostensionem, aut ad inordinatam tristitiam, turbationem & impatientiam nos inducat (si res ad votum non successit, aut bene peracta non æstimatur) quatenus sic bene cœpta malè finiamus; consequenter, si non totum, saltem partem meriti perdamus.

42. Nihilominus ad hoc, ut sub ipso opere continuetur bona intentio, non est necesse, nec expedit, nimiùm multiplicare actus repetitionis, vel ad quamvis exiguam partem operis novum intentionis actum de novo formare (taliter enim cor, caput, & cerebrum offenderentur) sed sufficit, ut subinde, & quidem non nisi discretè, pacatè, ac breviter renovetur in sequentibus, videlicet. I. Sub operibus per aliquod tempus durantibus, præsertim magìs arduis, difficilibus, vel odiosis, & molestis, vel etiam magìs gratis, & acceptis, ob rationes paulò ante dictas.

43. II. Quoties sub opere alia sinistra intentio, seu finis, aut motivum se insinuat; prout non rarò contingit sub operibus valde honorificis, aut proficuis, vel naturæ, ac inclinationi nostræ aliàs valde gratis, & acceptis. Tunc enim omnino expedit, & quasi necesse est, bonam intentionem breviter renovare, simúlque contra quamcunque aliam sinistram coram DEO protestari.

44. III. Oportet sub ipso opere facere bonam intentionem, quando illud priùs incepimus absque ulla bona intentione, solùm ex tepida consuetudine, aut inconsideratè, vel ex fine, vel motivo temporali, aut malo; ut saltem subsequens pars operis, malè, aut imperfectè incepti,

perfectè fiat, Deóque placeat, ac meritoria evadat.

45. Cæterùm ad bonam Intentionem perfectè continuandam sufficit etiam, simúlque utilissimum, & DEO gratissimum est, sub opere viva fide considerare opus, non ùt opus nudum, sed ùt Deo beneplacitum, & juxta voluntatem Divinam est, atque in hujusmodi consideratione, & recordatione, (quòd modò digni simus facere voluntatem DEI præsentis, & inspicientis, eísque placere, & servire) felices nos reputare, in DEO gaudere, ac delectari, & tanquam in principali intento, ac vero centro nostro plenè contentos, & quietos vivere. Hic modus continuandi bonam intentionem, seu hæc praxis interna, intuendi sub operibus nostris solam præsentis DEI voluntatem, & beneplacitum, DEO tam gratus, & acceptus, támque præstans, & utilis est, animámque tantopere illustrat, consolatur, & cum DEO unit, ut verbis explicari haud possit. Quapropter, ut ei quivis successivè assuescat, in habitum deducat, ac pro eodem Deum sæpe humillimè imploret, ùt octo suadetur,

46. Nec impedit hic modus continuandi bonam intentionem à necessaria attentione ad opus, sed eam potiùs promovet: prout bene observat S. Basilius, & exemplô declarat *in Serm. Ascet. 3. cap. 5.* ferme sequentibûs formalibûs: sicut Artifex, cui opus artis suæ commissum est, simul attendit & ad opus, ac laborem suum, atque etiam ad illum (præsertim si hic præsens) aspicit, qui hoc opus ei demandavit; etsi enim opus suum præ oculis suis habeat, eíque ritè perficiendo attendat, tamen simul etiam in corde desiderium, & curam habet placendi, & satisfaciendi ei, pro quo laborat: gaudet quoque, & consolationem habet internam, si putat, opus hoc esse, vel fore ei gratum, & ad gustum, vel placitum illius, cui laborat: quod attendendô, & intendendô, non impeditur, sed magìs impellitur ad perfectè agendum, redditque illum cautum, solicitum, & attentum, ne opus, vel aliquid in eo displiceat illi, cui laborat; adeò, ut etiam in ipso opere phantasiæ laborantis continuò oberret ille, cui laborat. Eodem ferè modo nos agere debemus, ut videlicet, dum nostra pera-

peragimus, simul etiam ad Deum, ob quem agimus, præsentem, & aspicientem suaviter attendamus, eíque placere, & satisfacere desideremus; hoc ipso enim magis cauti, soliciti, & attenti erimus, ut omnia exactè, & perfectè ad beneplacitum illius fiant, aut ne aliquid in opere ei displiceat. Idipsum etiam gaudium, & ingentem animi consolationem generabit in nobis, si scimus, & recordamur, nos agere modò, quod præsens vult, & desiderat DEUS, eíque placet.

47. Porro hunc excellentissimum, simúlque suavissimum, ac jucundissimum modum continuandi bonam intentionem, varii alii actus meritorii & DEO grati plerumque comitari solent, & possent, per quos ipsos etiam bona intentio continuari censetur, v. g. actus profundæ reverentiæ, & filialis Timoris erga præsentem, & spectantem immensam Dei Majestatem; subinde actus Humilitatis, quâ operans indignum se reputat servitiô Divinô, suáque opera vilipendit, & conspectu Divino indigna æstimat; subinde actus Admirationis, quòd Divina Majestas in vilissimum nostrum servitium, & abjecta opera dignetur respicere, illáque recipere, & in eis complacentiam habere: subinde Gratitudinis, quòd à misera servitute mundi, carnis, & dæmonis liberati, in felicissimo, ac suavissimo DEI servitio existamus, ubi omnia nobis cooperantur in bonum: subinde Gaudii, & Jubili, quòd modò DEI voluntatem facere, eíque placere digni simus: subinde omnimodæ Resignationis, & oblationis, quâ nos, & omnia nostra Deo, ejúsque Divinæ voluntati ad omnia sinè exceptione offerimus: subinde abnegationis, quâ postposita voluntate, & inclinatione nostra, opus conformiter voluntati Divinæ ex corde peragimus: subinde totalis sui Annihilationis, quæ ex propinquitate, & præsentia immensæ, omnipotentis, & infinitæ Essentiæ Divinæ oritur: subinde Fidei, qua nos in executione Divinæ voluntatis esse firmiter credimus; subinde Fiduciæ erga infinitam ejusdem Bonitatem, & Clementiam; subinde Amoris, qui intuitu ipsius non potest non sequi: subinde familiaris Colloquii, vel sanctorum Desideriorum, Aspirationum,

num; Invocationis, & Precum jaculatoriarum: per quos, & similes actus bona Intentio non tantùm continuatur, sed opus insuper multò perfectius redditur.

48. Interim tamen non est necesse, nec expedit, ad certos aliquos ex dictis, vel similes actus, anxiè, & scrupulosè se sub operibus nostris adstringere, sed oportet menti, & spiritui sancto libertatem relinquere, qui non semper idem, vel eodem modo, sed diversis modis pro diversitate objecti, circumstantiarum, dispositionis, aut juxta divinum suum beneplacitum operatur.

§. II.

De impedimentis, nec non de signis bona Intentionis.

49. QUæritur I. quænam Intentionem bonam frequentiùs inficiant, & impediant. Resp. Tria præcipuè esse, videlicet: *Primò* amorem, ac interesse proprium. *Secundò*, & quidem principalissimè, vanam gloriam. *Tertiò* timorem displicendi, & Desiderium placendi hominibus. Itaque

50. I. *Amore, & interesse proprio* inficitur, vel destruitur bona Intentio, si per opera, & actiones nostras absque relatione ad Deum, vel ejus beneplacitum, laudem; vel gloriam, nosmetipsos, nostrámque sensualitatem, & commoditatem corporalem, aut utilitatem temporalem solùm, & præcipuè, vel saltem aliquo modo quærimus; prout proh dolor! frequenter, &, si non ordinariè, saltem à potiori fieri solet ab hominibus mundanis (utinam non etiam à nonnullis Religiosis) adeò, ut meritò conqueratur Apostolus *ad Philipp. 2. v. 21. Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt JEsu Christi.* Quod misera etiam probat experientia, quâ constat, quòd plurimi quasi diu, noctúque laborent, & se fatigent, innumeras curas, & solicitudines habeant, non quia ita vult Deus, & ut ei placeant, & serviant, sed, ut bona temporalia acquirant, conservent, vel augeant; alii, ut hoc, vel illud officium, aut promotionem obtineant, vel retineant; alii

alii hoc, vel illud agunt, quia placet, & arridet; alii unam actionem præ alia faciunt, non quia illa magìs placet DEO, sed quia agenti magìs est commoda, utilis, aut honorifica; plerique bibunt, comedunt, recreantur, non quia id suo tempore, & modo vult Deus, sed quia sapit, & delectat. Quorum omnium actiones, & opera hujusmodi omnî meritô carent, ac peccaminosa, vel imperfecta sunt, quia non ex bona intentione, sed ex amore, & interesse proprio faciunt, non Deum, vel ejus beneplacitum, sed semetipsos quærentes, & intendentes; verùm *de Amore proprio* redibit amplior discussio *in Parte posteriore*.

51. II. *Vanâ gloriâ* inficitur, & totaliter perit bona Intentio, quando aliquid agimus, vel omittimus, aut patimur, ut inde æstimemur, laudemur, vel honoremur apud homines. Nil enim aliud est vana gloria, quàm inordinatus appetitus gloriæ, seu æstimationis, uti ex professo magìs dicetur *in secunda, seu posteriore Parte*. Interea solùm notandum vobis est Charissimi! Omnes SS. Patres unanimi consensu nos monere, ut per totam vitam speciali cura, solicitudine, & vigilantiâ vanam gloriam vitare, eámque magìs, quàm dæmonem ipsum in omnibus timere, & fugere, & ab ea cavere studeamus; quia, aiunt, est vitium periculòsissimum, DEO exosissimum, & homini damnosissimum, & quidem

52. *Periculosissimum* est; quia ferè omnes homines innumeris modìs semper, & ubique, ac in omnibus prosequitur, & nisi jugiter bene attendatur, sæpissimè tam subdolè, & subtiliter incautos invadit, ut antequam satìs percipiatur, vel sentiatur, nos inficiat. Idque vel ante opus, ut omni merito vacuum efficiat; vel in opere, ut illud saltem inficiat; vel post opus, ut ad demeritum inducat.

53. Et quod dolendum, ac metuendum, ex ipsis etiam virtutibus sua arma depromit, ac, quò magìs vincitur, fortior evadit, magìsque nocere conatur; diabolica fraude vanam complacentiam, aut desiderium ingerens, ut homines virtutes nostras, patientiam, humilitatem, honoris, vanitatis, & gloriæ contemptum sciant, indéque nos æstiment; quod, dum vana glo-

gloria obtinet, magis, quàm unquam, nocet; cùm major, imò duplex superbia fit, humiliare se, vel actus humilitatis exercere, ut humilis quis appareat, vel ut humilis æstimetur. *Omnia vitia* (inquit Cassianus *Lib. 11. de spiritu Cenodoxiæ. cap. 7.*) *superata marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur &c. hoc verò dejectum* (vana gloria scilicet) *acrius resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, sua morte vivacius convalescit. Et hæc est subtilis inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis succumbere.*

54. *Damnosissimum* etiam est; quia facit, quòd opera nostra, quantumvis aliàs in se excellentia, & bona, omni meritô apud Deum careant, si ex vana gloria, seu desiderio æstimationis, vel laudis humanæ fiant, teste æterna Veritate *Matth. 6. v. 1. Attendite, ne justitiam vestram* (id est, bona opera vestra) *faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est.* Et meritò; sicut enim planè nullam prætendere, vel expectare quis potest mercedem ab eo, cui, vel ob quem non agit, vel laborat; sic etiam, qui non propter Deum, sed ideo quid agit, ut ab hominibus æstimetur, laudetur, à DEO mercedem frustra expectat, sed necessariò cum Pharisæis & hypocritis audire debet revera tremendum, & cuivis vanæ gloriæ, laudis, & æstimationis cupido bene notandum, ac inculcandum illud Christi: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Matth. 6. v. 2.*

55. Nec manet vanæ gloriæ damnum in hoc solo, quòd opus ex ea factum omni meritô privet, sed locò mercedis, & præmii, pœnam etiam, ac supplicium operanti irrogat, utpote quæ bonum opus in malum, & virtutem in vitium convertit. Hinc S. Basilius *De Vita Solit. cap. 11.* tria principalia damna; quæ gignit vana gloria, observat. *Primum* est quòd corpus & natura variîs curis, laboribûs, & operibûs atterantur, affligantur, fatigentur, & consumantur; quantîs enim agitantur curis, & quid non faciunt, qui urgente vanâ gloriâ hominibus placere, & ab eis æstimari, laudari, aut promoveri desiderant?

56. *Alterum damnum* est, quòd opera, etiam ex se bona, meritô, & mercede apud Deum frustrentur

ftrentur: & quidem non tantùm, si opera nostra ex vana gloria incipimus, & continuamus; sed insuper etiam, dum de bene cœptis, & continuatis sub ipso opere, vel post illud, vanam gloriam, seu inanem hominum laudem, & æstimationem appetimus, in quo casu bona opera nostra, si non ex toto, saltem ex parte, meritô privantur; vitium etenim hoc, juxta mentem S. Basilii, nòn facit, ut minimè laboremus (neque enim tam grave, & ponderosum foret, præmiô frustrari, nullo ante labore impenso) sed expectat, donec ipsi nos defatigaverimus, & bona opera faciendô sudaverimus, ac tum demum nobis illa surripit, præmium & palmam iis debitam è manibus extorquendô.

57. *Tertium damnum* est, quòd ita operans locò mercedis pœnam reportet, cùm operantes ex vana gloria DEUS hìc & ibi variè puniat. Et, quod mirum est, hæc tanta damna tam blandè, suaviter, & fallaciter efficit, ut ob ea homo non tantùm non contristetur, vel angatur; sed etiam exinde voluptatem capiat, adeo, ut, quamvis credat, & sciat gravissima, quæ ex vana gloria sequuntur, damna, desiderô tamen, & appetitu humanæ æstimationis, laudis, vel honoris, quasi fascinatus, & dementatus, illa non apprehendat, nec curet; ob quod memoratus S. Basilius *loc. cit.* vanam gloriam vocat *Suavem spiritualium divitiarum prædonem, & jucundum animarum nostrarum hostem.*

58. Denique etiam DEO *exosissimum* est hoc vitium vanæ gloriæ; quia ei surripere vult, quod ipse sibi soli reservat, videlicet gloriam, & honorem; enimverò ipsemet testatur *Isa. 42. v. 8. Gloriam meam alteri non dabo.*

59. Duo quippe in cunctis operibus considerandа sunt, *primo* fructus, & utilitas, *secundò* laus, honor, & gloria ex eis resultans, quatenus nempe exinde operis Author, & Artifex laudetur, & honoretur. Fructum & utilitatem omnem relinquit homini, gloriam verò totam sibi soli reservat DEUS. Et meritò, quia, quidquid bonum, vel laudabile in opere aliquo invenitur, à solo DEO est; à nobis autem id, quod malum, ac imperfectum est, provenit; consequenter ei soli omnis laus, honor,

honor, & gloria, nobis autem non nisi humiliatio, & confusio competit; quamvis nihilominus ex infinita sua Bonitate DEUS fructum, ac utilitatem temporalem, & æternam nobis largiatur; dummodo laudem, gloriam, & honorem, ei soli debitum, nullo modo appetamus, aut nobis attribuamus; hunc enim summopere zelat; siquidem *Universa propter semetipsum* (id est, primariò propter suam gloriam) *operatus est Dominus. Proverb. 16. v. 4.* Hinc, qui in operibus suis laudem, gloriam, vel æstimationem hominum quærit, ordinem à DEO positum invertit, indéque specialem eidem injuriam irrogat, dum cupit, ut homines, qui in solo laudando, honorando, & æstimando DEO occupari deberent, Dei immemores sibi gloriam, & honorem tribuant, quod appetendô superbus homo, etiam sacrilegum, dæmoniq; similem furem Divinæ gloriæ se exhibet, ùt bene advertit S. Augustinus, dum *cap. 15. Soliloq.* Deum ita alloquitur: *Tuum Domine est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est, & latro: & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

60. Specialissimè proin attendite Charissimi! & vigilate, ut in juventute adhuc, & primo statim conversionis vestræ tempore vanam gloriam in omnibus cavere, & fugere discatis, & assuescatis; quia, si semel diabolica hæc malitia in animo juvenis Religiosi radicem egerit, in eóque habitus, & ex vana gloria, seu appetitu æstimationis, laudis & honoris, consuetudo agendi viget, aut non, aut vix ampliùs, & non nisi ex parte eradicabitur, de reliquo autem in dies magìs firmabitur, indéque fiet, ut ita constitutus toto vitæ suæ tempore in operibus suis à potiori seipsum magis, quàm Deum, & suam potiùs, quàm Dei æstimationem, laudem, gloriam, & honorem intendat, & quærat, indéque majorem solicitudinem, & attentionem in operibus suis habeat, ut hominibus, quàm DEO placeat, magísque attendat, ne hominibus, quàm ne DEO displiceat. Ex quo non leviter timendum, ne talis æternæ reprobationis suæ signum habeat; nam, ùt

ut S. Gregorius *L. 34. Mor. c. 22.* ait: *Apertè cognoscimus, quòd evidentissimum reproborum signum superbia est: at contrà humilitas electorum.*

61. III. Denique inficitur bona Intentio *curâ, ac desideriô placendi hominibus;* & econtra, *timore displicendi iisdem.* Verùm, quia tam timorem, quàm desiderium præfatum, vel ex amore proprio, vel ex vana gloria provenire constat, plura de eis hic dicere supersedemus, præsertim, quia de eisdem *in Parte posteriore* agemus.

62. Quæritur II. Quænam sint signa bonæ vel econtra malæ & inordinatæ Intentionis? Ante responsionem notandum, plures falsò existimare, se in operibus suis bonam habere intentionem, & nil aliud, quàm solum Deum, ejúsque Divinum beneplacitum, gloriam, & honorem quærere; cùm tamen re ipsâ se potiùs, suámque utilitatem, commoditatem &c. quærant, ac intendant. Hinc, ne multi seipsos decipiant, Sancti Patres, & Magistri Asceseos quædam signa posuêre, ex quibus facillimè cognosci potest, num bonâ & rectâ, vel utrum falsâ, fucatâ, & malâ intentione quis operetur, aut operatus, vel passus sit.

63. Hoc prænotato Resp. Esse sequentia signa, ex quibus dignosci potest, num bonam, vel econtra malam & inordinatam Intentionem in suis actionibus quis habeat. *Primum.* Si quis ad omnia opera, officia, vel munera honorifica, & abjecta, laboriosa, & facilia, inclinationi naturæ accepta, & contraria, juxta dispositionem Superioris assumenda, & dimittenda, indifferens est, ac perinde habet, sive hoc, sive illud præcipiatur, nec non quodlibet æquali promptitudine, & perfectione peragere studet, signum minimè fallax est, quòd talis sua propter Deum, ejúsque Divinam voluntatem, & beneplacitum agat, utpote benè gnarus, nil referre, quid faciamus dummodo id, quod, & qualiter vult Deus, faciamus.

64. Econtra, si quis officia, vel munera honorifica, & publica amat, vel desiderat; & econtra tristatur, turbatur, murmurat, aut conqueritur, si ab illis amovetur, vel impeditur; abjecta verò, humilia, communia, vel laboriosa fugit, & non nisi cum

 tædio,

tædio, illibenter, ac imperfectè illis fungitur; signum evidens est, talem in suis operibus non tam Deum, ejúsque beneplacitum, quàm seipsum, commoditatem, & amorem proprium, vel æstimationem, & laudem humanam quærere.

65. *Secundum.* Si quis post adhibitam in opere, vel functione sua sufficientem, ac debitam diligentiam advertens, rem penitus non, vel minùs feliciter successisse, fructúmque, vel effectum speratum, & expectatum non obtinuisse, propterea tristatur, & animô dejicitur, variísque cogitationibûs agitatur, manifestum signum est, quòd pura intentione Deum, beneplacitum, & gloriam ipsius non quæsiêrit, sed quid aliud, nescio quo modo, intenderit.

66. Econtra, si quis propterea non turbatur, vel tristatur, sed tranquillus, quietus, & contentus existit, signum certum edit, quòd nil aliud, quàm soli placere DEO, ejúsque voluntatem exequi intenderit. Cùm enim sciat, quòd Deus à nobis nil aliud desideret, quàm ut in operibus de ipsius voluntate faciendis, debita cum diligentia faciamus, quod illo juvante possumus, relinquentes eidem, quantùm cooperari, juvare, & opus perficere, qualésque fructus, & effectus inde producere velit, plenè contentus, & consolatus vivit; si, quod ex parte sua erat, se egisse cognoscit, utpote consecutus suum intentum, quod unicum erat, voluntatem DEI tenuibus pro viribus suis exequi.

67. Imò, si quis verè humilis est, & soli DEO placere cupit, non tantùm non tristatur, sed etiam gaudet, & lætatur, si post adhibitam ex parte sua sufficientem diligentiam, opus aliquod minùs feliciter succedit, & sibi non nisi confusionem, aut humiliationem parit; cùm sciat, quòd Deus longè magìs honoretur, majúsque beneplacitum habeat, si confusionem, & contemptum ex opere infeliciter peracto, resignata, patienti, & humili mente suscipiat, quàm per opus omni cum desiderato effectu gloriosissimè peractum; gaudet insuper, quòd DEO placendi occasionem habeat; Deus enim omnium maximè honoratur per humiles, & actus humilitatis: *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Eccli. 3. v. 21.*

68. Ter-

68. *Tertium.* Qui cupit, vel desiderat, & multò magis, qui varias vias, & modos quærit, ut, quæ fecit opera, palàm fiant, & aliis innotescant, ab eísque æstimentur, laudentur &c. aut ut ipse propterea æstimetur, promoveatur &c. signum indubitatum est, intentionem non esse, nec fuisse bonam.

69. Econtra, si quis cupit, & conatur, ut bona, quæ agit, maneant in abscondito, eáque nec directè, nec indirectè patefieri vult; signum certum est, talem optima intentione soli Deo placendi, & serviendi desideriô operari, inde plenè contentus, & quietus, quòd, quæ fecit, vel facit, sciat, & videat ille, cui soli placere desiderat.

70. *Quartum.* Si quis solicitè desideret scire, quid homines, præsertim Superiores, de suis operibus sentiant, & dicant, an hæc illis placeant, num laudent, æstiment illa, &c. signum est, intentionem non esse bonam, nisi quis id scire præcisè ideo desideraret, ut agnito errore se emendare posset.

71. Econtra bonæ Intentionis signum est, si quis minimè solicitus est, nec scire cupit, quid sentiant, aut quid dicant de se & actionibus suis homines, perinde habens, sive vituperent, sive laudent eas, sed sufficit ei, quòd sciat, se bona intentione egisse, quod potuit, & DEUM velle putavit, juxta exemplum Pauli *1. ad Corinth. 4. v. 3. Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.*

72. *Quintum.* Si quis opere, vel functione aliqua peracta, æstimationem, laudem, & approbationem hominum, maximè Superiorum, anxiè expectet, & desideret, nunquam satis contentus, & quietus, donec hi verbô vel signô ostendant, se opera illius æstimare, ac rata habere, latentis malæ intentionis certissimum signum est.

73. Econtra, qui opere pro viribus suis peracto pacatus, & quietus vivit, nullam ullius hominis laudem, vel approbationem desiderans, evidenter ostendit, se soli Deo placere velle, eóque solo contentum esse.

74. *Sextum.* Si quis ex eo, quòd opera ipsius æstimentur, approbentur, extollantur &c. gaudet, ac complacentiam habet; econtra verò tristatur, & animô affligitur, si vilipenduntur, vel vitupe-

turperantur, evidenter demonstrat, quòd solum DEUM, beneplacitum, & gloriam ejus in operibus suis non intendat.

75. Econtra, si ob contemptum, aut villipensionem hominum gaudet, aut saltem non turbatur, vel animô affligitur, laudem verò & plausum hominum fugit, & declinat, eáque sibi attributá non delectatur, nec complacet, sed tanquam sibi penitus indebitam, in DEUM refundit, optimæ intentionis manifestum argumentum præbet.

76. *Septimum*. Si qui propterea, quòd alii opera, aut functiones suas publicas pro DEI gloria, & proximorum salute bene, & fructuosè peragant, laudemque, plausum, & æstimationem habeant, tristatur, vel turbatur, aut saltem non ita gaudet, ac si ipsemet cum tanto fructu, & successu peregisset, apertè convincitur, quòd non tam DEI gloriam, quàm suam quærat; si enim DEI solam gloriam, & non suam spectaret, semper gauderet, si à quocunque eam promoveri videret, simúlque ex corde optaret, ut quàm plurimi alii idem facerent; quatenus saltem per alios præstaretur, quòd à se mis-ero fieri non posse, cognoscit. Talis fuit mens sanctissimi Moysis, qui, dum æmulans pro illo Josue alios præter Moysen prophetare nolebat, eundem increpans dixit. *Quid æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Num. 11. v. 29.* Pulchrè ad propositum S. Gregorius *Lib. 22. Moral. cap. 24.* ait: *Fidelis prædicator optat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Hinc talis, dum alius egregiè concionandô omnes ad se pertrahit, multúmque in animabus fructum facit, non minùs gaudet, quàm si ipse hoc ageret; si enim non gauderet, sed nescio quam displicentiam, tristitiam, aut invidiam præferat, evidens argumentum est, se purè DEI gloriam non quærere.

77. Econtra, si quis de aliorum quorumcunque bene gestis, & resultante exin Dei gloria æquè gaudet, ac si per ipsum, aut per suos factum esset, palàm facit, quòd non suam, sed Dei solius gloriam desideret.

78. *Octavum*. Si quis in actionibus naturæ necessariis veluti in comedendo, bibendo, somnum capiendo, se recreando &c. ad-

advertenter, & voluntariè sibi plus indulserit, quàm necessaria corporis, & animi refocillatio postulabat, signum indubitatum est, se in illis non purè Dei voluntatem, & beneplacitum, sed suam voluptatem, sensualitatem, & commoditatem intendisse.

79. *Nonum.* Si quis, quod agit, inconsideratè, & præcipitanter, aut turbatè, & anxiè agit, signum est, quòd vel ex inclinatione, aut passione naturali, aut motivo, seu fine temporali hoc agat.

80. Econtra, qui pacatè, & quietè sua peragit, indicat animum interiùs benè constitutum, Deo intendentem, eóque solo contentum.

CAPUT X.

De modo perfectè agendi.

§. Unicus.

De requisitis ad modum perfectè agendi.

1.

QUæritur I. Qualiter ad perfectè operandum requiratur, & in quo consistat debitus modus agendi? Resp. I. Ad opus aliquod perfectè agendum non sufficit, quòd illud ex se sit bonum, Deóque acceptum, & ex bona intentione ab aliquo, gratiam sanctificantem habente, fiat, sed necessariò insuper requiritur, ut fiat etiam debitô modô. Ita unanimis, & certa SS. Patrum. Ratio est, quia juxta tritum ex S. Dionysio *lib. de Div. Nomin. cap. 4.* desumptum: *Bonum ex integra causa, malum* (seu imperfectum) *ex quolibet defectu* existit. Hinc quamvis oratio Horarum Canonicarum e. g. sit opus DEO gratissimum, & ab aliquo, gratia habituali prædito, ex perfecta intentione fiat, attamen, si non debitô modô v. g. nimis præcipitanter, si truncatis verbis, si irreverenter, & distractè, si sinè debito ordine, si non servatis

vatis Rubricis, si non servatis statis temporibûs persolvitur; opus nequaquam perfectum, sed imperfectum erit.

2. Resp. II. Debitus modus agendi consistit in hoc, ut quodvis opus quoad omnia fiat taliter, qualiter præceptum, aut lex Divina, vel humana; Regulæ, Statuta, vel constitutiones, aut laudabilis consuetudo recepta, vel ipsa natura operis, & dictamen rectæ rationis requirit; quia, ùt Christus *Matth. 3. v. 15.* dicit: *Decet nos implere omnem justitiam.* id est, quodvis quoad omnia justè, & rectè agere, quod suô exemplô confirmavit *Joan. 14. v. 31.* ubi perfectum suum agendi modum nobis insinuans, ait; *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* id est, taliter, seu tali modô mea facio, qualiter mihi mandavit Pater cœlestis, consequenter quoad omnia perfectè.

3. Quæritur II. Quænam Conditiones requirantur ad hunc perfectè agendi modum? Resp. Sequentes præcipuè, videlicet *Primò.* Ut opus fiat debito tempore. *Secundo.* Ut fiat integrè. *Tertiò.* Diligenter, exactè, & sedulò. *Quartò.* Libenter, & hilariter. *Quintò.* Attentè, & unicè. *Sextò.* Modestè & honestè. *Septimo.* Pacatè, & quietè. *Octavò*, Ut fiat resignatè.

4. *Prima* itaque Conditio est; ut opus fiat *debito tempore*, sive ut in operando debitus, & præscriptus servetur temporis ordo; quatenus singula opera certis suis à Lege, Regula, aut præcepto Superiorum, vel ratione, statutis horis, & temporibûs peragantur, juxta illud *1. Corinth. 14. v. 40. Omnia honestè, & secundùm ordinem fiant. Omnia tempus habent. Eccle. cap. 3. v. 1.* & ibid. *cap. 8. v. 6. Omni negotio tempus est, & opportunitas.* Quamobrem inquit S. Theodorus Studita *Catech. 61. Læti, alacrésque simus: tempus est Psalmodiæ, prodeamus studiosè: opificii, operemur sedulò: silentii, sileamus honestè: alloquii, alloquamur circumspectè: atque, ut semel dicam, honestè omnia, decentérque geramus, quemadmodum jubemur.* Non enim sufficit, opus esse ex se bonum, nisi etiam congruo & ordinato tempore fiat; nam juxta mentem S. Laurentij Justin. *lib. de Obedientia, cap. 27.* quemadmodum immaturi fructus arboris nequaquam usui prodesse possunt humano, ita neque opus sine modo vel ordinato tempore factum, vali-

validum potest præstare augmentum virtuti; unde præter alia allegata similia ait: *Neminem ad cujuscunque perfectionem artis vel operis, nisi prævio, ordinatóque progressu posse pervenire, & humanus vivendi usus, & quotidianus naturæ decursus, atque Divina pariter testantur eloquia.*

5. Errant contra hanc conditionem, & juxta eundem S. Laurentium Justinianum ludibrium dæmonis sunt, qui non agunt, quod debitus temporis ordo, negotii ratio, vel utilitas exigit, sed quod animus suggerit, aut inclinatio, passio, aut propria voluntas suadet: qui lectioni, vel labori vacant, cùm orare deberent: qui orant, cùm laborare, aut quid aliud agere oporteret: qui tempore orationis mentalis vocalem, aut econtra persolvunt.

6. Errant, qui ex torpore, acedia, ignavia, aut alia illegitima ratione agenda differunt, & suo tempore non persolvunt; sed ad ultimam partem temporis, vel tam diu differunt, ut ea, quæ majori studiô elaborari, majoríque diligentia, attentione, & exactione perfici meritò deberent, præcipitanter, obiter, ac perfunctoriè agere ex temporis defectu necessariò debeant.

7. Errant, qui temporis circumstantias non attendendô, necessariò agenda faciunt illo tempore, quo nullus fructus, & effectus sperari potest: ùt si quis corrigeret peccantem, dum actu furit, aut graviter irascitur; quia nullum effectum, sed id potiùs causaret, quòd magìs fureret, & offenderet DEUM.

8. *Secunda* Conditio est, ut opus fiat *integrè*, id est, totaliter, completè, & secundùm omnes suas partes, prout nempe Lex, Regula, Statutum, aut præceptum Superioris, vel natura operis requirit; si enim opus integrum non est, jam hoc ipso imperfectum est: nam juxta dicta, *Bonum ex integra causa.* hinc dicitur *Eccle. 7. v. 19. Qui timet Deum, nihil negligit:* etsi parum, aut modicum videatur. Hanc conditionem Christus exactè observavit, & suô exemplô nos docuit; nam de seipso testatur *Joan. 17. v. 4. Opus consummavi* (id est, integrè, & completè perfeci) *quod dedisti mihi, ut faciam.*

9. Contra hanc Conditionem errant I. Qui absque legitima causa è Choro discedunt priùs quàm

quàm Divinum Officium ex integro est persolutum.

II. Qui ad Chorum, aut alia obedientiæ munera, seu opera serò veniunt.

III. Qui tempus orationi, aut meditationi destinatum præscindunt, abbreviant, aut eo nondum finito, variis quæsitis coloribus discedunt.

IV. Qui opera obedientiæ ex acedia, fastidio, vel horrore difficultatis, aut laboris abbreviant, aut imperfecta relinquunt.

V. Qui (ùt sæpe contingit) ex inordinato erga aliud negotium, vel actionem affectu, vel nimia solicitudine, & cura ad aliud adhuc peragendum; opera abbreviant, vel obiter, & perfunctoriè expediunt.

10. *Tertia* Conditio est, ut opus fiat *diligenter, sedulò, & exactè*, quoad cuncta, simúlque ferventer, consequenter non inconsideratè, aut ex mera consuetudine; non leviter, aut remissè; non tepidè, aut languidè, vel tædiosè; quia, qui sua negligenter, & tepidè peragunt, maledicti sunt à DEO, & tanquam abominabiles projiciuntur à facie Dei. Nam juxta jam dicta, & meritò adhuc sæpius dicenda: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. Jerem. c. 48. v. 10.* & tepido operario dicit Deus *Apoc. 3. v. 15. & 16. Scio opera tua &c. quia tepidus es &c. incipiam te evomere ex ore meo.* Pulchrè ad propositum scribit Eusebius Emisenus *Homil. 3. ad Monach. Ille tantorum munerum repromissor* Deus *non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum, recusat coactum, respuit indevotum,* & *Homil. 6. Non respicit Deus ad munera, quæ negligenti, ac vili animo offeruntur.*

11. Quapropter videte, & cavete Charissimi! ne ad detestandum, abominabile, & à DEO maledictum hoc genus hominum, sua negligenter, fastidiosè, perfunctoriè, ac tepidè agentium, pertineatis: sed primis statim Religiosæ juventutis vestræ annis (cui conformiter plerumque reliquum vitæ sequitur) bonos habitus contrahatis, cuncta etiam minima diligenter; exactè, sedulò, & debito cum fervore peragendi; præsertim quia, quamprimum ferventi desiderio ita operari generosè incipitis, Deus speciales, & uberiores gratias ulteriùs pergendi, & proficiendi liberalissimè confert. Nam ùt ait S. Chrysostomus *Homil.*

Homil. 2. in Gen. Quando videt gratia Spiritûs fervens desiderium, & vigilem mentem, tunc & gratiam suam opulentam liberaliùs largitur.

12. *Quarta* Conditio est, ut opus quodcunque fiat *hilariter*, & *libenter*, id est, libenti, & hilari animô, & cum gaudio quodam, ac lætitia spirituali, quæ in corde amantis Deum non potest non oriri, si vel obiter recordatur, certum esse, se defacto existere in servitio DEI, & executione sanctissimæ voluntatis Divinæ, illúdque, quod modò agit, certè placere DEO, & cedere ad ejus gloriam, laudem, ac honorem. Quis enim non gaudeat, & lætetur? si considerat, certum esse, hoc, etsi vile, abjectum, ac minimum suum opus velle Deum, placere Deo, eóque honorari, & glorificari Deum; consequenter se modò factum esse dignum, placere Deo, honorare Deum &c. quem unicè, & super omnia diligit.

13. Hæc sancta animi hilaritas, & lætitia in agendo propter Deum, eidem singulariter placet, juxta illud Pauli *2. ad Corinth. 9. v. 7. Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Hinc tam in Scriptura Sacra, quàm à SS. Patribus valde nobis inculcatur, & commendatur hæc animi hilaritas, & lætitia. *Servite Domino in lætitia*, ait David *Psalm. 99. v. 1.* & *Eccli. 35. v. 11 In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Et S. Bernardus *de virtute Obedientiæ.* ait: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multùm colorant obedientiam obsequentis: nubilosa corporis compositio, & facies tenebris obfuscata tristitia, devotionem ab animo recessisse signant. Si vis ergo perfectus esse, hilariter, & cum magna vultûs alacritate suscipe jubentis imperium.*

14. Errant contra hanc conditionem, qui actiones, & opera sua, præsertim verò illa, ubi nullum honorem, vel temporale commodum, vel propriæ voluntatis, aut sensualitatis solatium vident, vel expectant, vel in quo difficultatem cernunt, declinare, vel differre satagunt, aut cupiunt, vel non nisi coacti, & impulsi, atque inviti, vel cum tristitia, tædio, fastidio, aut impatientia peragunt, semper desiderantes, ut brevì finiantur.

15. *Quinta* Conditio est; ut opus fiat *attentè, & unicè*, id est, ut sine inordinata cura, & solicitudine, aut distractione ad alia jam acta, aut adhuc agenda, unicè,

cè, & solùm attendamus ad id, quod modò præ manibus habemus, utì suadet Spiritus Sanctus *Eccli. 11. v. 10. Ne in multis sint actus tui.* Ratio est; quia impossibile est, illud perfectè fieri, quod aut inconsideratè, & inattentè, aut simul cum imaginatione, distractione, & cura ad alia fit; siquidem *pluribus intentus, minor est ad singula sensus.* Accedit, quòd opera, quæ cum distractione, & cura ad alia fiunt, magìs etiam fatigent mentem, & intellectum; hoc ipso, quòd duobus, aut pluribus simul attendens, vel intendens, magìs gravetur, ac debilitetur. Hanc Conditionem in suis operibus observari etiam ipsimet volebant Gentiles, ad quem finem illi, qui Diis sacrificabat, unus assistere, & clara voce eum monere debebat illîs verbîs: *Hoc age, quod agis:* id est, hoc, quod modò agis, solùm, & bene age; nec ad aliud attendas, aut de illo solicitus sis. Hanc quoque Conditionem suadent SS. Patres, & Ascetæ, ut quis quamlibet rem ita agat, ac si illud solum, & nil ampliùs agendum haberet. De hoc *Cap. sequente. num. 10.* redibit sermo, agendô de sexto Medio cuncta perfectè agendi.

16. Cæterùm errant contra hanc conditionem, qui sub operibus suis inattenti, pleni sunt alienîs cogitationibûs, ita, ut nonnunquam ipsimet nesciant, quid agant, vel quid egerint v.g. dum orant, & psallunt, de studio, vel refectorio cogitant; dum legunt, student, vel laborant, mundanîs, & aliîs impertinentibûs cogitationibûs memoriam occupant.

17. Errant, qui, dum unum agunt, de alio cogitant, vel soliciti sunt, & dum hoc agunt, rursus de tertio curam, & cogitationes habent, sícque non uno, sed pluribûs operibûs, mentem, & intellectum fatigant, & quodvis imperfectè perficiunt.

18. *Sexta* Conditio est, ut quodvis fiat *modestè*, & *honestè*, id est, cum externa quadam modestia, & honesta corporis, membrorum, & sensuum compositione, ídque non solùm ad ædificationem, & exemplum aliorum, sed etiam ob debitam reverentiam præsentis, ac intuentis DEI, & Angeli Custodis: *Quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis,*

gelis, & hominibus. 1. Corinth. 4. v. 9. Talis modestia externa Deo singulariter placet, & proximum mirè ædificat, atque ad sequelam trahit: unde de S. Flaviano *Hom. 3. ad Pop.* S. Chrysostomus memorat: quòd non solùm docens, & loquens, sed etiam, si videretur, satis erat, ad inducendam virtutum cœlestium doctrinam, in eorum, qui videbant, animos.

19. *Septima* Conditio est, ut fiat *pacatè & quietè*, id est, sinè inordinato timore, & anxietate displicendi, & sinè cura, ac desiderio placendi hominibus. Oportet quidem attentum, circumspectum, & sedulum esse, ut quodlibet rectè, & exactè fiat, eáque, quæ ad finem, & effectum consequendum necessaria videbuntur, facere, vel adhibere, id omne tamen sinè anxietate, & scrupuloso timore aliis displicendi, ac absque cura inordinatè placendi hominibus fieri debet.

20. Porro, qui per opera sua soli placere Deo, & ejus voluntati satisfacere desiderat, sinè cura, & timore est, an hominibus placeat, vel displiceat, nec judicia hominum de se, vel suis operibus curat, juxta doctrinam, & exemplum S. Pauli *1. ad Corinth. 4. v. 3. Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Neque curat, si opus, seu modus operis, quo juxta beneplacitum Dei operatur, hominibus displiceat, dummodo Deo placeat; imò, quia sæpissimè ea, quæ Deus vult, eíque placent, secundùm substantiam, vel modum hominibus displicent, consequenter hominibus displicere sæpe necesse est, pro singulari principio habeat illud Christi *Matth. 6. v. 24. Nemo potest duobus Dominis servire.* & illud Pauli *ad Gal. 1. v. 10. Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

21. Ubi tamen notandum, quòd, dum dicitur, debere nos agere sinè timore displicendi hominibus, & sinè cura placendi eisdem, intelligatur timor, cura, & desiderium inordinatum, & peccaminosum, quibûs videlicet sinè ullo ad Deum respectu, vel relatione timemus displicere ex amore proprio, aut superbia, aut alio malo, vel solo temporali fine, ne videlicet ab aliis vilipendamur, minùs æstimemur, gratiâ apud eos excidamus, vel quibus placere desideramus, & conamur, ut ex actionibus, & operi-

operibus nostris nos æstiment, laudent, vel gratiis, favoribus, aut beneficiis nos prosequantur. Non item intelligitur timor displicendi, & cura, seu studium, ac desiderium placendi ordinatum, & bonum.

22. Enimvero datur quoque sanctus, & bonus timor displicendi, bonúmque & sanctum desiderium, cura, & studium, placendi hominibus, si nempe ex bono, & sancto fine ea procedunt. Sic sanctus alteri displicendi timor est, si quis timet, & cavet in actionibus suis displicere, ne scandalizet illum, seu, ne det malum exemplum, vel ne iniquè contristetur, aut affligat illum. Sic etiam sanctum desiderium, sanctúmque studium, & curam placendi habet, qui per actiones licitas cupit, & conatur aliis placere, vel satisfacere, non propter semetipsum, seu ex amore proprio, aut superbia, sed ex charitate erga Deum, vel proximum v. g. ut alterum ædificet, & bonô exemplô ad imitationem trahat, juxta illud *Matth. 5. v. 16. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est,* vel ut ingressum, & occasionem exinde acquirat eos lucrandi, convertendi, à vitiis ad virtutes, ab interitu ad vitam ducendi &c. ex quo fine S. Paulus, licèt *ad Galatas. 1. v. 10.* dicat: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* & *1. ad Corinth. 4. v. 3. Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* idem tamen etiam *1. ad Corinth. 10. v. 33.* dicit: *Ego per omnia omnibus placeo.* Sed audi causam, & finem, indéque sanctum placendi studium, & desiderium: *Non quærens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

23. Ulteriùs sanctum placendi studium, & desiderium habet, si per actionem licitam placere, & satisfacere quis studet alteri, ut tristem recreet, afflictum, vel desolatum consoletur, indigenti opituletur, succurrat, consulat &c. vel ut aliis in conversatione, & commercio humano gravis, & odiosus non existat: ex his enim, & similibus causis placere cupere alteri, est actus charitatis, quam tantopere commendat, & vult habere Deus.

24. Errant proin turpiter, & plurimùm decipiuntur, qui omne pla-

ne placendi, aut satisfaciendi aliis studium, seu desiderium, & timorem displicendi vituperantes, nullam curam sanctè placendi, nec ullum timorem malè displicendi habent, ideóque agrestes, inhumani, vel tædiosi, aliis graves, & odiosi existunt, alios verbis, vel factis offendunt, reverentiam, & honorem debitum exhibere negligunt, charitatem denegant &c. indéque adhuc gloriantur, aliósque contrarium facientes odiô habent, aversantur, & pro adulatoribus, ambitiosis &c. habent, & reputant, semetipsos verò pro contemptoribus gloriæ, honoris, promotionis, gratiæ, & favoris humani jactant, ac propterea pro humilibus, sinceris, ac egregiis haberi volunt; quasi verò humilitas, & sinceritas in aliorum contemptu, vel offensa, in denegatione reverentiæ, ac honoris, vel charitatis debitæ, in dissolutione, ac temeritate, vel in tædioso, aliisque gravi, & odioso vivendi, aut agendi modo consisteret.

25. *Octava* tandem Conditio est, ut fiat *resignatè*, id est, ut sine inordinata fiat anxietate, timore, & cura, aut pertinaci proposito consequendi intentum fructum, & effectum; cùm opus aliquod, ex quo nullus, vel modicus, aut saltem expectatus fructus, & effectus non sequitur, æquè, imò sæpe magis perfectum, Deóque gratum, & acceptum esse possit, quàm aliud cum nescio quo fructu, & effectu peractum; dummodo bona intentione ex parte sua quis faciat, quantùm potest, & Deum velle cognoscit: eò quòd intentus operis fructus, & effectus plerumque non à nobis, sed à Deo solo dependeat, adeóque Deus ratione illius secuti, vel non secuti, nec magis, nec minùs præmiet operantem. Hinc, licèt S. Jacobus in Hispaniam ad prædicandum Evangelium missus, non plures, quàm octo animas (ut fertur) converterit, attamen non minoris meriti esse dicitur, quàm alij Apostoli, qui integras Provincias converterunt ad Fidem. Et quamvis aliqui Apostoli plures animas converterint, quàm Christus ut homo in terris existens, hic tamen abs dubio infinitè perfectior fuit in suis operibus, quàm illi.

26. Imò (quod bene notandum) sæpe vult Deus, ut aliquid

quid incipiamus, & tamen non vult, ut feliciter, & cum optato effectu, aut fructu perficiamus, sed tantùm intendit nobis præbere materiam, varias exercendi virtutes sibi placendi, & nobis merendi, occasione occurrentium difficultatum, quas ipsemet etiam providentissima, & amandissima sua dispositione, ac permissione immittit: eò quòd Deus in virtutibus, quæ tali occasione exercentur, longè majus beneplacitum, majorémque gloriam, & operans majus meritum habeat, quàm in ipso opere feliciter, & fructuosè peracto; enimvero bona voluntas, & conatus, quem operans habet, ad perfectè, & fructuosè producendum opus, patientia & fortitudo animi, quam habet in supportandis, vel superandis, difficultatibus, molestiis, & incommodis, resignatio, qua, opere infeliciter procedente, in Divinam voluntatem se resignat, humilitas, quam exercet humiliter acceptandô ex amore Dei, & tolerandô confusionem, contemptum, suspiciones, judicia &c. quæ eidem ob opus infeliciter, vel infructuosè peractum obveniunt, sinè comparatione majorem gloriam & beneplacitum creant Deo, quàm ipsum opus, cœteroquin sanctissimum, omni cum desiderato, & expectato effectu, vel fructu productum.

27. Hinc scribitur de S. Ludovico Galliæ Rege, quòd, cùm maximus ejus Exercitus, & Classis, quam sanctissima intentione recuperandi terram sanctam parabat, & contra hostem Nominis Christiani educebat, ad internecionem usque deleretur, ipséque Rex ab hostibus caperetur, ipsius in Divinam voluntatem resignatio, patientia, & humilitas, qua hæc omnia de paterna manu Dei acceptabat, ejúsque amore tolerabat, Deo longè magis placuerit, quàm si Terram Sanctam totam recuperâsset, & Matri Ecclesiæ restituisset.



CAPUT

CAPUT XI.

De Mediis perfectè operandi.

§. I.

Recensentur varia Media.

Visîs iîs; quæ necessariò requiruntur ad quævis perfectè agenda, videamus modò; quæ media conducant, vel necessaria sint, ad quodvis perfectè agendum. Hinc

1. Quæritur. Quæ media conducant ad quævis perfectè agenda? Resp. Esse plura, potissimùm verò sequentia.

2. *Primum* medium est *Ardens desiderium, & efficax bona voluntas, seu propositum, cuncta perfectè agendi.* Hoc medium præstantissimum, & summè necessarium est, adeò, ut, ubi hoc adest, etiam cætera istud ordinariè certò sequantur: econtra, ubi hoc deest, reliqua cuncta frustranea sint; qui enim verè desiderat, & efficaciter vult aliquid, media inquirit, & assumit, cunctáque adhibet ad illud obtinendum. Sic e. g. avarus, qui ardenter desiderat, & efficaciter vult ditescere, quasi continuò speculatur, & diligenter adhibet varias vias, & media, finem suum obtinendi, & econtra solerter attendit, & vigilat, ne quid huic fini contrarium faciat, vel contingat: sic, qui verè desiderat, & efficaciter vult cuncta perfectè agere, speculabitur, & meditabitur, inquiret, & leget de modo, viis, & mediis perfectè agendi, eáque cognita altè in corde servabit, diligenter adhibebit, omnéque contrarium cautè vitabit, & præcavebit; consequenter cuncta perfectè, saltem quantùm scit, & potest (quod sufficit) perage; præsertim, quia talibus, qui verum desiderium, & efficacem bonam voluntatē quævis perfectè agendi habent, Deus majores, & speciales tribuit gratias, & auxilia, mediantibûs quibûs id, quod tantopere volunt, & desiderant,

perfectè agere facilè possunt. *Si quis* (inquit S. Ambrosius *super Psalm. 118.*) *verum profectûs desiderium, nec non conatum in virtute, & perfectione semper proficiendi habet, tantopere Deo placet, ut bonis charismatibûs, & gratiis suis hunc assiduè locupletet.*

3. Dum econtra, qui nullum verum perfectè agendi desiderium habent, etiam de modis, viis, & mediis perfectè agendi, nullam, vel modicam curam habent; & licèt eis plurima, illáque optima dicantur, vel præscribantur, ea non attendunt, nec curant, neque ea applicandi, indéque perfectè agendi conatum, vel diligentiam adhibent, consequenter imperfectè agere continuò pergunt. Neque juvant leges, statuta, & præcepta Superiorum ad quodvis perfectè agendum præscripta, & urgentia, quia hæc apud illos plus non operantur, quàm quòd ad summum ea, quæ in præsentia aliorum faciunt, vel quæ manifestare debent, ex timore servili, respectu humano, vel alio vano fine, & hoc ipso imperfectè facientes, aliquam externæ perfectionis speciem etiam inviti exhibeant, reliqua cum solitis imperfectionibus peragentes, aut penitus omittentes.

4. Dicitur autem notanter *num. 2. Efficax bona voluntas:* id est, talis, quæ manum etiam apponit, & requisita ad bene, ac perfectè agendum media adhibet; nuda enim voluntas, & simplex desiderium, sinè debito conatu, & labore, non prodest.

5. *Secundum* medium ad quævis perfectè agenda est *Humillima sui, seu in seipsum, & vires suas diffidentia quoad omnia non tantùm magna, & ardua, sed etiam modica, & minima.* Cùm enim juxta fidem prorsus nihil boni, seu nil meritorium & supernaturale sinè auxilio, & gratia DEI possimus, juxta illud Christi: *Joan. 15. v. 5. Sinè me nihil potestis facere:* ita ut *non sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit. 2. Corinth. 3. v. 5. & 6.* ideo specialiter vult Deus, ut id humillimè agnoscentes, in cunctis etiam minimis nostram infirmitatem, imbecillitatem, impotentiam &c. sincerô confiteamur animô, & propterea in nostris quibuscunque viribus diffidentes, in solo DEO confidamus, & auxilium illius imploremus; quod

quod si non observamus, sed immemores totalis impotentiæ, ac inhabilitatis nostræ, vanam, & mendacem æstimationem, ac imaginationem de viribus nostris, dexteritate, scientia, aut aliis donis, & talentis habemus, & in eis, vel eorum aliquo confidentes agimus, aut operamur, plurimos errores, defectus & imperfectiones, in operibus, & actionibus nostris certissimè committemus, & sæpissimè confundemur; quia certissimum est, quòd illos, qui non in solo Deo, & auxilio illius, sed in se, seu suis, aut humanis quibuscunque tandem viribus, aut mediis confidentes, aut præsumentes agunt, Deus in actionibus, & negotiis suis ita derelinquere soleat, ut variis erroribus, defectibus, & confusionibus ordinariè, & quidem tam diu subjaceant, donec satìs confusi clarè cognoscant, & ultro fateantur, omne bonum à solo Deo, & gratia ejus provenire debere, se verò, & cunctas vires naturales, sinè ipso prorsus nil posse, quàm errare, & peccare, consequenter propriam sui, & humanarum virium æstimationem, confidentiam, & præsumptionem deponentes, in solo Deo, & auxilio ipsius confidere, & ab ipso solo omne bonum expectare, ac sperare, ipsíque soli de quovis bono gloriam, & honorem dare discant.

6. *Tertium* medium est *Firma fiducia, & confidentia in Deum, ejúsque gratiam, & auxilium.* Quamvìs enim ex nobis prorsus nihil, attamen cum gratia Dei, & auxilio omnia possumus, juxta illud Apostoli *ad Philipp. 4. v. 13. Omnia possum in eo, qui me confortat.* Gratia autem Divina certissimè datur omnibus, qui diffidentes de se, in DEO firmiter confidunt, eúmque pro auxilio & gratia fiducialiter invocant; prout Deus in Scriptura Sacra sæpissimè promisit. Hinc confidentia in Deum, tanquam soror inseparabiliter debet esse conjuncta cum nostri diffidentia, si enim hanc solam sinè illa haberemus, pusillanimes, tristes, timidi, & in plurimis, præsertim arduis, ac difficilibus perfectè agendis, déque virtutibus, & perfectione acquirendis desperaremus; nec quidquam arduum, aut difficile, etsi ex officio, obedientia, aut alia virtute nobis incumbens, aggredi auderemus: dum econtra, si diffidentia in nosmetipsos,

& confidentia in Deum conjunctæ sunt, nil tam difficile, nil tam arduum, nil tam adversum, quin illud, si Deo placere constat, imperterritè aggredi audeamus, & exactè perficere, aut perfectè vincere posse confidamus, hoc ipso, quòd optatum effectum, aut fructum, non à nobis, aut viribus nostris, sed à DEO, & auxilio ejus (in quo confidimus) sperare, & expectare habeamus; consequenter, quantumvis inhabiles, imbecilles, & impotentes nos videamus, non terreamur, sed potiùs de infirmitate, & imbecillitate nostra gaudeamus, & quasi gloriemur, memores, quòd eò magis appareat operans manus Dei, eique soli maneat honor & gloria, quò magis inhabilis, & ad perfectè agendum opus, præsertim arduum & difficile, impotens est homo, qui illud perficit.

7. Unde, licèt Deus sit etiam magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosiùs operatur in minimis, & per minima, prout etiam ad magna, & ardua sua opera, non sapientia, potentia, nobilia &c. sed vilia, abjecta, ignobilia, infirma, & coram mundo stulta, sæpenumero eligit, & quasi penitus inhabilia adhibet instrumenta, ut honor, & gloria de effectu, & fructu secutis, non homini operanti, utpote ex se inhabili, ac impotenti, sed soli Deo tribuatur, & ne glorietur homo, si per illum tanta operatur Deus, juxta illud *1. Corinth. 1. v. 26. & seqq. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Hinc Apostolus gloriabatur in suis infirmitatibus, ac vel ratione illarum certum sperabat Dei auxilium, & bonum effectum: *Libenter igitur* (inquit *2. Corinth. 12. v. 9. & seqq.*) *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi; propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis &c. cùm enim infirmor, tunc potens sum.* Quando enim homo evidenter cognoscit, ultróque fatetur extremam inhabilitatem, ac impotentiam suam ad perfectè agendum opus, aut negotium à DEO impositum, & nihilominus illud im-

imperterritè, & hilariter, invocatô priùs auxiliô Divinô aggreditur, manifestè ostendit, quòd non in se, sed in solo Deo, ejúsque auxilio, & quidem firmiter confidat; quod dum facit, Deum ad certissimum auxilium sibi dandum permovet.

8. Cæterùm confidentiam in Deum facilè obtinebimus, si pro ea DEUM fiducialiter invocemus, & subinde sequentia consideremus. I. Quòd, cùm ipse velit, ut perfectè operemur, & sciat, nos absque gratia sua prorsus nihil posse, eam nobis humillimè implorantibus certò daturus sit. II. Quòd infinitè nos amet, & intensissimè desideret nos juvare, simúlque facillimè, utpote omnipotens, possit, & tanquam sapientissimus sciat nos juvare. III. Quòd sæpissimè promiserit, præsertim confidentes in eum, & invocantes illum certò juvare: cùm enim sit Deus in promissis fidelissimus, & in verbis veracissimus, non potest non servare suum promissum; unde dicit Spiritus Sanctus *Eccli, 2. v. 11. & 12. Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est &c. Quis invocavit eum, & despexit illum?*

9. *Quartum* medium ad quævis perfectè agenda, est *Oratio, seu invocatio gratiæ, & auxilii Divini in omnibus.* Hoc medium est omnium præstantissimum, & efficacissimum, summéque necessarium, utpote quo non solùm omne necessarium auxilium, & gratias Divinas, sed & ipsa hucusque dicta media, nec non omne aliud nobis necessarium, & utile, præcipuè obtinere possumus, & debemus. Hujus medii necessitas sequitur ex necessitate duorum mediorum immediatè præcedentium; hoc ipso enim, quòd nobis penitus diffidamus, & in solo Deo, ejúsque gratia & auxilio confidamus, necesse est, ut ad eum recurramus, eúmque pro auxilio invocemus; præsertim, quia, ùt ait S. Gregorius *in Psalm. 6. Pœnit. v. 1. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci.* illósque, qui fiducialiter, humiliter, ac vera cum fide orant, rogant, & invocant eum, exaudire, necessariáque auxilia, & gratias eis promisit, prout constat ex pluribus S. Scripturæ locis: uti *Joan 16. v. 24.* Christus ipse dicit; *Petite, & accipietis.* & *c. 14. v. 13. Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam.* Item *Jacob. 1. v. 5.*

1. v. 5. *Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Innumera, & stupenda sunt, quæ de necessitate, & utilitate orationis scribunt SS. Patres, prout *Cap. XII. de Oratione.* ex instituto exactiùs dilucidabitur.

10. Quapropter Charissimi! hoc præstantissimum medium, orationem nempe semper habete cordi, & si vultis perfectè, & meritoriè operari, pro inviolabili principio tenete, ut prorsus nil incipiatis, vel agatis sinè prævia, & concomitante oratione, seu invocatione auxilii, & gratiæ Divinæ, etiam in parvis, & modicis. Est enim DEO specialiter gratus actus humilitatis, si etiam in minimis recurrendô ad eum, & invocandô ejus auxilium, re ipsa ostendamus, quòd fateamur nostram impotentiam, & nostris viribus diffidentes, in solo Deo confidamus.

11. Si quæratur, quomodo, & qualiter oratio, seu invocatio auxilii Divini in praxi ritè fieri, & adhiberi debeat? Resp. id patere, ex *Cap. XII.* Interea ad propositum sequentia sunt observanda.

12. *Primò.* Debent tales operibus, & actionibus nostris præmittendæ, & immiscendæ orationes, seu invocationes DEI, plerumque esse breves, & quasi jaculatoriæ, consistentes in brevi, fervida, humili, & fiduciali invocatione auxilii Divini, & gratiæ Dei ad actiones nostras perfectè, ritéque peragendas: ubi tamen notandum, quòd, si actio, opus, aut negotium aliquod longiùs durat, aut magìs arduum est, prolixiùs etiam orare, & auxilium Divinum invocare deceat. Ad quod servire possunt *Oratio Dominica*, & *Salutatio Angelica*: item Hymnus *Veni Creator Spiritus*: item, præstans illa oratio à Concilio Tridentino præscripta: *Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirandô præveni, & adjuvandô prosequere, ut cuncta nostra oratio, & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur per Christum Dominum, nostrum.* Hac enim oratione specificè invocatur gratia præveniens, & concomitans, quæ utraque ad meritoriè operandum absolutè necessaria est: unde hanc orationem ante omne opus aliquantùm v. g. per horam, vel ultra durans e. g. ante studium, ante lectionem spiritualem, ante laborem manualem &c. devotè ad-

adhibere, utilissimum est. Ad reliquas modicas, aut breves actiones verò quadrant breves quoque invocationes, quæ pro cujusvis devotione, & libitu, ac diversitate actionum fieri possunt: singulariter autem efficaces sunt, quæ ex Sacra Scriptura desumuntur, inter quas generaliter servit: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* vel, *Adjuva me, quia sinè te nihil possum.*

13. *Secundò.* Debet oratio, seu invocatio auxilii Divini sub opere, seu actione, saltem longiori, repeti; præsertim, quando occurrit difficultas, periculum, vel dubium sub actione; solet enim amandissimus Deus similia plerumque permittere, ut denuo impotentiam nostram agnoscentes, ad ipsum recurramus, eúmque invocemus v. g. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* vel: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*

14. *Tertiò.* Debet fieri *cum fide, & fiducia:* eò quòd, etsi orantes, & ipsæ preces, seu invocatio, exauditu, & gratiâ Dei indigni sint, eos tamen benignissimus DEUS propter bonitatem suam infinitam, Noménque, & merita Christi, nec non ob promissionem, & veritatem suam certò exaudíturus, & auxilium largiturus sit; nam, sicut oratio, quæ sinè fide, & fiducia fit, nihil, vel parùm, ita, quæ in vera fide, ac fiducia fit, omnia, etiam quæ aliàs impossibilia videri possent, obtinet. *Postulet autem in fide* (dicit Apostolus *Jacob. 1. v. 6. & 7.*) *nihil hæsitans; qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur: non ergo æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Econtra Christus *Marci 11. v. 24.* docet: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* præsertim, si per bonitatem, & promissiones divinas, vel Nomen, & merita JESU instituitur oratio; nam Christus jurejurandô affirmat: *Amen, Amen dico vobis. si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. v. 23.*

15. Hinc *Quartò.* Summè expedit, & pro majori fiducia juvat assuescere, ut, dum invocamus Deum pro aliquo auxilio, vel alia re, per bonitatem, veritatem, fidelitatem, ac promissiones Divinas, per honorem, & gloriam DEI, vel per Nomen, & merita JESU Christi, vel etiam B. V. MA-

MARIÆ, & aliorum Sanctorum rogemus.

16. Errant proin, & insigniter à dæmone decipiuntur, qui ante opera, & actiones suas omnino non, vel obiter tantùm, præcipitanter, distractè, indevotè, vel ex tepida consuetudine DEUM invocant, ex inordinato affectu, vel cura properantes ad opus, vel timentes, ne tempus necessarium perdant, & opus negligant; cùm tamen certum sit, quòd per devotam, humilem, & fiducialem præcedentem orationem tempus nullo modo quis perdat, sed lucretur, & mediante illâ, opus longè perfectiùs, citiùs, & faciliùs, majoríque meritô facere queat, quàm si omissa, vel luridè peracta oratione, nescio quanto labore, intensione, & fatigatione per longum tempus operi se impendisset.

17. *Quintum* medium est *Actuale exercitium, seu potiùs actualis applicatio corporis, & animi, vis, conatus, & labor requisitus, ad opus, seu actionem perfectè agendum.* Quantumvìs enim præfata media necessaria, & utilia sint, tamen non sufficiunt, nisi etiam nostrum addamus, & manum operi admoveamus; quia, licèt DEUS possit, tamen non vult solus in nobis producere opus, sed exigit, & præcipit, ut, quantùm in nobis est, sibi, ac gratiæ suæ cooperemur; sicut enim, licèt agricola habeat *1.* fervens desiderium colligendi copiosam messem, simúlque faciat bonum propositum adhibendi requisita, *2.* de se, suísque viribus plenè diffidat, *3.* solúmque confidat Deo, ejúsque auxilio, & benedictioni, *4.* ac pro ea illum humiliter, fiducialiter, ac devotè invocet; nihil tamen efficiet, nec aliquid colliget, nisi ipse quoque suum addat, requisita adhibeat, manum apponat, laboret, aret, serat, & occet, consequenter DEO, ejúsque auxilio cooperetur.

18. Sic etiam, licèt quis *1.* habeat fervens desiderium, optimam voluntatem, & nescio quæ heroica proposita tendendi ad virtutem, & perfectionem, opera & actiones suas cuncta perfectè agendi, & *2.* pro hoc sibi plenè diffidat, *3.* ac in solo Deo confidat, 4. gratiam ejus, & auxilium humillimè, fiducialiter, devotè, & per omnia continuò invocet: frustra tamen erunt omnia, nisi suum quoque addat, requisita adhibeat, manum apponat,

ponat, bene attendat, ac vigilet, &, quod potissimum est, sibi, suisque passionibus, ac inclinationibus continuò vim inferat, & semetipsum abneget. Cùm enim sæpe ipsum opus, seu actio; & adhuc sæpius perfectus agendi modus sit perversæ naturæ nostræ, inclinationi, aut passioni, vel malis habitibus, seu consuetudinibus jam contractis, penitus contrarius, insuper subinde nos privet, vel impediat ab eo, ad quod summè inclinamus, ubique attendendum, & vigilandum est, ne opus juxta passionem, vel inclinationem nostram inordinatam, aut malum habitum fiat, vel omittatur; laborandum insuper, & pugnandum, nostræque perversæ naturæ, ac inordinatis passionibus vis inferenda est, ut cuncta, quæ ex voluntate Divina agere debemus, perfectè agamus.

19. Licèt verò ad perfectè quæque agenda requiratur quidem nostra cooperatio, attamen nullatenus in ea, sed in gratia, & Divino auxilio principaliter confidere debemus; quia nostra, quantumvis operosa cooperatio, respectu gratiæ, & auxilii Divini parùm, & quasi nihil ad rem confert; quo non obstante pro viribus conari debemus, atque ita vigilare, attendere, laborare, vim nobis inferre, & cooperari, quasi totus effectus solummodo à nostris viribus, & conatu dependeret, non quòd ita sentiamus, ac propterea in nostro conatu, & cooperatione confidamus, sed quia Deus vult, ut pro viribus ita conemur, & cooperemur; & quia in hujusmodi nostro conatu speciale Divinum beneplacitum habet, ac propterea præter merita, etiam eò majores, & efficaciores dat gratias, & auxilia. Econtra debemus in gratia Dei ita confidere, quasi ea sola totum perficeret, & nostra cooperatio non adesset, aut nil conferret: quod bene notandum.

20. *Sextum* Medium perfectè agendi est, *id, quod agimus, solum agere, seu quodvis opus taliter agere, & in eo totum, & ita occupatum esse, ac si hoc unicum, & nil aliud ampliùs peragendum esset.* Siquidem una ex potissimis causis, cur multi tam imperfecti sint in suis operibus, est, quòd magis cogitent, & soliciti sint de illo, quod postea, seu alio tempore adhuc agendum est, quàm quod de præsenti,

senti, & actu agunt, idque vel quia timent, & inordinatè soliciti sunt, ne tempus ad alia adhuc agenda deficiat: vel, quia inordinatè ad aliud opus feruntur, quo fit, ut opus de præsenti incumbens, necessaria attentione, intensione, & consideratione destitutum, nunquam perfectè, sed deproperanter, inquietè, & turbatè peragatur, ac nihilominus operantem in mente, ac intellectu plùs fatiget, ac debilitet, quàm si perfectè fuisset factum; quia certum est, quòd potentiæ humanæ, præsertim internæ, quò pluribus simul occupantur, intenduntur, & distrahuntur, eò magis fatigentur, & debilitentur, adeò, ut longè facilius sit, mentémque, & intellectũ non ita fatiget, si quis orationẽ v. g. perfectè facit, eíque soli attendit, & intendit, quàm si sub illa distractus cogitationes, vel curam etiam de aliis rebus fovet.

21. Hinc suadent SS. Patres, ut, si sub oratione, vel alio opere, quod juxta voluntatem Divinam præ manibus habemus, cogitationes etiam utilissimæ, & notatu dignæ incidant, vel curæ de alio, etsi bono, & necessario opere veniant, eas nunquam admittere, sed tanquam certam dæmonis tentationem, & fraudem, rejicere, cunctáque futura, aut facienda Deo, & ejus providentiæ committere, ac credere debeamus, quòd easdem, vel meliores cogitationes, & cognitionem de tali opere nobis inspiraturus sit illo tempore, quo vult, ut opus fiat, si defacto propter Deum, & ut opus illius perfectè agamus, illas rejicimus, & dimittimus, cogitantes, vel dicentes: *Deus defacto non vult, ut illud, sed ut istud agam, consequenter non de illo, sed de isto cogitem, eique intendam, & attendam: quando voluntas Dei erit, ut illud agam, de illo etiam cogitabo, & tractabo.* prout docet, sanctitate, & doctrinâ celeberrimus Joannes de Avila *Tom. 3. Epist.* ita monens: *Quando mentem rei alicujus cura importuno tempore occupârit, dicito, nil tale mihi nunc Dominus meus imperat: at, cùm mihi Dominus meus injunxerit, tunc de illo tractabo.*

22. Pariter tanquam tentatio, & fraus dæmonis rejicienda est, si sub oratione, vel alio quovis opere bono se ingerunt cogitationes, affectus, & desideria, aliud, etsi pium opus, faciendi, vel de eo tractandi, aut saltem interea notandi;

notandi; quia inde quærit dæmon, ut opus de præsenti præ manibus existens, ex inordinato affectu, & cura erga aliud, levî brachiô, vel absque debita attentione, & consideratione, utpote distracti ad aliud, obiter tantùm, & imperfectè agamus, aut omnino differamus, non sinè magna jactura meriti, & perfectionis.

23. *Septimum* medium est, *quodvis opus, vel negotium ita tractare, ac si ultimum, & totius vitæ nostræ supremum foret.* Profectò enim, si quis sciret, fore, ut statim finito hoc opere, quod de voluntate Dei nunc agere debet, moriturus esset, omnì possibilì modô illud perficere, Deóque placere, & illum placare conaretur; taliter ergo, si quodvis facis, quasi ultimum esset, perfectè singula facies. Hoc Medium suadet S. Bernardus *in Specul. Monach.* dicens: *Vita sua tempus per momenta singula debet Monachus computare, & videre semper, ut bonum faciat, & malum caveat in omni opere suo, & hoc dicat sibiipsi: si modò moriturus esses, faceres istud?* *Octavum* medium est *Memoria Præsentiæ Divinæ*, sed de hac fit, & ponitur specialis

§. II.

De Memoria Præsentiæ Divinæ.

24. Ponitur de hoc Medio specialis Paragraphus, quia unum de optimis, & efficacissimis, non tantùm quodvis perfectè agendi, sed etiam in cunctis bene vivendi est. Pro intelligentia hujus medii autem prænotandum, esse de fide, quòd Deus per immensitatem suam ubique, & in omnibus locis, ac cuivis creaturæ realiter, & intimè præsens sit: cujus proin præsentiam nemo vitare, aut declinare potest, quidquid faciat, aut quocunque se conferat, juxta illud Psalmistæ. 138. v. 7. & seqq. *Quò ibo à spiritu tuo, aut quò à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me Dextera tua.* Sicut avis, quocunque volitet, est in aëre, eóque circumdatur, ita, quocunque se moveat creatura, existit in

in immensa Dei essentia, ab eâque circumdatur, ac insuper impletur, ferme sicut spongia in medio maris v.g. existens non tantùm aquâ ambitur, sed etiam eâ impletur.

25. Insuper notandum, quòd hic idem ubique ac in omnibus intimè præsens, ac immensus Deus, simul omnia in omnibus, intima quoque, secretissima, & occultissima, præterita, præsentia, & futura, per suam infinitam scientiam, perfectissimè, & clarissimè intueatur, & videat; adeò, ut sicut nemo intimam ejus præsentiam declinare, ita nec ab eo se occultare, nec aliquid habere, cogitare, dicere, aut facere possit, quin nudum, apertum, manifestum, & evidens sit ante oculos ejus; nam *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* inquit Apostolus *ad Hebr. 4. v. 13.* Et *Eccli. 23. v. 28. & 29. Oculi Domini multò plùs lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes; Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.*

26. Præterea advertendum est, quòd ubique præsens omnia in omnibus clarissimè semper non tantùm cognoscat, & videat, sed etiam omnia conservet, dirigat, protegat, & omnia in omnibus operetur; cùm quævis creatura in essendo, & operando ab illo semper, & quovis momento dependeat, ab eóque, quidquid habet, habeat, adeò quidem, ut omnî momentô quævis in suum nihilum rediret, nisi ab illo conservaretur, semperque erraret, & continuìs innumerìs malis obrueretur, nisi ab eo semper præsente dirigeretur, & protegeretur; insuper nec minimum agere posset, nisi ab eo adjuvaretur. Hìs notatìs

27. Quæritur I. Quàm præstans medium ad perfectè operandum sit frequens memoria Divinæ Præsentiæ? Resp. Spiritum S. in sacris Paginis, SS. Patres, & Ascetas unanimiter exemplìs & verbìs asserere, nec non ipsam etiam rationem & experientiam comprobare, quòd medium istud, videlicet frequens, & (quantùm fragilitas humana patitur) quasi continua memoria præsentis DEI, sit unum ex præstantissimis, utilissimis, & necessariis mediis, ad quævis perfectè agenda; sicut etiam ad perfectio-

fectionem assequendam, juxta dicenda *in Parte poster. Cap. III. §. II.*

28. Probatur responsio *imprimis* ex S. Paginis, ubi Divinus Magister, cùm Abrahamo medium, utique optimum, perfectè semper agendi, & vivendi præscriberet, dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus. Gen. 17. v. 1.* & David de seipso testatur *Psalm. 24. v. 15. Oculi mei semper ad Dominum.* & *Psal. 15. v. 8. Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Ex quo, quantum fructum, animíque quietem, & consolationem acceperit, ex statim subjunctis verbis *v. 9.* indicavit: *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe.* Unde etiam aliis hoc Sanctum exercitium Præsentiæ Divinæ commendat, *Psalm. 104. v. 4.* dicens: *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* super quo textu S. Augustinus ait: *Quæ est facies Domini nisi præsentia Dei?* Planè hic Propheta ad perfectè agendum, & vivendum, adeò necessariam judicavit memoriam præsentis Dei, ut vel ex solo illius neglectu omnes vias, id est, opera hominis inquinari, id est, peccaminosa; vel saltem imperfecta fore æstimârit, dicens *Psal. 9. v. 26. Non est Deus in conspectu ejus:* audi, quid inde deducat: *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.*

29. Job quoque omnem suam sanctitatem ex eo præcipuè obtinuit, cunctáque sua opera exactissimè peregit, quia continuò præsentem, & aspicientem considerabat, & reverentialissimè timebat Deum: nam *cap. 31. v. 23.* de se fatetur: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* & de operibus suis *cap. 9. v. 28. Verebar omnia opera mea. Oculi enim ejus* (ait *cap. 34. v. 21.*) *super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.*

30. *Secundò* probatur ex SS. Patribus. Sic enim S. Augustinus *toto cap. 14. Soliloq.* loquitur: dum attentè considero Domine, quòd in me perpetuò respicias, itaque nocte, & interdiu pro me excubes, ac si aliam in cœlo sursum, & in terra deorsum, præter me creaturam gubernandam non haberes, dum inquam, attentè considero, omnia opera, cogitationes, & desideria mea tibi patere, & apertè ante oculos tuos esse, timore pariter, & confusione impleor; magna certè nobis in-

incumbit necessitas, justè, rectéque vivendi, cùm videamus, omnia nos facere ante oculos Judicis cuncta cernentis. Concordat S. Hieronymus *Comment. in Ezech.* juxta quem certè tam efficax, præsénsque remedium est jugis Dei memoria, ut, quando peccamus, non peccaremus, si cogitaremus, Deum videre, & esse præsentem, nunquam, quod ei displiceret, faceremus: *memoria enim Dei* (ait: *cap. 22.*) *excludit cuncta flagitia.*

31. *Tertiò* ex ratione. Quia quasi impossibile est, quin ille, qui firmiter credit, & recordatur, Deum præsentem assistere, omnia interna, & externa clarissimè agnoscere, & acutissimè intueri; quin inquam reverentiam, respectum, & timorem erga illum habeat, consequenter summopere attendat, ut, quod agit, taliter agat, ne ei displiceat, sed placeat, & ne per opera sua eum offendat, sed honoret; enimvero extraordinaria foret insania, & malitia, si quis vera fide, & actu memor esset, seu recordaretur, Deum adesse præsentem, & intensè desiderare, ut nunc hoc, vel illud, & quidem perfectè agatur, simúlque exactissimè attendere, & acutissimè aspicere, an, & quomodo homo agat, illud nihilominus omitteret, aut non nisi imperfectè, tepidè, obiter, perfunctoriè, vel aliàs defectuosè perageret: ita enim se habendô, re, & factô ostenderet, se, non obstante sua fide, DEUM nullatenus curare, nec timere, vel respicere, minùs venerari, aut amare.

32. *Quartò.* Experientiâ constat, quòd plerique, quando sciunt, se agere debere coram magno aliquo Domino v. g. Rege, Principe, vel tali, à quo multùm dependent, aut magnam retributionem sperant, speciali diligentia se ad id præparent, ac disponant, &, dum dein actu coram illo operantur, summopere attendant, omnem conatum, omnésque vires adhibeant, ut eidem præsenti, aspicienti, & attendenti placeant, & satisfaciant. Et cur ad id non pariter moveat nos, si credimus, & recordamur, cunctis actionibus nostris, & operibus nostris præsentissimum semper adesse, omnia interna, & externa exactissimè observare, ac clarissimè intueri immensum Deum, Regem, Dominum, Creatorem, & Conservatorem cœli, &

æternæ, à quo in omnibus, & per omnia omnî momentô dependemus, qui summopere desiderat, ut quodvis etiam minimum opus perfectè agamus, & singulare beneplacitum habet super actionibus nostris ritè peractis?

33. Quæritur II. Quomodo in praxi exerceri debeat memoria præsentis Dei? Resp. Præter alia, quæ in Parte posteriori *Cap. III.* §. *II.* adducuntur, notanda sunt sequentia.

34. *Primò.* Quòd ad hoc exercitium præsentiæ Dei non requiratur, nec expediat, sed potiùs noceat, DEUM sub aliqua certa v. g. senis, vel alia specie corporali sibi imaginari, vel præsentare; Deus enim, quà DEUS, nil corporale, aut materiale in se habet, sed merus spiritus est, juxta illud: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Joan. 4. v. 24.* Hinc S. Basilius *Homil. 10. Hexam. Submove*, ait, *absurda ista cordis phantasmata: nullo pacto figurari potest Deus, simplex, sinè magnitudine, sinè quantitate; noli aliquam in illo formam imaginari, noli Judaico more diminuere magnum, nec complecti DEUM corporalibus cogitationibus. Ne circumscribas ipsum mente tua.* Dissuadet etiam hujusmodi fictitiam imaginationem, & repræsentationem DEI corporalem, quòd fatiget caput, phantasiam lædat, offendat cerebrum, & hominem debilitet, inhabilémque reddat ad alia pietatis exercitia; hinc

35. *Secundò.* Observandum est, quòd memoria, vel exercitium Præsentiæ Divinæ meliùs, & faciliùs fiat per simplicem actum fidei, ac simplicem recordationē, & apprehensionē eorum, quæ de Deo, ejúsque Imēnsitate infinita Cognitione, Sapientia, Bonitate, & Omnipotentia credimus, ut proin absque ulla repræsentatione speciei corporalis simpliciter credamus, & supponendô memores simus, quòd Dei immensa, ter admirabilis, & amabilis, ac omnipotens, invisibilis tamen, utpote purè spiritualis Majestas nos, totúmque Universum plenè circumdet, & repleat, juxtà illud: *Pleni sunt cœli & terra Majestatis gloriæ tuæ.*

36. *Tertiò.* Notandum, quòd hoc exercitium præsentis DEI simpliciter & quasi per meram apprehensionem, vel nudam memoriam, ac recordationem, absque multa scrutatione, aut ratiocinatione ordinariè fieri, ac continuari

tinuari possit, ac debeat; quia præsentiæ Divinæ exercitium, ejúsque utilitas, non tam in intellectu, quàm voluntate, ejúsque pijs actibus consistit; quatenus nempe ad præcedentem nudam memoriam præsentis, & aspicientis Dei, voluntas ad varios movetur, & exercet actus, nunc reverentiæ, & timoris, nunc amoris, nunc admirationis, jam gratiarum actionis, jam laudis, & adorationis, nunc invocationis, & aliarum precum jaculatoriarum, nunc contritionis, & propositi, nunc desiderii, nunc resignationis, nunc gaudii, & jubili in DEO; diversos nempe pro diversitate objectorum, temporum, occasionum, dispositionis, inspirationis, & gratiæ Divinæ.

37. Inter hos, & alios, ex memoria præsentis DEI eliciendos actus voluntatis, frequentiores (utpote quasi continuò necessarii, & summè utiles) breviter saltem fieri debent actus bonæ intentionis, & oblationis, quibûs ea, quæ agimus, patimur, & omittimus, DEO breviter offeramus. Item humilis, & fiducialis orationis, seu invocationis, quibûs nostri cum diffidentia, & confidentia in DEUM ipsum, ejúsque auxilium, & gratiam in cunctis invocamus.

38. *Quartò.* Advertendum, quòd in actibus, quos voluntas ex memoria præsentis DEI elicit, sancta aliqua sit relinquenda spiritui libertas, ita, ut ille eliciatur, & pro tempore optimus sit, quem hîc & nunc Spiritus Sanctus occasione, memoriâ, aut cognitione hujus vel illius, ingerit. Quamvìs valde bonum sit, se assuescere ad illos actus, aut preces jaculatorias, quæ in Scriptura Sacra fundantur, vel ex illa desumuntur, cujusmodi passim habentur, præsertim in Psalmis: aliquas tamen pro diversis adducemus *Cap. XV.* ubi agemus *de Precibus jaculatoriis.*

39. *Quintò.* Est observandum, quòd, dum aliquem ex supradictis voluntatis actibus v. g. intentionis, oblationis, invocationis &c. eliciendô dicimus, aut cogitamus: *Propter te, & amore tui, immense Deus! quia tibi placet, hoc faciam: illúdque tibi offero in unione actionum Christi; verùm, quia sine te prorsus nil possum, adjuva me gratiâ tuâ, in qua sola confido,* hoc non ita cogitemus, vel dicamus, quasi cor, vel cogitationem ad DEUM procul à nobis,

vel

vel extra nos ad distantiam sublevaremus, sed quasi cum DEO, nobis præsentissimo, nobísque inexistente (uti revera est) coram loqueremur, eo ferè modo, quo cum præsente, quem ante oculos nostros videmus, optimo amico, aut nobis tenerè addicto, & nos summopere amante præpotente Domino loquimur; hoc enim est propriè coram Deo, & in præsentia ambulare; hoc item reddit exercitium præsentiæ Divinæ valde facile, suave, & sapidum, efficítque optatos fructus.

40. Nec impedit nos ab hujusmodi familiari, & præsentiali colloquio, quòd non videamus DEUM præsentem, sicut amicus amicum, cui coram loquitur, præsentem videt; quia sufficere nobis debet, quòd certò sciamus, ipsum revera præsentem adesse: sicut enim cæcum, vel in tenebris existentem ab hujusmodi familiari, præsentiali, & dulci colloquio, aut alloquio non impedit, quòd illum, cui loquitur, non videat, sed sufficit ei, si certò scit, ipsum adesse præsentem; sic nos impedire non debet, quòd DEUM oculis corporalibus non videamus, sed sufficere debet, quòd certissimè sciamus, DEUM revera præsentem semper adesse, nobísque inexistere.

41. *Sexto.* Denique notandum, quòd memoria, ac exercitium præsentiæ Dei, actúsque, quos ratione illius elicimus, non debeant fieri cum violentia, & anxietate, aut aliàs imprudenti, aut indiscreto modo, quo caput, memoria, & imaginatio defatigatur, læditur, sanitas destruitur, & homo ad alia inhabilis redditur (prout multis contingit) sed suaviter, pacatè & quietè. Nonum Medium cuncta perfectè agendi est *Memoria Operum Christi*, de qua ponitur

§. III.

De memoria operum Christi, & unione operum nostrorum cum eisdem.

42. QUæritur I. in quo consistat memoria operum Christi, & modi, quo ipse operatus est? Resp. Memoria præfata consistit in hoc, quòd operantes, vel operaturi ali-

aliquid, reflectamus, & cogitemus, qualiter hujusmodi opus, vel actum fecerit, aut fecisset Christus in terris adhuc existens, quatenus id cognoscentes, ad imitationem illius similiter operemur, ita, ut, sicut Vita, Exemplum, & Doctrina Christi, debent nobis esse, & servire pro regula, & exemplari, qualiter in vita nostra, moribus, virtutibus, & cunctis aliis perfectè procedere possimus, & debeamus, ita ad idem quoque attendere debeamus in operibus nostris.

43. Quæritur II. Quàm præstans medium sit hæc memoria ad cuncta perfectè agenda? Resp. supradicta memoria operum, & actionum Christi, modísque operandi, vel agendi illius, est unum ex præstantissimis, & utilissimis mediis, ad cuncta perfectè agenda. Ratio est; quia sicut in profanis ad perfectè producendum aliquid, Domum v. g. valde conducit, si quis habet ante se, vel saltem in intellectu regulam, exemplar, aut ideam, juxta quam construere vult, aut debet domum; adeò, ut, quò perfectior sit talis regula, vel idea, eò perfectius sit opus, Domus e. g. ad illius similitudinem, vel imitationem facta: ita etiam in operibus salutis valde conducit, & quasi necessarium est ejusmodi exemplar, seu idea perfecta operis, actúsve, ad cujus imitationem operemur; atqui perfectior idea, aut exemplar operum esse non potest, quàm sunt opera, & Actus Chisti; utpote, qui in omnibus perfectissimè agens, omnis perfectionis infallibilis, & exactissima norma est: ergo.

44. Unde SS. Patres & Ascetæ mirum in modum extollunt, & commendant hoc medium, ut videlicet in operibus nostris præ oculis habeamus opera Christi, quatenus ad imitationem eorum nos quoque operemur, sícque in operibus nostris, & operandi modo, sequamur Christum omnis perfectionis perfectissimum Magistrum. Sed, missis brevitatis gratiâ SS. Patrum textibûs, videamus qualiter in ipsa S. Scriptura commendetur, & extollatur hoc Medium.

45. *Matth. 17. v. 5.* dicit Pater cœlestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* quibûs verbis Pater cœlestis manifestè ostendit, quàm gratum sibi sit, si attendamus, & sequamur Christum. *Joan. 8. v. 12.* ipsemet

ipsemet Christus dicit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* id est, non errat, sed semper bene agit, & operatur: & *Joan. 13. v. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* item *Joan. 12. v. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur.* & alibi.

46. Idem passim in Scriptura suadent SS. Apostoli, uti *Pet. 1. c. 2. v. 21.* ubi dicitur, Christum nobis reliquisse exemplum, ut sequamur vestigia ejus. & *1. Joan. 2. v. 6. Qui dicit se in ipso* (Christo nempe) *manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Et *ad Rom. c. 13. v. 14.* volens S. Paulus compendiosè tradere regulam perfectionis, dicit: *Induimini Dominum JEsum Christum.* id est, vivite, & agite juxta Exemplar JESU Christi. Similia passim inveniuntur in Scriptura, quibûs impensè nobis commendatur, & inculcatur, ut sequamur, & imitemur vitam, & opera Christi.

47. Cùm itaque Deo ipso monente, & mandante, sanctísq; unanimiter suadetibûs, & rogantibûs, debeamus sequi Christũ, & opera ejus, nihílque melius, nil securius, nil perfectius sit, quàm in cunctis ad imitationem illius vivere, & operari, utique utilissimum, quin & necessarium erit, ad opera nostra perfectè agenda, recordari operum, & actuum Christi, illósque tanquam regulam, ideam, & normam in agendo præ oculis habere; secus enim ad imitationem illorum perfectè agere haud poterimus.

48. Quæritur III. In quo consistat, & quantùm prosit unio operum nostrorum cum operibus Christi? Resp. I. Istam unionem consistere in hoc, quòd attendentes summam, imò infinitam perfectionem vitæ, & operum Christi, econtra verò imperfectiones, & defectus operum nostrorum, confidentes in illis, & diffidentes in istis, sanctâ fiduciâ spiritualiter uniamus, & conjungamus imperfecta opera nostra, & actus nostros, cum perfectissimis operibus, & actibus JESU Christi, quatenus sic unita de perfectione Christi participent, indéque SS. Trinitati gratiora, nobísque magis meritoria, & utilia evadant.

49. Resp. II. Hæc unio est valde præstans, & perquàm utile remedium, ut opera nostra perfectiora, Deo gratiora, & nobis utiliora evadant: ita námque

que sæpiùs revelavit Deus ipse sanctis animabus. Et ratio est; quia, quantamvis diligentiam, & conatum nostrum, cunctáque ad perfectè agendum adhibeamus media, attamen in quovis opere, & actu nostro nævi, imperfectiones, & defectus reperientur: nam, ùt Spiritus S. per Isaiam *cap. 64. v. 6.* etiam de bonis operibus nostris dicit: *Quasi pannus menstruata, universæ justitiæ nostræ.* hinc utique summè utile erit, unire, & conjungere opera nostra cum perfectissimis Christi operibus; quia ex tali unione cum humili diffidentia in nos, & confidentia in Deum, & Christi merita factâ, defectus, & imperfectiones operum nostrorum ab infinita operum Christi perfectione quodammodo absorbentur, & de eadem certô modô participant, indéque longè perfectiora, Deo gratiora, & nobis meritoria evadunt; utì juxta dicta DEUS ipse sæpiùs revelavit.

§. IV.

De observandis post opus ipsum.

50. Quæritur I. Quænam post opus ipsũ, si id bene successit, sint observanda? Resp. Si opus bene successit, sequentia observa. *Primò.* Diligenter cave à vanagloria, id est, ab inordinato appetitu, seu desiderio laudis, æstimationis, gloriæ, vel honoris; quia hoc vitium Deo summè exosum, & homini summe damnosum est, facítque, ut opus meritô careat, vel privetur, & locò mercedis pœnam recipiat, prout ampliùs dictum est supra *Cap. IX. à num. 51.* quod sæpiùs lege, & relege; simúlque scito, Diabolum nequissimum pessimo hoc vitio solere certissimè, simúlque dolosissimè, & subtilissimè tentare hominem vel ante opus, vel in ipso opere, vel post illud, vel in omnibus; ut, si in principio, vel medio res illi non succedit, saltem in fine, aut post opus, victor evadat, opúsque nostrum appetitu, vel desideriô æstimationis, laudis, & inanis gloriæ inficiat, ut proin cautissimè semper invigilandum sit.

Secundo:

51. *Secundò:* Diligentissimè etiam cavendum à propria vana complacentia, qua quis opus suum plùs, quàm oportet, æstimat, indéque vanè sibi complacet, ac seipsum æstimat, laudéque, gloriâ, vel honore dignum reputat, ac propterea etiam delectatur, & complacentiam habet, si laudatur, & honoratur. Hoc vitium soror est vanæ gloriæ, & ab ea non multùm differt: adeóque non minùs ac illa, fugienda est. Malitia autem illius principaliter consistit in hoc, quòd homo laudem, & gloriam, quæ soli Deo de opere bene peracto competit, sibi approprict, & tribuat, sícque etiam furtum Divinæ gloriæ committat; quod Deo plurimùm displicet.

Tertiò. Omnium maximè, & diligentissimè cavendum est à jactantia, seu inani gloriatione, ne videlicet quis ipse sua opera bene facta laudet, & extollat, directè vel indirectè propalet, seu manifestet aliis, ut ab iis æstimentur, laudentur; id enim qui facit, hoc ipso jam internam superbiam, & vanam gloriam prodit, indéque internè & externè DEO summopere displicet, sibíque nocet, utpote faciens, quòd opera sua omnî meritô priventur, juxta illud Christi, de Judæis bona sua opera ob vanam gloriam, laudem, & æstimationem vanè propalantibus, & jactantibus, effatum *Matth. 6. v. 2. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Facit insuper jactantia, quòd DEUS imposterum ad similia opera bene peragenda, vel priora bene continuanda, ac perficienda gratiam non ampliùs ita tribuat, sed minuat, vel fortè omnino subtrahat, ut in eo ipso, aut simili confundatur, & confusionem recipiat jactator, in quo vanam laudem, & gloriam quæsivit.

53. Præterea id habet jactantia, seu inanis gloriatio, quòd DEO justissimè permittente, ac disponente, odiosum, despectum, & contemptum reddat jactantem apud audientes, bonámque æstimationem, quam priùs de illo habuerunt, plurimùm minuat, vel omnino auferat, ita, ut miseri jactatores æstimationem, laudem, & gloriam aliquam, quam suâ jactantiâ quæsierunt, non tantùm non acquirant, sed etiam illam, quam priùs habuerunt, perdant, & locò illius meram reportent disæstimationem,

nem, confusionem, & contemptum.

54. Quantùm verò Deo displiceat jactantia, ac quantùm illam detestentur, & abominentur Sacræ Paginæ, SS. Patres, & Ascetæ, magis adhuc dicetur infra *in Parte posteriore*, agendô *de Superbia*, cujus filia est jactantia. Interea unam solummodo, & alteram de jactantia capite sententiam, & admonitionem à Spiritu S. *Eccli. cap. 43. v. 30. Gloriantes ad quid valebimus?* Et *Jerem. cap. 9. v. 23. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis.* hinc S. Paulus inquit: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis. 1. Corinth. 4. v. 7.*

55. Auream, bene capiendam, & observandam doctrinam circa jactantiam tradit etiam S. Bonaventura *de institut. Novit. Part. 1. cap. 25.* illîs verbîs: *Jactantiam quàm diligentissimè cave, & nunquam des alicui intelligere, quòd aliquid sit in te commendabile; vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin etiam alii intelligant. Et, si tu taces, & abscondis, plùs placebis; si autem prodis, & commendes, irrideberis, & vilesces: & unde priùs ædificabantur, inde posteà despicient te.*

56. De cætero si Deus vult, ut opera tua, vel quodcunque in te laudabile manifestum fiat, indéque sua gloria, aut aliorum salus promoveatur, vel si agnoscit, quòd æstimatio aliqua, vel gloria tibi ad sanctum finem necessaria, vel utilis sit futura, ipse jam faciet, disponet, & diriget, ut absque te, & culpâ tuâ id palàm, vel manifestum fiat: nam *Educet quasi lumen justitiam tuam, Psalm. 36. v. 6.* adeò, ut, quò magis tu tua opera, virtutes, & alia laudabilia ex humilitate abscondis, ac laudem, & gloriam fugis, eò magis illa Deus sit manifestaturus, laudémque, æstimationem, & gloriam, quam tu fugis, vel de qua non cogitas, procuraturus. Et istud verbô, atque exemplô suô docere nos voluit Christus, dum dicit *Joan. 8. v. 50. Ego autem non quæro gloriam meam; est, qui quærat, & judicet.* & infra *v. 54. Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.*

57. Quòd si Deus sua dispositione, permissione, vel ordinatione, rectè facta, vel alia laudabilia tua manifestare non vult, crede,

crede, id non fore ad DEI gloriam, nec ad tuam, vel aliorum salutem: hinc neque tu manifestare præsume, sed tanquam occultum thesaurum absconde, & gaude, quòd ille sciat, cui soli, & propter quem solum operatus es, & à quo solo mercedem expectas, quam etiam certò dabit pro tuis operibus; quia teste Spiritu S. *Prov. 24. v. 12.* hìc, & ibi certò *Reddet homini juxta opera sua.* & teste Christo JESU Pater cœlestis *Matth. 6. v. 6. Qui videt in abscondito, reddet tibi.* & quidem eò magìs, quò minùs opera tua mundus agnoscit, minúsque remunerat. Sufficiat ergo tibi, quòd Deus, & Curia cœlestis sciat, videátque opera tua, & quid, ac quomodo egeris.

58. *Quartò.* Post opus bene factum, soli DEO omnem laudem, gloriam, & honorem tribue, eíque humillimas gratias ex corde refer, quòd, mediante gratia, & auxilio ipsius, res ita successerit, vel opus ita peragere potueris: hoc enim Deus ipsemet desiderat, & ei plurimùm placet juxta illud *1. ad Thessal. 5. v. 17. In omnibus gratias agite; hac est enim voluntas Dei in Christo JESU, in omnibus vobis.* unde S. Chrysostomus *Hom. 51. in Gen.* ait: *Nihil enim tam gratum Deo, ut anima grata, & gratias agens.* Item *Hom. 25. Dominus nullarum rerum indigus est, nullàque rerum nostrarum eget, quàm verbis, atque hanc ipsam in sermonibus gratiarum actionem exigit, non, quòd eà ipse opus habeat, sed ut nos doceat gratos esse, & agnoscere tantorum bonorum suppeditatorem.* Est etiam utilissimum, Deo sic gratias agere; quia inde fit, ut Deus postea in aliis rursum suam gratiam, & auxilium tribuat, & quidem eò magìs, & copiosiùs, quò magìs illi soli omnem gloriam tribuimus, & grati eidem existimus: sicut econtra gratiam & auxilium in futurum minuit, & ei subtrahit, qui sibi aliquid de benefactis attribuit, vel debitas gratias Deo non persolvit. Deus enim à nobis gratitudinem exigit; *non ut nostrà* (addit Divus *loc. cit.*) *celebratione opus habeat, sed, ut, quidquid lucri est, iterum ad nos redeat, & dignos faciamus nos ipsos majoribus subsidiis.*

59. Porro ad gratias agendas Deo, eíque soli tribuendam gloriam post opera nostra bene facta, optimè servit dictatus ille actus à Spiritu sancto *Apoc. 7. v. 12. Benedictio, & claritas, & sapientia, &*

gratiarum actio; honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. vel illud *1. ad Timoth. 1. v. 17. Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum.* vel illud *Psalm. 113. v. 9. Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

60. Quòd si fortassis ob opus bene & feliciter peractum vanâ gloriâ, aut complacentiâ tentaris, illico resiste, & mente, vel etiam ore unum ex præfatis textibus profer, vel aliquoties dic: *Soli Deo gloria, honor &c.* Idem observa, si ob bene facta, vel alia in te laudabilia ab aliis laudaris, præcipuè verò adhibe prædictum Versum: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.*

61. Si verò vitiô jactantiæ tentaris, statim resiste, & cogita, vel dic unum ex dictis actibus, vel: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriari vis, quasi non acceperis.* vel: *Ego gloriam meam non quæram, est, qui quæret, & judicet.* vel cogita ita tecum. Vísne miser, & stultè soli DEO debitam gloriam furari, omnémque laborum tuorum mercedem, & meritum perdere, vel commutare pro vana gloriola, quam tamen non acquires, sed potiùs etiam illam, quam aliàs habes, perdes, & locò illius contemptum, & odium incurres.

62. Quæritur II. Quænam observanda sint, si opus malè successit? Resp. Si opus malè, vel infeliciter successit, ídque tuâ culpâ contigit, humilia te coram Deo, & fatere culpam tuam, dole de ea, & veniam pete cum proposito, imposterum perfectiùs agendi, seu operandi, & defectus vitandi; de quibus evitandis etiam cogitare, & media adhibere debes.

63. Si verò absque tua culpa contigit, eò quòd feceris, quantùm erat in te, resigna te Divinæ voluntati, Deúmque nihilominus benedic, & lauda, humilitérque amore illius suscipe, ac sustine confusionem, vilipensionem, vel quidquid aliud molesti inde emergit: dic, vel cogita: *Sicut Domino placuit, ita factum est, sit Nomen Domini benedictum. Job. c. 1. v. 21.* Ita námque te habendô, longè magis placebis Deo, majúsque meritum habebis, quàm si opus perfectissimè perfecisses.

§. V.

§. V.

Compendiosa recapitulatio dictorum de requisitis ad communia & quotidiana opera perfectè peragenda: ubi & de principijs practicis circa illa.

64. CHarissimi! ut ea, quæ in præcedentibus quatuor Capitibus, *de communibus & quotidianis operibus in genere debitè peragendis*, prolixiùs dicta sunt, faciliùs retineatis, & in praxin deducere valeatis, compendiosa eorum hoc Paragrapho fit recapitulatio, semper quidem cum remissione ad priora, ad hoc, ut, quod hîc ex compendio non satis intelligitis, vel, si in aliquo, utpote minùs adhuc perfecti, & habituati, nova informatione, & recollectione indigetis, suis in locis fusiùs declaratum invenire possitis.

65. Est autem præviè repetendum, & pro aliquo fundamentali principio tenendum, Perfectionem Religiosam plurimùm consistere in hoc, ut cuncta, præsertim ordinaria, seu communia, & quotidiana, etiam minima opera, & actiones nostras, perfectè agamus, hoc ipso, quòd Perfectio totaliter consistat in perfecta executione, seu adimpletione Divinæ voluntatis, vel potiùs in habitu perfectè in omnibus adimplendi Divinam voluntatem, quæ voluntas Divina utique plurimùm, & potissimùm adimpletur, si cuncta nostra, juxta Divinam voluntatem agenda opera perfectè agimus. Itaque

66. Quæritur I. Quænam ad cuncta perfectè agenda requirantur in compendio ante opus? Resp. Sequentia I. Absolutè requiritur Status Gratiæ, consequenter Confessio, vel perfecta Contritio, si quis alicujus peccati gravis se reum scit, juxta dicta *Cap. 8. à Num. 43.* imò valde etiam bonum, & consultum est, nostris, saltem majoris momenti operibus, Contritionem præmittere generalem de omnibus peccatis, juxta dicta *loc. cit. Num. 47.*

II. Ante opus requiritur prævia cognitio, ac advertentia boni, juxta dicta *Cap. 8. à Num. 49.*

III. Requiritur bona Intentio, seu bonus aliquis finis superna-

turalis juxta dicta *Cap. 9. Num. 9.* quæ Intentio bona potest esse varia, juxta dicta ibidem *à Num. 2.* omnium tamen optima, Deóque gratissima est, & etiam utilissima, si ideo præcipuè agimus, *quia Deus vult: quia DEO placet:* vel, *ut Deus honoretur, glorificetur, & beneplacitum habeat:* quæ tamen Intentio multùm perfici potest, si quis simul etiam ex fine, & motivo aliarum virtutum operatur, utpote, quæ etiam in Divinam voluntatem resolvuntur hoc ipso, quòd Deus velit, ut tales virtutes operemur.

IV. Ad cuncta perfectè agenda non sufficit bona Intentio manè universaliter facta de omnibus diei operibus, sed omnino requiritur, ut aliquoties per diem renovetur, juxta dicta *Cap. 9. Num. 33. & seqq.* Ne autem bona Intentio inficiatur, diligentissimè cavenda, & vitanda est Deo odiosissima, & nobis damnosissima vana gloria; juxta dicta *Cap. 9. à Num. 51.* item amor, & interesse proprium, nec non timor displicendi, & cura placendi hominibus.

67. Quæritur II. Quænam requirantur in, seu sub opere? Resp. In, seu sub opere requiritur *Primò* continuatio Status gratiæ. *Secundò* continuatio bonæ intentionis, juxta dicta *Cap. 9. Num. 40.* *Tertiò* requiritur debitus, ac perfectus modus operandi, seu agendi, qui sequentes includit conditiones; videlicet, ut quodvis opus fiat I. Debito tempore & ordine. II. Ut fiat integrè. III. Ut fiat diligenter, exactè, & sedulò. IV. Ut fiat libenter ac hilariter. V. Attentè, & unicè, sine cura, & solicitudine ad alia. VI. Modestè, & honestè. VII, Pacatè, & quietè, ac VIII. Resignatè, juxta dicta *Cap. 10.* per totum.

68. Quæritur III. Quænam in compendio sint Media ad cuncta perfectè agenda? Resp. Aliqua ante, aliqua in, seu sub opere servire. *Ante quodvis opus, & sub illo,* necessaria, utilissima, & præstantissima Media sunt. I. Sincerum desiderium, & efficax bona voluntas, seu propositum, perfectè agendi, quod agimus, juxta dicta *hoc Capite Num. 2.* II. Humillima sui diffidentia quoad omnia, etiam minima, juxta dicta *Num. 5.* III. Firma fiducia, seu confidentia in Deum, ejúsque gratiam, & auxilium, juxta dicta *Num. 6.* IV. Fiducialis, & humillima

lima oratio, seu invocatio gratiæ, & auxilii Divini, juxta dicta *Num. 9.* V. Perfectionem operibus nostris plurimam tribuit, si ea cum operibus Christi conjungamus, & ea intentione, qua ipse ea obtulit, offeramus, simulque in operando præ oculis tanquam exemplar habeamus opera, & actiones Christi, considerandô, quomodo, & qualiter ipse in terris vivens, hujusmodi egerit, vel egisset à *Num. 41.* VI. Ad opus perfectè inchoandum, continuandum, & perficiendum præstantissimum remedium est Memoria præsentis Dei, juxta dicta à *Num. 14.* VII. Ad opus perfectè inchoandum, continuandum, etiam necessarium, & utilissimum medium est vigilantia, ne malè, ac imperfectè agamus. Item debita coporis, & animi applicatio, seu conatus, labor, vis, & pugna, juxta dicta *Num. 17.* VIII. Valde utile, præsertim sub opere, medium est, quodlibet opus ita agere, ac si hoc unicum, & nil aliud amplius agendum esset, juxta dicta *Num. 20.* IX. Quodlibet ita agere, ac si ultimum, & totius vitæ nostræ supremum foret, juxta dicta *Num. 23.*

69. Quæritur IV. Quænam post opus sint observanda? Resp. Si opus bene successit, diligentissimè cavere debes I. A jactantia, juxta dicta *Num. 52.* II. A vanà complacentia, juxta dicta *Num. 51.* III. Soli DEO omnem laudem, & gloriam tribuere, eíque pro gratia, & auxilio præstito gratias agere debes, juxta dicta *Num. 50.*

70. Si verò opus absque tua culpa malè, & infeliciter successit, resigna te cum humilitate, & patientia in Divinam voluntatem, eáque contentus benedic, & lauda Deum, juxta dicta *Num. 63.* Quod si autem tuâ culpâ & negligentiâ res, vel opus malè successit, dole, & veniam pete, causas defectûs perpende, & emendationem propone, juxta dicta *Num. 61.*

Appendix

De Principiis practicis circa communia & ordinaria opera perfectè obeunda.

Principium I.

71. Certò supponere, & credere, quod Perfectio Religiosa

giosa plurimùm consistat in hoc; ut quis cuncta, præsertim communia, ordinaria, & quotidiana opera, & actiones etiam minimas, perfectè peragat.

Principium II.

72. DEsiderium & voluntatem efficacem, firmúmque, & constans habere propositum, cuncta etiam minima perfectè agendi, & propterea desuper de modo, & mediis sæpiùs legendi, cogitandi, & meditandi, eáque applicandi, nec cessandi, donec bene radicatum habitum, aut consuetudinem habeamus cuncta perfectè agendi.

Principium III.

73. SPeciale, firmissimum, & constans habere propositum nunc statim in juventute (utpote à qua cuncta pendent) imò hoc momento incipiendi, cuncta, etiam minima, exactè, & perfectè agere, habitúmque, seu consuetudinem imperfectè agendi eradicare, & dimittere; econtra verò plantare, & radicare habitum perfectè agendi. Et propterea etiam sequentia Principia bene observare.

Principium IV.

74. NIhil incipere, vel agere, nisi priùs quis cognoscat, & advertat, hoc velle Deum, vel placere Deo.

Principium V.

75. NIhil agere sinè bona intentione, consequenter nihil incipere, nisi quis priùs bonam intentionem faciat, vel advertat, se bona intentione, seu fine ad agendum moveri.

Principium VI.

76. ASsuescere, omnia agere ex hoc fine, & motivo, quia ita placet Deo, quia ita vult Deus, seu ex amore Dei, & voluntate, sive desiderio ipsi placendi, serviendi, ipsúmque honorandi; utpote qui omni amore, honore, & servitio dignissimus est.

Principium VII.

77. SEmper suaviter, simpliciter, humiliter attentum, vigilantem, & circumspectum esse, ne quis quid agat, & multò magìs ne habitum contrahat, absque bona intentione, fine, vel motivo, inconsideratè, vel ex sola tepida consuetudine, vel ne-

necessitate, vel ex sola inclinatione, aut impulsu naturali, vel motivo temporali agendi.

Principium VIII.

78. Specialissimè autem cavere; ne quis quidquam agat (& multò magis, ne habitum contrahat in juventute sua ita agendi) ex vana gloria, ambitione, vel hypocrisi, vel simulatione, aut desiderio hominibus vanè placendi; quòd si talem habitum in se esse cognoscit, omni conatu eum eradicare, nec momentô differre.

Principium IX.

79. Assuescere, ut quis omnia perfectè agat in præsentia Dei, juxta doctrinam, exemplar, & normam actionum Christi, utpote perfectissimarum, & Deo gratissimarum.

Principium X.

80. Sub actionibus suaviter, & humiliter cum Deo præsente conversari assuescere, eum nunc invocandô, nunc laudandô, nunc bonam intentionem ad eum renovandô, nunc de eo, & servitio illius gaudendô, vel alium pium actum, vel virtutem exercendô.

Principium XI.

81. Ea, quæ de cunctis perfectè agendis hucusque dicta sunt, sæpiùs relegere, & rememorari, simúlque conari, ut quis omnia, præsertim Principia hæc practica, in habitum, & consuetudinem successivè deducat; ad quem finem subinde quis consideret, in quo adhuc deficiat, & circa illud specialiter legere, proposita facere, remedia adhibere, meditari, & examen instituere, ídque tam diu, donec in eodem etiam sufficienter perfectum, & habituatum se agnoscat.

Principium XII.

82. Quoniam verò ista, quæ de cunctis perfectè agendis præscribuntur, perversæ, ac corruptæ nostræ naturæ, inordinatísque passionibus, & inclinationibus ejusdem, nec non pravis, per malos ac imperfectos actus contractis jam habitibus, seu consuetudinibus totaliter sunt contraria, firmissimè, & constanter proponere, cum humillima sui diffidentia, & fiducia in

in Deum, ejúsque gratiam, in invocatione ejusdem perpetuò vigilare, pugnare, & vim sibi inferre, ut quod Deum velle, eíque placere quis cognoscit, perfectè faciat, quantumvis perversæ naturæ, inordinatísque passionibus difficile, ac contrarium sit: econtra illud omittere, & vitare, quod DEO displicere cognoscit, quantumvis perversæ naturæ gratum, & acceptum sit. In hac siquidem perversæ naturæ, & inordinatarum passionū mortificatione, pugnáque contra eas spirituali, violentiâ, ac victoriâ, DEUS summè honoratur, gratia, & meritum potissimùm impetrantur.

Principium XIII.

83. Tandem pro consolatione firmiter credere, & certò supponere, quòd, licèt hactenus dicta, & adhuc dicenda actu exercere, in praxin, ac habitum deducere, ab initio difficile, molestum, ac grave appareat, & sit; attamen, si constanter quis pergit, &, quantum in se est, facit, cum tempore successivè facile, ac jucundum sit futurum, Deum conatum nostrum respiciente, & propterea majus lumen, majorémque gratiam tribuente, ipso etiam interea crescente, & experientiâ omnium rerum magistrâ manum præbente.



CAPUT XII.

De communibus & quotidianis Operibus in specie: signanter de Oratione.

IN præcedentibus Capitibus ad longum quidem dictum est, quænam requirantur, & serviant ad quodvis opus perfectè agendum, additis principiis, & praxi, quæ, si debitè observantur, incredibilem fructum afferent. Nihilominus, quia quædam opera in specie, præcipuè verò ordinaria, & quotidiana, specialem sui notitiam pro exacta eorum persolutione requirunt,

runt, de iisdem in sequentibus Capitibus agetur; præsertim, cùm juxta dicta Perfectio Religiosa plurimùm etiam consistat in perfecta, & exacta communium, & ordinariorum persolutione. Jam signanter *de oratione* ordiendô ponitur

§. I.

De Praestantia, Utilitate, & Necessitate Orationis.

1. QUandoquidem Oratio vel præstantissimus, vel certè unus ex præstantissimis, DEO gratissimis, summè necessariis, & utilibus, continuóque exercendis actibus est; meritò ante omnes alios de illa hîc agimus.

2. Quæritur ergo I. Quid, & quotuplex sit Oratio in genere? Resp. I. Quamvis Oratio ùt sic generaliter, & in sensu largiori definiri soleat cum sancto Damasceno *Lib. 3. Orthodoxæ fidei, cap. 24.* quòd sit Elevatio mentis ad Deum, qua vel petimus aliquid à DEO, vel laudamus, adoramus, & benedicimus illum, vel gratias agimus, vel cum illo loquimur, aut de eodem, vel de aliis propter eum meditamur; strictiùs tamen & in sensu magis proprio, Oratio est *invocatio Dei, seu petitio à Deo, seu est elevatio mentis ad Deum, qua aliquid petimus ab eo.* Ut proin in sensu proprio precari, & orare, nihil aliud sit, quàm ad DEUM confugere, eúmque pro auxilio aliquo, assistentia, gratia vel dono sive spirituali, sive temporali pro nobis, vel pro aliis rogare, & invocare; quamvis etiam alii actus v. g. laudis, gratiarum actionis, humiliationis, contritionis, fiduciæ &c. talem invocationem ceu orationem propriam concomitari plerumque soleant, qui tamen non nisi largô modô oratio dicuntur, quatenus nempe sunt elevatio mentis ad DEUM, utì bene advertit S. Bonaventura *de Profect. Religios. Lib. 2. cap. 62.* vel quatenus propriam orationem, quæ in petitione consistit, concomitantur.

3. Resp. II. Oratio dividitur in vocalem, & mentalem, quibus addunt aliqui mixtam. *Vocalis* est, qua non tantùm mente, sed

sed etiam ore, & linguâ DEUM invocamus; rogamus, vel laudamus. *Mentalis* est, qua absque labiorum motu, & usu linguæ, sola mente internè hoc facimus. Utraque dividitur; & quidem vocalis, in publicam, & privatam. *Publica* est, quæ nomine totius populi; vel Ecclesiæ peragitur, utì v. g. dum Ecclesiastici Horas Canonicas persolvunt. *Privata* est, quam quivis pro arbitrio suo, & devotionis spiritu, vel jam priùs ab aliis formatam facit; vel quam ipsemet sibi ex privato spiritu, & devotione format. Et hinc oratio privata adhuc dividitur in *formatam*, & *non formatam*, juxta dicenda infra *Num. 27.*

4. Quæritur II. Quanta sit præstantia Orationis? Resp. Præstantia & dignitas Orationis cujuscunque, si bene fit, sanè maxima, & admirabilis est; mirabilia enim sunt, quæ de illa scribunt SS. Patres: omissis aliis solus adducitur S. Chrysostomus *Tom. 6. Serm. 2. de Oratione*, ubi demonstrat, quòd nullum officium, & nullus actus homini tam gloriosus, ac honorificus sit, quàm Oratio; utpote vi cujus homo vilissimus vermiculus cum Deo, immensa illa Majestate loqui, familiariter conversari, agere, & tractare semper, & ubique potest, quoties vult, quando vult, quomodo vult, & quamdiu vult, & ab eo petere, ac obtinere, quidquid vult, Deô ad præbendam audientiam, & exaudiendum orantem semper paratissimô, & promptissimô. Si enim pro magna gratia reputaret, honorique, ac gloriæ sibi duceret, & felicissimus ab aliis æstimaretur ille, qui apud terrenos Reges & Principes liberum semper accessum, & benignam haberet audientiam; cum eis familiariter loqui, & conversari, pro se, & aliis rogare, & obtinere posset, quando, & quid vellet: quantò magis pro summa gratia, gloria, & honore æstimare, ac se felicem reputare debet quivis, quòd hoc sibi liceat apud summam illam Majestatem, Regem Regum, Dominum coeli, & terræ. Certè, sicut infinitè major est Majestas Divina, ita infinitè major est gratia, honor, gloria, & felicitas orantis; præsertim, cùm præter infinitam Majestatem, etiam omnipotens, & ter optimus, nostrique amantissimus, atque ad dandum, & adjuvandum promptissimus

simus sit DEUS noster, consequenter facillimè possit, perfectè sciat, & libentissimè velit nos juvare in omnibus, quæ petimus, & desideramus; in quo terræ Reges etiam potentissimi deficiunt, utpote qui sæpissimè vellent, sed nec se, nec alios juvare possunt.

5. Colliges, plurimùm errare illos, qui summam hanc orationis præstantiam, & dignitatem, gratiam, & felicitatem nunquam, aut non nisi rarò, & obiter considerant, indéque parùm, aut minùs debitè apprehendunt, & æstimant, imò in re, & effectu vilipendunt, & quasi malum, ac odiosum quid aversantur, adeò, ut, quantùm possunt, orationem fugiant, & declinent, vel, ubi non possunt, saltem deproperent, parati, ac prompti, omne aliud potiùs & libentiùs agere, quàm orare. Vesania sanè grandis est, & uti advertit S. Chrysostomus *Tom. 6. Serm. 1. de Orat. Ipsum hoc maximum insipientiæ signum, ignorare magnitudinem honoris, neque amare preces, neque mortem putare animæ, non adorare Deum:* præsertim, cùm oratio sit actus non tantùm gloriosus, & honorificus, sed etiam, ùt statim dicetur, utilissimus, facillimus, & jucundissimus.

6. Quæritur III. Quanta sit utilitas Orationis? Resp. Orationis fructus & utilitas est tanta, ut nec verbis explicari, nec mente concipi valeat, adeóque pro ea sola condignè enarranda, & explicanda integer tomus non sufficeret; prout etiam plures SS. Patres & Ascetæ integros libros de utilitate, & fructibus orationis ediderunt: ex quibus aliqua saltem breviter communicantur, ut orationem eò magis debitè æstimare, amare, & frequentare discatis Amandissimi Tyrones Religiosi!

7. *Primò* itaque Oratio specialiter placet DEO, utpote qua plurimùm honoratur, & propterea omnino vult orari, & invocari, secundùm illud *Judith. 9. v. 16. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* item: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* ait ipse Dominus *Psalm. 49. v. 15.* & ibid. ℣. *final. Sacrificium laudis* (quæ ordinariè orationi est conjuncta) *honorificabit me. Valde Deus delectatur in hoc* (inquit S. Bonaventura

Lib. 2. de Profect. Religios. cap. 69.) *quod frequenter oratur.*

8. *Secundò.* Oratio hoc ipso, quod sit elevatio mentis ad Deum, & locutio, ac conversatio cum ipso, unit, & conjungit DEO, eique inhærere, ac intendere nos facit, nec non sanctam cum ipso familiaritatem causat, & quidem eò magis, quò frequentiùs oratio adhibetur; quid autem utilius hoc fructu? S. Bonavent. locô mox citatô hunc orationis fructum extollens, ait; *quòd summè est homini utile inter omnia, juxta illud: Maria optimam partem elegit.*

9. *Tertiò.* Mediante Oratione acquiritur copiosum lumen, & cognitio DEI, ac Divinorum, omniúmque ad salutem scitu nobis necessariorum, ac utilium, & quidem magìs, quàm quovis studio. Hinc S. Jacobus in sua Epist. *cap. 1. v. 5. Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Et S. Laurentius Justinianus *de Orat. c. 4. Orationis virtus*, inquit, *hominem illuminat: nam & oratione meliùs solvuntur dubia, quàm inquisitione alia, citiùsque panduntur secreta precibus, quàm studio.* Hinc David in Psalmis toties oravit, & rogavit à Deo doceri, & instrui, ac illuminari, utì patet ex *Psalm. 118.* quem quotidie pro Horis Minoribus recitamus, utpote in quo solo persæpe orat, & invocat DEUM pro illuminatione, & cognitione Divinorum Judiciorum, Legum, Justificationum, Mandatorum, & aliorum. Magna illa Ecclesiæ Lumina DD. Seraphicus, & Angelicus, S. Bonaventura nempe, & S. Thomas Aquinas, de seipsis fassi sunt, se doctrinam, & scientiam suam magìs oratione, quàm studio, ac labore acquisivisse.

10. *Quartò.* Oratio magìs, quàm quidquid aliud, servit ad extirpanda vitia, ad superandas tentationes, ad fugandum dæmonem, & ad evadendas ejusdem insidias. S. Bonaventura *de Perfectione vitæ ad Sorores. cap. 5.* dicit: Tantæ efficaciæ est *Devotionis* „virtus, ut ipsa sola hostis maligni „devincat tentamenta, & versutias Diaboli: & allegans S. Isidorum, pergit: „Hoc est Remedium ejus, qui vitiorum tentamentis æstuat: quoties quolibet vitio tangitur, toties se „ad orationem subdat; quia frequens

„quens oratio vitiorum impu„gnationem extinguit. Unde amanter nos monet Christus *Matth.26.v.41.Vigilate,& orate,ut non intretis in tentationem.* Imò,ut ad superandam quamcunque tentationem semper recurramus ad orationem, notanter posuit inter alias petitiones orationis Dominicæ, *Et ne nos inducas in tentationem.* id est,ne derelinquas nos in tentatione,*sed libera nos à malo.* seu, adjuva nos gratiâ tuâ, ut non cadamus in malum, peccatum nempe, quod solum propriè malum est. S. Laurentius Justinianus *Lib. de interiori conflictu.c.10.* ait: *Nil profectò sic terret Leviathan, sicut orationis crebra instantia, atque deprecantium devota suspiria: æquè orationis, quemadmodum gehennæ crematur incendiis.*

11. *Quintò.* Oratio est efficacissimum remedium ad devotionis spiritum, & quascunque virtutes acquirendas,vitámque nostram perfectè ducendam; quod paucis complectitur S. Augustinus *Homil. 4.* dicens: *Verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare.* Abbas Isaac apud Cassianum *Collat. 9. cap. 2.* ait: *Ad orationis perfectionem omnium tendit structura Virtutum.* Et à S. Climaco *Grad.28.* vocatur Oratio *omnium virtutum cibus, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus invisibilis, nutrimentum animæ &c.* Consonat,quod Christus revelavit S. Catharinæ Senensi illis verbis: *Noveris filia charissima! quòd in oratione humili, continua, & fideli, cum vera perseverantia, lucretur anima perfectionem, & omnem virtutem.*

12. *Sextò.* Est Oratio omni tempore & loco universale,præstantissimum, & efficax remedium ad omnia mala, sive corporalia, & temporalia, sive spiritualia, sive communia, sive specialia, sive magna, sive parva, sive nostra, sive aliena avertenda, & depellenda, & econtra ad omnes gratias, omniáque dona, & bona naturalia, & supernaturalia, temporalia, & spiritualia obtinenda. S. Bonav. *de Profect. Relig. Lib. 2. cap. 66.* multa ex Divinis literis adducit exempla, quantæ gratiæ à DEO per Orationem fuerint impetratæ, unde de ea concludit: *Breviter omnia contraria saluti reprimit, & necessaria confert, & conservat, & perficit.* Et *de Perfect. vitæ ad Sorores. cap. 5.* „Est autem tantæ virtutis „devota oratio, ut ad omnia va„leat; & in omni tempore homo

„possit per eam lucrari, in hy-„eme, in æstate, in sereno, & in „tempore pluviali: imò in qua-„cunque hora lucratur homo „oratione devota plus, quàm „valeat totus mundus. Confor-„miter S. Chrysostomus *Homil. „5. de Incomprehens. Dei nat.* in-quit: „ Oratio est Thesaurus „certè perpetuus, Divitiæ inex-„haustæ, portus quietus, occa-„sio tranquillitatis, denique au-„ctor, parens, fons, & radix bo-„norum omnium, & innumera-„bilium.

13. Nec tantùm pro se, & pro bonis particularibus, sed & pro aliis, pro integra Communitate, Provincia, & Regno, imò pro toto orbe, bona etiam grandia obtinere, vel etiam mala præsentia, aut impendentia ab eis avertere quis valet per orationem debitè institutam; hinc illa verba S. Chrysostomi *Serm. 2. de Orat. Age dicam vobis. Quoties per gentes & civitates, & quoties totum orbem justorum preces salvârunt? Vides, quantùm valet oratio & deprecatio?* Hinc quoque venit, quòd Orationis efficaciam scientes, & æstimantes perfectiores animæ, magna cum fiducia, non tantùm modica, sed etiam maxima, & summè ardua, tam pro se, quàm pro aliis v. g. pro conversione Regnorum, imò totius mundi, pro reformatione totius Ecclesiæ, Religionis, Provinciæ, pro translatione Regnorum, quatenus Ecclesiæ conducit &c. orare soleant, quod DEO etiam admodum placet: quia taliter manifestè ostendimus, nos tantopere sentire de infinita omnipotentia, sapientia, & bonitate Dei, ut difficillima, summè ardua, maxima, & mirabilia æquè faciliter facere, aut dare possit, & sciat, atque libenter velit, ac minima, dummodo vera fide, ac, prout oportet, oremus: utì ipse testatur *Joan. 14. v. 13. Quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Item *Luc. 11. v. 9 & 10. Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit, accipit &c.* Item *Marc. 11. v. 24. Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.*

Nec dicat aliquis, multi multa petunt, & tamen non exaudiuntur. Resp. Tales aut non debitè orare, aut locò illius, quod petunt, quid melius, ac utilius obtinere, juxta illud S. Bernardi *Lib.*

Lib. medit. cap. 6. ubi ait: *Unum è duobus indubitanter sperare debemus, quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius.* (intellige) si rectè oratur.

14. Porro illud quoque de efficacia, & utilitate orationis considerandum, quòd per eam non tantùm omnia obtinere, sed etiam, quòd citiùs, & faciliùs per eandem, quàm per alias bonas actiones ea impetrare valeamus, uti experientiâ in se, & in aliis doctus observat S. Bonav. *de Profect. Relig. c. 65.* dicens: „Multiplex est orationis utilitas, „quibûs etiam alias bonas actio„nes ipsa excellit. Prima, quia „faciliùs & citiùs per eam impe„tramus, quæ à Domino desi„deramus, ita, ut quandoque ci„tiùs brevi oratione aliquis ob„tineat, quod diutiùs jejuniîs, „vel aliîs laboribûs, & piîs ope„ribûs vix obtineret: licèt & „alia bona opera ad hoc aliqua„tenus suffragentur, unde in o„mni casu, in omni periculo, „pro omni desiderio desidera„to, semper inveniemus Sanctos „principaliter ad orationis subsi„dium refugisse, quasi ibi prom„ptiùs, quod petebant, conse„cuturi.

15. Quæritur IV. An, & qualis sit necessitas Orationis? Resp. Non tantùm summè utilis, sed etiam summè necessaria est oratio ad omnia. Et quidem *Inprimis* summè necessaria est ad vitia extirpanda, & vitanda, insidiásque, & tentationes dæmonis, mundi, & carnis superandas. Nam teste S. Thoma *p. 1. Histor. S. Dominici. Lib. 3. cap. 37. Sicut miles sinè armis ludibrium est hostibus, utpote quibus neutiquam nocere, facilè autem ab eis superari potest; ita homo sinè oratione, cùm se contra insultus dæmonum tueri non valeat, haud difficilè ab eis vincetur, & subjugabitur.* Unde S. Bonaventura *de Perfect. vitæ ad Sorores. cap. 5.* ait: „Non est mirum, si tentationi„bus succumbat frequenter mi„serabiliter, qui studium oratio„nis non frequentat. Qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ait S. Bernardus *in Quadrag. Serm. 5.* „ut tam multis tenta„tionibus resistere valeamus? „propterea rogo vos fratres, ut „semper ad manum habeatis tu„tissimum orationis refugium.

16. *Secundò.* Summè, & absolutè necessaria est ad Perfectionem Religiosam, & virtutes tam acquirendas, quàm conservan-

 das,

das, nec non ad quodvis rectè agendum, adeò, ut sine omni alio signo, aut probatione, de quolibet, qui orationi addictus non est, jure merito judicari & dici possit, in eo non esse, nec fore solidam aliquam virtutem, aut perfectionem, aut aliud quid præclarum; bene verò omnis generis imperfectiones, tepiditates, innumera venialia, ac successivè etiam gravia peccata, talémque versari in gravi animæ periculo, prout continuâ experientiâ, & unanimi Patrum consensu comprobatur, ex quibus notabiles aliquos textus adducemus.

17. Sanctus Pater noster Franciscus, ùt scribit Pisanus *Lib. 1. Conform. fructu 12. c. 5. Orationis gratiam viro Religioso desiderandam firmiter asserebat, nullum dicens sinè ipsa in DEI servitio prosperari: unde modis omnibus fratres ad orationis studium inducebat.*

18. S. Bonaventura *de Perfect. vitæ ad Sorores. cap. 5* ait: „Cupienti proficere, supra modum „est necessarium, ut assiduis orationum studiis, & devotionibus „animum suum exerceat: quia „revera Religiosus orationem „non frequentans assiduè, non „solùm est miser, & inutilis, quinimo coram DEO fert animam mortuam in vivo corpore.

19. S. Chrysostomus *Tom. 6. Serm. 1. de Orat.* „Quando aliquem video non amare preces, „neque fervere earum amore „vehementi, jam mihi certum „est, quòd ille nihil generosum „in anima sua possideat: quisquis enim non adorat DEUM, „neque Divinô colloquiô frui „desiderat, verè mortuus est, & „animâ caret & rationis non est „compos. Item *Serm. 2. de Orat.* „Si animabus auferantur precationes, perinde est, sicut si piscem ex aqua extraxeris, nam, „ùt illi vita aqua, ita animæ preces. Idem *Tom 2. Homil. 68.* „Sicut radix necessaria est, ut vigor, viror, sapor, & quidquid „est aliorum bonorum, ad arborem transmittatur: & sicut „fundamentum necessarium est „ad universam fabricam sustinendam, ita etiam oratio necessaria est ad vigorem spiritûs, & florem virtutum, nec „non ad corroborandam perfectionem in anima. Idem *in eod. loco*: „Arbitror, cunctis esse „manifestum, quòd simpliciter „sit

„sit impossibile, absque precationis præsidio cum virtute degere, cúmque ea vitæ cursum peragere.

20. *Tertiò*. Sicut juxta dicta *Num. 12.* generaliter ad omnia utilis, ita ad omnia etiam necessaria est Oratio: quod S. Vincentius Ferrer. *Serm. 6. Dom. 5. post Trinit.* ita testatur: *Sciendum, quòd inter omnia opera, quæ possumus in hoc mundo facere, necessaria est devota Oratio ad Deum.* Ratio autem est; quia, cùm fide certum sit, quòd ex nobis solis prorsus nil possimus, nec quidquam boni habeamus, vel habere valeamus; sed in omnibus, & per omnia dona, & bona, actiones, & opera dependeamus à DEO, vult DEUS, ut humili oratione in omnibus recurrentes ad ipsum, fateamur nostram insufficientiam, & dependentiam ab eo, simúlque demonstremus fidem, & confidentiam in ejusdem omnipotentiam, & bonitatem: hinc licèt Deus, utpote infinitè bonus ex se, aliàs ad dandum, & succurrendum nobis promptissimus sit, innumeráque dona, gratias, & auxilia nobis dare ab æterno jam determinaverit; illa tamen sæpe non nisi dependenter ab oratione elargiri solet; nam, ùt ait D. Thomas *2. 2 q. 83 a. 2* „Non propter hoc oramus, ut Divinam „dispositionem immutemus, sed „ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorũ „esse implendum. Obtineri, teste S. Gregorio *L. 1. Dialog. c. 8.* nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt, sed ea, „quæ sancti viri orandô efficiunt, „ita prædestinata sunt, ut precibus obtineant, quatenus postulandô mereantur accipere, „quod omnipotens Deus ante „sæcula disposuit donare. Et hinc ob dictam hactenus tam magnam orationis præstantiam, utilitatem, & necessitatem venit, quòd tam Sacræ Paginæ, quàm SS. Patres non tantùm ad frequentem, sed etiam in certo sensu ad continuam orationem tantopere nos adhortentur, prout patebit ex dicendis infra *Num. 129. & seq.* Ex his autem

21. Colliges I. Quantùm æstimare, & amare debeas orationem, ac quantopere eâ uti; cùm juxta dicta, Deo gratissima, & acceptissima, tibi verò pro te, & aliis, in omnibus, & ad omnia, utilissima, & necessaria, simulque, ut infra dicetur, facilis,

lis, & jucunda sit. Colliges II. Gravissimam deceptionem, errorem, & quasi insaniam eorum, qui orationem tanquam malum fugiunt, negligenter, & perfunctoriè persolvunt, aut omnino negligunt.

§. II.

De Oratione Vocali tam publicâ, quàm privatâ.

22. POstquam de Oratione in genere, ejúsque præstantia, utilitate, & necessitate, in præcedenti Paragrapho sufficienter locuti fumus, exigit ordo debitus, ut etiam de orationibus in specie loquamur, hinc in præsenti Paragrapho de Oratione Vocali in specie agemus.

23. Quæritur I. Quid, & quotuplex sit Oratio Vocalis? Resp. I. Oratio vocalis est elevatio mentis, & locutio ad Deum, quâ ore, & mente interna simul; Deum pro nobis, & aliis invocamus, & rogamus, vel concomitanter etiam laudamus, & eidem gratias agimus, vel illum deprecamur, aut alium similem actum verbis ore, vel linguâ expressis elicimus. Dicitur notanter primò: *ore, & mente simul*; licèt enim Oratio Vocalis dicatur talis, quia ore, linguâ, ac voce peragitur, ad eam tamen necessariò etiam requiritur attentio, & correspondentia interna mentis, adeò, ut, si hæc desit, vera oratio non sit, nec dici possit, sed sit potiùs mera materialis blateratio, similis illi, quam psittacus cicuratus profert, indéque nec Deo grata, nec nobis fructuosa, sed potiùs illi injuriosa, & nobis damnosa, utpote peccaminosa existat, Deum ad indignationem, & puniendum magis, quàm ad misericordiam, & largiendum provocans.

24. Dicitur secundò: *qua Deum invocamus, rogamus, & concomitanter etiam laudamus*; quia sicut juxta dicta *Num. 2.* Oratio ùt sic, ita & Oratio vocalis in specie, quà oratio strictè sumpta, principaliter consistit in petitione, & invocatione DEI, adeò, ut, licèt plerumque etiam actus laudis Divinæ, gratiarum actionis, contri-

tritionis, deprecationis, adorationis, aut alios similes actus admixtos habeat, ùt videre est e. g. in Horis Canonicis; hi tamen actus strictè, & propriè oratio non sunt, sed minùs propriè, & concomitanter, quatenus nempe orationem propriam concomitantur, & cum ipsa conjuncti simul oratio dicuntur: licèt orationem multùm perficiant, & præstantiorem reddant.

25. Resp. II. Oratio vocalis dividitur in publicam, & privatam. *Publica* est, quæ nomine totius Ecclesiæ, seu populi Christiani fit à Ministris Ecclesiæ ad hoc deputatis, Clericis nempe, & Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, quibus tanquam specialibus, & primariis ministris suis certas preces præscribit Ecclesia, ut suo Nomine, & pro toto populo Christiano eas quotidie ad DEUM fundant, ita tamen, ut nulli præfatorum Ministrorum liceat preces illas immutare, nec addere eis aliquid, nec demere; sed debeat quivis illas de verbo ad verbum, prout Ecclesia dictante & inspirante Spiritu Sancto præscripsit, devotè, & exactè persolvere. Hujusmodi oratio publica sunt Horæ Canonicæ, seu Officium Divinum, Orationes, & Actus in Sacrificio Missæ, in Processionibus publicis &c.

26. Et circa has publicas Orationes notandum, quòd tales sint, & nomine orationis publicæ veniant, non tantùm, si in publica Ecclesia, vel Choro, sed etiam si in privato loco ab uno solo Clerico, vel Sacerdote persolvuntur: v. g. si Parochus in sua domo, Religiosus in sua cella, Breviarium devotè recitat; quia etiam tales, ac in tali loco Nomine Ecclesiæ preces ab eadem præscriptas, consequenter publicas, persolvunt.

27. Oratio vocalis *Privata* est, quam quivis facit, non ùt Ecclesiæ Minister, nec nomine ejusdem, sed ex privata sua devotione pro libitu, & arbitrio suo facere, vel omittere, mutare, & variare potest. Hæc subdividitur in jam priùs à se, vel ab alio formatam, certísque verbis compositam, ex libello v. g. vel aliunde desumptam, & in illam, quam certis verbis ordinatè recitandis priùs non compositam, ex proprio affectu, & devotione, diversimode pro diversitate necessitatis, indigentiæ, dispositionis,

tionis, devotionis, vel aliarum circumstantiarum facere quivis potest.

28. *Prioris generis* orationes sunt Oratio Dominica v. g Salutatio Angelica, Rosarium, Lytaniæ, & aliæ preces in libellis contentæ. *Posteriori modò* quis orat, dum familiariter cum Deo conversatur suis verbis, proprio affectu prolatis, vel si etiam verbis alienis suo affectui consonantibus utitur, córque suum coram DEO præsente effundit, jam suas necessitates proponendô, jam auxilium & assistentiam invocandô, nunc peccata sua confitendô, nunc misericordiam postulandô, modò sperandô, modò se resignandô &c. Qui orandi modus valde excellens est, hoc ipso, quòd ex mente, & fervore interno proficiscatur: unde etiam tam diu prosequi expedit, quamdiu conceptus fervor, vel devotio exigit. Solet autem hic orandi modus à quibusdam sæpiùs, & magis sola mente interna, & cogitationibus, quàm verbis ore prolatis fieri.

29. Quæritur II. Quantæ dignitatis & utilitatis sit Oratio publica? Resp. I. Quæcunque superiùs *à Num. 4.* de dignitate, & utilitate orationis in genere diximus, etiam de oratione publica, utpote vera orationis specie verificantur, quia, quæcunque conveniunt generi, etiam speciei convenire necesse est.

30. Resp. II. Præter dignitatem, & utilitatem cuivis orationi communem, Oratio publica, præsertim Officium Divinum, seu Horæ Canonicæ, plura specialia habet, quæ præstantiam, & utilitatem illius extollunt, & summam de illa æstimationem in nobis meritò generare debent.

31. Et quidem *primò*. Quia oratio ista publica Horarum Canonicarum principaliter consistit in laude, glorificatione, & cultu DEI, ejusdémque adoratione, gratiarum actione, aliísque variis virtutum actibus, in laudem, gloriam, & honorem illius redundantibus, quos exercere, munus planè cœleste, & Angelicum est. Unica enim, & tota occupatio Angelorum est, Deum, quem visione beatifica infinitè bonum, amabilem, & laudabilem agnoscunt, amare, de

de ejus infinita felicitate gaudere, ipsum adorare, benedicere, laudare, & glorificare &c.

32. *Secundò*. Quia verba, & sensus hujus laudis Divinæ, aliorúmque actuum, sunt ab ipso Spiritu Sancto mediante Ecclesia Sponsâ suâ facta, & dictata, consequenter laus, & actus præstantissimi, & DEO gratissimi, homini utilissimi, & maximè consolatorii: nam quæ laus, quæ gratiarum actio, quæ oratio &c. præstantior, DEO acceptior, & utilior, quàm illa, quam DEUS ipse dictavit? quid magis homini consolatorium, quàm certò scire, hoc modo, hîs ipsîs verbîs, hac laude, hîs Psalmîs, hîs Psalmorum versibûs, hac oratione &c. velle laudari, honorari, & invocari DEUM. Profectò, si quis Regem, vel Principem terrenum laudare, honorare, & invocare volens, certò sciret verba, & modum, qui ei gratissimus, & summæ complacentiæ foret, procul dubio plena consolatione, & fiducia talem modum, & talia verba in eo laudando, honorando, invocando, omni cum diligentia adhiberet. Dum econtra qui nescit, quæ verbá, quis modus Principi gratus, & acceptus sit, curam, & sollicitudinem, quid, & quomodo proferre debeat, habere solet, semper timidus & anxius, an non plùs displiceat, quàm placeat, & disgratiam potiùs, quàm gratiam Principis mereatur.

33. *Tertiò*. Quia oratio publica nomine ipsius Ecclesiæ, ac pro illa principaliter fit, ita, ut illam persolvens tanquam Legatus ad Deum, nomine, & locò totius Ecclesiæ, seu Populi Christiani, & pro eadem modô, & verbîs ab ipso Spiritu Sancto dictatîs, DEUM laudet, adoret, glorificet, eíque gratias agat; quod planè quid præstans, DEO acceptum, summè utile, ac meritorium esse perspicuum est.

34. *Quartò*. Quia oratio publica Horarum Canonicarum præsertim in Psalmis, est plena diversîs virtutibûs, & pulcherrimîs textibûs, qui partim erudiunt, partim excitant ad devotionem, & virtutes, nunc laudis, nunc amoris, nunc gaudii, & exultationis in Domino, nunc sancti timoris, contritionis, & odii erga peccatum, nunc spei, & fiduciæ &c. ita, ut publicam Horarum Canonicarum orationem devotè, & attentè recitantes, sæ-

pe majorem consolationem, & animæ fructum sentiant, & percipiant, quàm in aliqua etiam ritè instituta meditatione, aut contemplatione. Imò aliqui tantam consolationem, & gaudium in Deo habent in persolvendis Horis Canonicis, ut fatigati ex studiis, vel aliis laboribus, persolutionem Horarum Canonicarum, tanquam dulcissimum, & jucundissima varietate refertum cum præsenti Deo discursum, ac conversationem, pro sancta refocillatione, ac quiete reputent; sicut alii post labores quærunt, & habent in discursu, & distractione cum hominibus.

35. *Quintò.* Quia per orationem publicam Horarum Canonicarum, si in Choro persolvitur, laudatur Deus modô prorsus Angelicô; siquidem & Angeli per modum Chori DEUM laudant: nam, utì vidit Isaias Propheta *cap. 6. v. 3. Clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Scribit etiam Socrates *Lib. 10. Histor. cap. 9.* quòd S. Ignatius Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus, & Apostolorum Discipulus, in visione viderit, & audiverit Angelos hymnis alternatim decantatis, laudare SS. Trinitatem, & propterea in sua etiam Ecclesia hunc alternis Choris DEUM laudandi modum introduxerit. Unde illud commune Ascetarum dictum: *Quod Angeli faciunt in cœlo, hoc Religiosi faciunt in Choro.* indéque Chorus fit cœlum in terra, & propterea, qui fugiunt Chorum, fugiunt cœlum.

36. *Sextò.* Quia eadem Horarum Canonicarum oratio publica, dum in Choro peragitur, est unita, & conjuncta, & hoc ipso DEO gratior, atque ad quodvis obtinendum efficacior, virtute præsertim, & devotione unius supplente quodammodo defectum, & imperfectionem alterius; virtus enim unita in omnibus fortior. Habet insuper Divina Majestas specialem complacentiam in iis, qui in Nomine, & pro honore DEI uniti sunt: (quales utique sunt, qui ad laudandum, & invocandum DEUM congregantur) adeò, ut in medio eorum esse, & eos specialiter exaudire promittat Christus *Matth. 18. v. 20.* dicens: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in*

medio

medio eorum. Et *ibid. v. 19. Dico vobis, quia, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cœlis est.*

37. Porro, quàm grata sit Deo hæc laus, & oratio in Choro, patet ex miraculosa visione, qua cuidam in Ecclesia pernoctanti sequentia dixit Angelus: Dicas Superiori, ut curet in Choro Horas Canonicas lentiùs recitari; quia nihil in Ecclesia post usum, & cultum Sacramentorum DEO gratius est recitatione Horarum Canonicarum.

38. Quæritur III. Qualis sit necessitas Orationis publicæ? Resp. Quamvìs non respectu omnium, tamen respectu Ecclesiasticorum tam Sæcularium, quàm Regularium, est necessitas, orationem publicam, præsertim Horas Canonicas persolvendi, utpote ad quas sub peccato mortali tenentur; prout magìs in Theologia.

39. Cæterùm ex dictis Colligetis I. Quantùm semper æstimare, & amare, quantáque reverentiâ, & diligentiâ persolvere debeatis orationem publicam, præsertim Horarum Canonicarum, utpote, quæ præter prærogativa cuivis orationi communia, tot, & tanta prærogativa specialia dignitatis, præstantiæ, & utilitatis habet.

40. Colligetis II. Quòd adhuc magìs æstimare, & amare debeatis eandem orationem, & laudem Divinam, dum in Cho ro persolvitur; quia tunc præter communia, & specialia prærogativa, etiam illud habet, quòd modô Angelicô, & cœlestî persolvatur, simúlque ob sanctam cum aliis unionem, & conjunctionem fortior, ad impetrandum efficacior, Deóque gratior existat.

41. Colligetis III. Quòd Chorum tanquam cœlum in terris amare, indéque illum libentissimè frequentare, & audientes campanæ signum, ad eundem statim properare, atque in illo vestrum gaudium, & consolationem habere debeatis, ab eo nunquam, nisi ex obedientia, aut inevitabili necessitate impediti, vos subtrahentes.

42. Colligetis IV. Quàm graviter errent, quantùm decipiantur, quantúmque damnum, & jacturam incurrant I. Qui debitam æstimationem de oratione publica non habentes, eandem

dem tepidè, distractè, & indevotè, negligenter, & irreverenter, vel properanter persolvunt.

43. II. Qui Chorum, & orationem, laudémque Divinam publicam in eodem debitè non æstimant, vel debitè æstimantes, eandem, dum possent, & deberent, non frequentant, sed illum ex frivolis, aut fictis causis declinant, vel ad eundem serò veniunt, vel ab illo ante finem recedunt, vel finem inordinatè desiderant, & hinc in psallendo properant, vel pausas debitas non observant, aut aliis devotè, ac debitè psallentibus indignantur.

44. Quæritur IV. An, & quantæ præstantiæ, utilitatis, & necessitatis sit Oratio vocalis privata? Resp. I. Omnia, quæ de dignitate, præstantia & utilitate orationis in genere diximus supra à *Num. 4.* usque ad *Num. 22.* etiam de Oratione vocali privata, utpote vera aliqua orationis specie, intelligenda esse, adeóque per ipsam (si bene persolvitur) pariter etiam I. Specialiter Deus honoratur. II. Fit sanctissima cum ipso unio., & conjunctio. III. Acquiritur speciale lumen, & cognitio Dei, ac Divinorum nobis necessariorum, ac utilium. IV. Ipsa quoque est efficax remedium ad extirpanda vitia, vincendas tentationes, fugandos dæmones, eorúmque insidias evitandas. V. Est medium efficax ad spiritum devotionis, & virtutes acquirendas. VI. Universaliter servit ad quævis mala depellenda, & cuncta bona obtinenda.

45. Colliges, errare, & plurimùm decipi illos, qui nullam, vel modicam de oratione vocali privata æstimationem habent; cùm juxta dicta, si bene peragitur, sit summæ dignitatis, & utilitatis.

46. Resp. II. Licèt Oratio vocalis non semper, nec ad omnia sit necessaria, aliquoties tamen ipsa quoque necessariò adhiberi debet. Ratio primæ partis est; quia, etsi juxta *Num. 15.* superiùs, aliqua oratio indeterminatè ad omnia sit necessaria, nulla tamen in specie, consequenter nec oratio vocalis privata, semper est necessaria; sicut etiam nec oratio vocalis publica, nec oratio mentalis semper, & ad omnia necessaria est, sed potest necessitati ora-

orationis quoad multa satisfieri nunc per vocalem, nunc per mentalem.

47. Altera pars, quòd saltem aliquoties etiam oratio vocalis privata necessariò adhiberi debeat, patet tum ex institutione Christi, qua Discipulos docuit Orationem Dominicam, & voluit, ut eam orarent: *Matth. 6. v. 9.* tum etiam ex communi sensu Ecclesiæ, quæ dicit: *Præceptis salutaribùs moniti & Divina institutione formati audemus dicere: Pater noster &c.* tum etiam; quia homines subinde nec ad orationem internam, nec ad orationem vocalem publicam sunt ex se apti, vel dispositi: ergo ad orationem vocalem privatam, vel formatam, ex certis verbis compositam, vel ad non formatam, pro libitu, & devotione formandam recurrere debent, hoc ipso, quòd aliqua saltem oratio ad cuncta sit necessaria.

48. Quæritur V. Quænam Orationes privatæ cæteris sint præstantiores; quibus item, & quantùm eisdem vacare expediat? Resp. I. Inter orationes vocales privatim faciendas, optima, & præstantissima est Oratio Dominica *Pater noster*, ac Salutatio Angelica *Ave Maria*. Et quidem de Oratione Dominica *Pater noster*, unanimis est sensus SS. Patrum, quòd ipsa omnium sit præstantissima, DEO gratissima, & efficacissima: tum, quia hæc oratio ab ipsa æterna Sapientia, ac D. Magistro Christo est facta, docta, & præ aliis commendata *Matth. cit. cap. 6. v. 9.* tum, quia breviter in compendio, & quidem mirabili, ac sanctissimo ordine omnia continet, quæ rectè petere possumus, ac debemus. *Si per omnia*, ait Augustinus *Epist. 121. precationum sanctarum verba discurras, quantùm existimo, nil invenies, quod non ista Dominica contineat, & concludat Oratio.* Dionys. Carthus. *in 6. cap. Matth. art. 13.* inquit: *Tanta est hujus Orationis Dominicæ profunditas in sensu, fœcunditas in mysteriis, efficacia in effectu, & artificialitas in ordine, ut nemo capere queat, vel eloqui.*

49. Inter alia hujus Orationis prærogativa, illud meritò in specie adducitur, quòd teste S. Augustino, & Cæsareo Arelatensi, deleat etiam peccata quotidiana venialia, si compuncto, & contrito corde recitetur: ex quo infertur, quòd hæc Oratio summè

mè semper æstimanda, atque sæpe omni possibili cum reverentia, attentione, & fiducia sit recitanda.

50. Resp. II. Post Orationem Dominicam, præstantiâ, efficaciâ, & utiliate reliquas orationes privatas superat Salutatio Angelica *Ave Maria;* quia Deus singulare beneplacitum habet, si honoratur in, & per B. V. Mariam, ac per eam invocatur: vúltque specialiter, ut eam honoremus, & invocemus, ipsáque mediante auxilia, dona, & gratias impetremus: prout innumerîs miraculîs, & beneficiîs, quæ per intercessionem B. V. Mariæ continuò confert, apertè demonstrat.

51. Commendatur ob eminentiam Authoris, à quo provenit hæc Oratio: nam *Ad hanc Salutationem* (ait Cardinalis Bona *de Divin. Psalmodia. cap. 16. §. 2.*) *conceptissimis verbis componendam, totius Trinitatis dignatio intervenit:* utpote quæ per Archangelum Gabrielem B. V. Mariam illis verbîs salutari voluit: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* quæ ultima verba utique instinctu Divino, dum visitatur, S. Elisabeth iterum repetiit, simúlque addidit excellentissima alia, per quæ cum matre præcipuè etiam laudatur, extollitur, & benedicitur Filius, dicendô: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Quibus sancta Mater Ecclesia, Spiritu Sancto illustrata, dulcissimum, & ad cuncta potentissimum, & efficacissimum addidit Nomen *JESUS*, simúlque devotissimam, humillimam, & efficacem adjunxit precationem ad eandem B. V. Mariam: *Sancta Maria Mater Dei &c.*

52. Porro, quàm grata, & accepta sit ipsi B. V. Mariæ Salutatio Angelica, quámque efficax ad impetrandum, pleni sunt libri; ex quibus illud afferre sufficiat, quod ipsa B. V. Maria ad sanctam Mechtildem dixit: huic siquidem aliquando in extasin raptæ apparuit eadem B. Virgo Maria, in pectore aureîs literîs scriptum habens *Ave Maria:* & Sanctam Mechtildem ita alloquens: *Filia! quid cogitant homines, quòd me tam diversis orationibus, & canticis honorent? putántne se meliùs, majoríque laude, & honore me afficere posse, quàm Dominus, ac Creator ipsorum? scito, quòd nullus majorem laudem, & honorem mihi tribuere, nec majus*

majus beneplacitum mihi causare valeat, quàm qui salutationem illam, qua per Angelum Gabrielem me salutavit SS. Trinitas, devotè recitat.

53. Ob tantam utriusque hujus orationis scilicet *Pater*, & *Ave* præstantiam, sancta Ecclesia illam in oratione publica adhiberi, & sæpiùs repeti voluit; cùm utraque Horis Canonicis præmitti debeat: „ Et quod non „ideo jubemur, illam in silentio „secretò pronuntiare, ut minùs „pausatam, minúsque intelle„ctam, & ruminatam pronuntie„mus, sed ut tanquam rem gra„viorem majore cum attentio„ne, cura, & religione (augente „illam silentio) omnes & sin„guli, totam, & singulas ejus par„tes proferamus, licèt psalmos, „& reliqua alternatim, vel par„ticulatim, & dimidiata dicere „sufficiat, uti bene advertit Na„varrus *in Enchiridio. 2. part. Decreti. cap. 19. num. 185.*

54. Ad eundem finem, ut videlicet utraque hæc præstantissima Oratio, & pars Horarum Canonicarum nobilissima, majori cum devotione, & attentione, omni possibili cum reverentia, pro summa dignitate sua recitetur, sancta apud Religiones, præsertim nostram Seraphicam, consuetudo, & lex est, ut oratio Dominica *Pater noster* & *Ave Maria*, profunda totius corporis inclinatione dicatur.

55. Resp. III. Inter præstantiores orationes vocales privatas est etiam Rosarium B. V. Mariæ; cùm enim hoc ex meris *Pater* & *Ave* constet, hæ autem duæ orationes vocales privatæ sint præstantissimæ juxta dicta, consequens est, Rosarium quoque inter præstantiores, Deo, & Virgini B. Mariæ Matri ejus gratiores, nobísque utiliores orationes esse: quod etiam pluribus revelationibus Divinis confirmatum, & mirabilis efficacia Rosarii innumeris, iísque mirabilibus effectibus comprobata habetur.

56. Solùm hic notandum, quòd Rosarium B. V. Mariæ variè accipiatur, uti bene advertit Navarrus *in Miscell. de Rosario:* & quidem *Inprimis* pro longiore ex *150. Ave Maria*, & *15. Pater noster*, quod comuniter *Psalterium* vocatur, eò quòd Psalterium Davidicum constet *150. Psalmis*, ùt Marianum *150. Ave Maria. Secundò* sumitur pro tertia parte Psalterii, seu pro *50. Ave Maria*, & *5. Pater noster. Tertiò*

tiò pro *63. Ave Maria*, in memoriam tot annorum, quibûs B. V. Mariam vixiſſe aliqui aſſerunt. *Quartò* pro *72. Ave Maria*, & *7. Pater noſter*, in memoriam tot annorum, quibûs B. Virginem Mariam vixiſſe alii referunt, quibus addi ſolet unum adhuc *Ave Maria* pro ſummo Pontifice, & ſic ſunt *73. Ave Maria.*

57. Reſp. IV. Curſus quoque B. V. Mariæ, ſi ex privata devotione perſolvitur, inter præſtantiſſimas orationes vocales privatas numeratur. Ratio eſt; quia ad modum Horarum Canonicarum ab Eccleſia, dictante Spiritu Sancto formatus, & vel inde etiam Oratio, DEO, & B. V. Mariæ ejus Matri gratiſſima, & nobis utiliſſima eſt. Dicitur autem notanter: *ſi ex privata devotione perſolvitur:* ſi enim ex præſcripto Eccleſiæ in Choro recitatur; oratio publica eſt, & easdem prærogativas, ſupra *à Num. 31.* allegatas habet.

58. Reſp. V. Cæteris paribûs orationes vocales privatæ, quæ ab Eccleſia formatæ, vel ex Scriptura deſumptæ ſunt, præſtantiores, & efficaciores ſunt cæteris, propriô, vel alienô privatô arbitriô formatîs. Ratio patet; quia, cùm verba Scripturæ ſint verba Dei, & Eccleſia in omnibus regatur à Spiritu Sancto, conſequenter etiam ipſius verba à Spiritu S. proveniant, utique majorem efficaciam habent, quàm quæ ab homine proveniunt. Dicitur autem notanter: *cæteris paribûs:* quia, ſi oratio per Eccleſiam formata minori, alia verò, propriô, vel alienô privatô arbitriô humanô formata, majori devotione, attentione, reverentia perſolvitur, utique hæc præſtantior erit illâ.

59. Reſp. VI. Inter reliquas orationes vocales, privatô judiciô humanô formatas, *Puto*, inquit S. Bonaventura *Lib. de Perfect. Religioſ. cap. 72. non poſſe ſuper hoc uniformem dari regulam, ſicut de cibis corporis diverſis diverſa conveniunt, cùm modò illud magìs delectet edentem, modò aliud. Sed hoc videtur tunc eſſe fructuoſius, quod orantem magìs ſecundùm Deum delectet, & devotionis ſpiritum promptiùs excitet, & mentis fiduciam erigat in Deum.*

60. Quæritur VI. An, quantùm, & quibus præſtet vacare orationibus vocalibus privatis? Reſp. I. Omnino præſtat, Deo gratum, & utile eſt Religioſis, præ-

præsertim junioribus persolvere quotidie aliquas saltem orationes vocales privatas. Ita namque verbìs, & exemplìs docuêre ferè omnes sanctæ, & perfectæ animæ, ídque propter maximos fructus, & effectus, quos oratio etiam vocalis privata profert ex supra dictis. Dicitur notanter *præsertim junioribus:* nam, ùt docet S. Bonaventura *loc. cit. Incipientibus, & rudibus hominibus, & affectu devotionis necdum imbutis, magìs expediunt, ut saltem consuetudo moveat ad orationis studium, ne semper vagi circa exteriora, à DEO fiant alieni, & frigidi torpeant, & nunquam aliquo devotionis igne calescant.*

61. Resp. II. Ordinariè non expedit nimis multas, bene verò paucas, eásque meliores, & selectiores quotidie, & constanter persolvere orationes vocales privatas, nisi obedientia, vel melior occupatio aliud suadeat, aut infirmitas, vel alia causa impediat. Quòd multas quotidie recitare non expediat, communiter docent Ascetæ, & SS. Patres, in specie S. Bonaventura, & S. Theresia. Ratio est: tum, quia Perfectio Religiosa non consistit in oratione vocali, quamvis bene, & discretè adhibita præstans medium sit ad illam: tum, quia nimias quotidie si quis habet, plerumque minùs devotè, minúsque debitè illas persolvit, utpote magìs solicitus, ut omnes integrè, quàm devotè, ac debitè persolvantur, ex deceptione dæmonis putans, illa die sibi omnino bene esse, quo omnes suas privatas preces, ac devotiunculas integrè, etsi imperfectè, tepidè, ac indevotè persolvit; cùm tamen certum sit teste Lessio, melius esse, unum *Pater noster*, & *Ave Maria*, semel duntaxat, sed debitè, ac devotè recitare, quàm illud exigua cum devotione, & attentione cursim centies repetere: & teste S. Ambrosio, Deo gratius, & oranti utilius est, unum Psalmum debita cum attentione; & devotione recitare, quàm totum Breviarium indevotè, & inattentè percurrere.

62. Insuper, ùt S. Bonaventura sæpe *cit. cap. 72.* bene advertit: *Speciales orationes quibusdam minùs expediunt:* addit rationem; quia, *si nimis psalmorum & similium orationum multiplicationibus intendunt, & spiritum obruunt, devotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere prægravant,*

vant, dum melioribûs oblatis, minùs pro illo tempore utilibus inhærent, sícque aliæ utiliores occupationes impedirentur.

63. Additur hinc notanter in responsione: *nisi obedientia, vel Melior occupatio aliud suadeat.* quia *Melior est obedientia, quàm victima. 1. Reg. 15. v. 22.* Et sicut inter duo mala minus, ita inter duo bona melius est eligendum; consequenter, si instat, vel urget melior labor, aut occupatio, cum integra precum privatarum persolutione impossibilis, illum obire, & has omittere oportet.

64. Errant proin, qui inquieti, impatientes, aut turbati sunt, vel murmurant, dum à Superioribus injunguntur talia negotia, per quæ à privatis devotionibus, & precibus suis impediuntur.

65. Errant etiam ij, qui juxta mox citatam mentem S. Bonaventuræ occupationibûs & laboribûs melioribûs oblatis, minùs pro illo tempore utilibus orationibus vocalibus scrupulosiùs inhærent: ùt si propter has debitam scitu necessariorum, vel admodum utilium scientiam, lectione; aut studiô comparandam, acquirere vel omnino relinquunt, vel requisitum tempus non impendunt, vel debita charitatis, Deo semper gratissima, obsequia denegant.

66. Errant quoque, qui contra consilium Superiorum, Medicorum, vel aliorum, propriæ voluntati, & judicio pertinaciter adhærentes; hujusmodi preces privatas infirmi, vel sani quidem, sed cum destructione sanitatis, capitis &c. indiscretè integrè persolvere volunt.

67. Resp. III. Inter orationes vocales privatas, omnium primò persolvendæ sunt, quæ ex Statutis, vel dispositione, consilio, & admonitione Superiorum incumbunt. Ratio est; quia de talibus certum est, eas præ aliis Deo gratas, & nobis utiles esse, hoc ipso, quòd, quæ sunt de voluntate, & beneplacito Superiorum, sint etiam de voluntate, & beneplacito DEI, juxta illud *Luc. 10. v. 16. Qui vos audit, me audit.*

68. Resp. IV. Si persolutis ex præscripto Superiorum incumbentibûs orationibûs vocalibûs privatis, tempus, officium, negotia &c. patiuntur, præstat habere sequentes, vel saltem aliquas ex eis, videlicet

69. *Primò.* Aliquam orationem,

nem, vel devotionem vocalem in honorem SS. Trinitatis: quamvis enim cuncta per totum diem fiant primariò, & principaliter, ac redundent in laudem, & gloriam SS. Trinitatis (uti matutina oblatione contestamur) attamen decet, ut aliqua devotione peculiari veneremur eandem, eò quòd honor, laus, gloria, beneplacitum, & gaudium SS. Trinitatis, sit primarius ab æterno intentus, & justissimus finis omnium creaturarum, earúmque actuum, passionum, & omissionum, consequenter devotio, gloriam & honorem illius singularissimè respiciens, sit omnium aliarum princeps.

70. *Secundò.* Præstat habere brevem aliquam devotionem vocalem in honorem, & gloriam amantissimi Redemptoris nostri JESU Christi; & quidem in memoriam, & gratitudinem Vitæ, ac Passionis illius. Ratio est; tum, quia amantissimo Redemptori nostro innumeris ex titulis omnis veneratio, laus, & honor debetur; tum, quia grata memoria Vitæ, & Passionis illius, eidem summopere placet, & miram utilitatem affert.

71. *Tertiò.* Præstat habere devotionem aliquam vocalem erga SS. Evcharistiæ Sacramentum; quia & hæc summè debita, DEO gratissima, & nobis utilissima est.

72. *Quartò.* Omnino etiam præstat habere aliquam devotionem & cultum in honorem B.V. Mariæ, quia hunc tanquam Deo gratissimum, B. V. Mariæ debitum, nobis summè meritorium, mirabiliter ad omnia efficacem, omnes sancti, præsertim Seraphicus Doctor noster S. Bonaventura, & Ascetæ unanimiter deprædicant, & suadent.

73. *Quintò.* Dignum & justum est, Deo gratum, & nobis utile, habere etiam brevem aliquam devotionem vocalem erga Sanctum Angelum Custodem nostrum, utpote cujus curæ providentissimè à SS. Trinitate sumus commissi; qui etiam propterea pericula, & necessitates nostras magis scit, & ordinariè nos magis juvare potest, quàm quivis alius Sanctus, prout etiam omnî momentô copiosa beneficia confert, custodiendô, protegendô, illuminandô, adjuvandô, excitandô &c. ut proin post Deum, & B.V. Mariam, Angelus Custos magis, quàm quivis alius San-

Sanctus nos juvet, indéque etiam magis, quàm cuivis alii Sancto obligati existamus.

74. *Sextò.* Juxta exemplum, & consilium SS. Patrum valde conducit, habere speciales aliquos Patronos, quos præter alios cultus oratione aliqua quotidie honoremus.

75. *Septimò.* Etiam in consolationem animarum in Purgatorio præstat quotidianam habere devotionem; pro quibus orare, quàm gratum DEO, & nobis quàm utile sit, obvia exempla docent.

§. III.

De Requisitis ad Orationem vocalem debitè & perfectè faciendam: ubi & de principiis practicis circa eam.

76. MUlta equidem hactenus de natura, præstantia, utilitate, & necessitate orationis vocalis dicta sunt, ita, ut ad æstimandam, amandam, & frequentandam orationem vos persuasos esse, minimè dubitetur; tamen parùm, aut nihil proderit, nisi etiam id, quod Paragraphi hujus rubrica continet, vobis declaretur, docendô, quomodo in praxi debitè & perfectè orare possitis, & debeatis; quia non sufficit æstimare, amare, & frequentare orationem, multúmque orare, nisi etiam bene, & debitè oretur.

77. Planè summopère dolendum, & lacrymis sanguineis deplorandum, quòd miseris, tepidísque hîs mundi temporibûs vix sit aliquid, vel actio aliqua, per quam frequentiùs inhonoratur, & venialiter offenditur Deus, quàm in oratione, & per orationem, utpote quæ à plurimis ordinariè non debitè, & bene, sed malè, & peccaminosè, quippe vel sinè debita attentione, vel sinè reverentia, & devotione peragitur; indéque fit, quòd per idipsum, (orationem nempe) per quod Deus quotidie, & quasi continuò honorari, & placari deberet, donáque & auxilia, & gratiæ ab ipso impetrari pro votis possent, quotidie à plurimis ordinariè injurietur, offen-

offendatur, & ad puniendum provocetur, ac (quod potissimum, ac sanè stupendum) nil minùs, quàm de tollendo hoc peccaminoso orandi modo curetur, aut cogitetur, dum subinde etiam, qui aliàs perfectiores esse censentur, distractè, vel inattentè, aut præcipitanter, & irreverenter, vel tepidè, indevotè, ac negligenter orationes suas tam publicas (Breviarium nempe) quàm privatas persolvendi malam consuetudinem, & habitum possident, eúmque deponendi, vel nullam, vel certè non sufficientem, ac debitam curam, & diligentiam adhibent.

78. Quæritur itaque I. Quænam conditiones prævię requirantur ad orationem vocalem, debitè instituendam? Ante Responsionem nota, ad orationem perfectè instituendam requiri aliqua ante orationem, aliqua in seu sub oratione, aliqua post illam: quæ ut faciliùs capiantur, & retineantur, de singulis distinctè loquemur. Jam de iis, quæ requiruntur prævię

79. Resp. Ante orationem necessariò requiritur debita ad eam præparatio: ita enim expresè mandat Spiritus S. *Eccli. 18. v. 23. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Verè enim, ait S. Bonavent. *in Regul. Novit. cap. 2. Orator dicitur tentare Deum, quando absque cordis præparatione currit ad vocalem orationem.* Ratio est; quia cùm juxta communem SS. Patrum oratio, prout decet, & oportet, fieri non possit sinè prævia præparatione, utique tentare Deum dicitur hoc ipso, quòd DEUM tentare aliud non sit, quàm aliquid perficere, aut consequi velle, sinè ordinariis, & necessariis ad hoc requisitis mediis: totius itaque orationis successus potissimùm dependet à studiosa præparatione. *Quales volumus in oratione inveniri, taliter debemus nos priùs præparare:* erat commune dictum apud antiquos SS. Patres teste S. Bonaventura *loc. cit.* ubi addit. *Si vis affici in oratione, præpara cor tuum ad devotionem:* qui sinè præparatione orationem instituit, non tantùm malè orabit, sed etiam omni petitionis effectu carebit: prout *loc. cit.* idem testatur S. Bonavent. illis verbis: *Vix, aut nunquam poterit impetrare, quia talis non est devotus Orator, sed verborum latrator.* dum econtra, qui priùs se debitè præparat,

parat, præter felicem orationis successum, etiam optatum habebit orationis effectum, juxta illud *Psalm. 9. v. 38. Præparationem cordis eorum, audivit auris tua.*

80. Quæritur II. In quibus consistat, & quomodo in praxi fieri debeat præparatio ante orationem vocalem? Resp. I. Præparatio ante orationem sequentia potissimùm exigit puncta. *Primo* exigit, ut oraturus se breviter recolligat, & consideret, quàm excellentem actum exercere nunc velit, vel debeat, videlicet loqui, & conversari cum Deo, laudandô, adorādô, & benedicendô ipsum, eíque gratias agendô, & invocandô, ídque in conspectu, & præsentia DEI, Angelorum, tem totius Curiæ cœlestis, & quidem (si orationem publicam peragit) nomine totius Ecclesiæ, & pro tota Ecclesia. Nam, ùt S. Bonaventura *Spec. Discipl. c. 12.* cum Hugone de S. Victore ait: *Sic Orationi sancta meditatio necessaria est, ut omnino perfecta esse oratio nequeat, si eam meditatio non comitetur, aut præcedat.*

81. *Secundò.* Ut cum vera fide memor sit præsentiæ Divinæ, & coram eadem se humiliet, séque intuitu sui nihili, & malitiæ, minimè dignum reputet, quòd in conspectu Divino compareat, & multò minùs, quòd laudem ejus pronuntiet, vel ab ea exaudiatur: quia oratio humiliantis se, Deo semper accepta, & ad obtinendum efficax est, juxta illud *Judith. 9. v. 16. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Et *Eccli. 35. v. 21. Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Unde Abraham ante orationem se humiliavit dicens: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis. Gen 18. v. 27.*

82. *Tertiò.* Perutilis, imò, si quis in statu disgratiæ est, necessariò requisita est prævia contritio de peccatis, quæ per confessionem deleta nondum sunt. Ratio est; quia nec laus in ore peccatoris DEO placet, nec oratio ejus exauditur à DEO. Quòd non placeat DEO, testatur Spiritus S. *Eccli. 15. v. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Imò Deus quasi aversatur orationem ex ore peccatoris procedentem; quia, dum ore laudat, vitâ spernit, maledicit Deum, utì benè observat S. Augustinus in *Psalm. 102. ad finem. Omnes malè viventes, etsi*

etsi linguâ taceant, vitâ Domino maledicunt; quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua; si sacrilegium exhalat vita tua. Hinc apud Psalmistam *Psalm. 49. v. 16. & 17.* indignans peccatori DEUS dixit: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.*

83. Quòd verò insuper non exaudiat orationem peccatoris, pluribus in locis testatur S. Scriptura, uti *Joan. 9. v. 31. Scimus, quia peccatores Deus non audit; sed, si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* & in ejusdem *Epist. 1. cap. 3. v. 21. & 22. Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo.* Judæi frequenter, & diu oraverunt ad Deum, & tamen non exaudivit eos ob peccata eorum, prout habetur *Isa. 59. v. 2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.*

84. Porro contritio valde utiliter etiam ab illo præmittitur, qui non quidem gravis, tamen unius, vel plurium peccatorum venialium se reum scit, quia & hæc laudem saltem minùs acceptam efficiunt, devotionem, & fiduciam minuunt, & orationis efficaciam debilitant, si pœnitentiâ priùs non deleantur. Imò utile, & consultum est, ut etiam nullius, sive gravis, sive levis peccati de præsenti sibi conscius, contritionem orationi præmittat de peccatis præteritis, ob quæ se peccatorem, & propterea laude Divina, & exauditione indignum humiliter confiteatur, & doleat; taliter enim pœnitentis, & se humiliantis laus, & oratio DEO acceptior, & sibi utilior certè subsequetur.

85. *Quartò.* Includit, & exigit præparatio bonam intentionem, & oblationem orationis, ne videlicet sola necessitate coacti, aut ex tepida consuetudine, vel vana gloria, hypocrisi, aut alio vano motivo, sed ideo principaliter laudemus, oremus, & invocemus Deum; quia laudari, rogari, & invocari vult, & desiderat, ac speciale desuper beneplacitum habet, donáque, & gratias nobis necessarias, non nisi mediante oratione, nobis largiri vult; & quia per orationem eò maxi-

maximè cum Deo unimur, & ad ea, quæ Deus à nobis exigit, pervenimus.

86. *Quintò.* Includit præparatio bonam voluntatem, & efficax propositum, debitè, ac perfectè persolvendi laudem Divinam & orationem; consequenter etiam omnes distractiones, aliósque defectus, & causas earum evitandi: econtra verò ea, quæ pro oratione bene persolvenda faciunt, præsertim verò jugem memoriam præsentiæ Divinæ, adhibendi: sicut enim ad omnia, ita etiam ad orationem perfectè faciendam fervens desiderium, & bona efficax voluntas plurimùm contribuit; debet tamen istud propositum fieri cum resignatione in Divinam voluntatem etiam ad desolationes, ariditates &c. pro Divino beneplacito perferendas.


87. *Sextò.* Exigit Præparatio præviam invocationem auxilii, & gratiæ Divinæ; eò quòd debitè orare sit donum Dei, consequenter ab eodem humillima invocatione flagitandum. Unde Ecclesia ante omnes Horas pro auxilio bene orandi Deum humillimè invocat per illam oratiunculam: *DEUS in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* ex *Psalm. 69. v. 2.*

88. *Septimò.* Requirit, ut seponamus omnem curam, & solicitudinem de quacunque re, vel negotio, sive sacro, sive profano, & ab eo animum avellamus; cùm enim oratio sit omnium negotiorum maximum, omnino decet, ut orationis tempore in ea sola toti, sinè ulla cura ad aliud, occupemur, & propterea omnem curam rerum aliarum ante orationem dimittamus, reassumpturi illam iterum suo tempore; nam *Omnia tempus habent. Eccle. cap. 3. v. 1.*

89. Hoc requisitum qui non observat, multis distractionibus in oratione subjacebit; quia diabolus nunquam magis, quàm orationis tempore, varias curas, ac solicitudines de officiis, negotiis, & rebus nostris ingerere, cogitationésque pro illis optimas ac utilissimas, aliàs vix occurrentes, suggerere solet, ut illis indulgentes, & inhærentes, à debita attentione, & sanctissima cum Deo unione avulsi, orationem debitè non persolvamus, & fructus illius non percipiamus. Ad obviandum huic diabolicæ fraudi, pro firmo semper habendum,

dum, & observandum est principio, orationis instante tempore omnes curas, & solicitudines de quacunque re dimittere, ac Deo committere, certissiméque credere, quòd, si tunc propter Deum omnes alias curas, & cogitationes etiam optimas dimittimus, & rejicimus, Deus interea res, & negotia nostra, & quidem meliùs curaturus, & easdem bonas, vel meliores de ijs cogitationes suo tempore sit immissurus.

90. Resp. II. Quantùm ad praxin præparandi se ad orationem, id observare præstat, ut ante orationem publicam, Horas nempe Canonicas, sive in Choro, sive extra Chorum persolvendas, præparatio condigna, & longior fiat; ante orationem privatam verò præparatio longa, vel brevis, pro diversitate orationis longæ, vel brevis, præmittatur, ita tamen, ut saltem brevis actus humilitatis, bonæ intentionis, & invocationis pro auxilio semper concurrat.



Præparatio

Ante Orationem publicam, seu Horas Canonicas sequens, vel similis fieri poterit.

91. „O Anima mea! adest iterum felicissima hora, „qua actum præstantissimum, „Deo tuo gratissimum, tibi, & „aliis utilissimum, ad omnia obtinenda efficacissimum, & munus Angelicum exercere potes, ac debes, loqui videlicet „cum immensa illa, quam præsentissimam credis, Majestate „Divina, illam spectante tota cœlesti Curia adorandô, laudandô, benedicendô, & invocandô verbis ab eadem præscriptis, „modóque prorsus Angelico, & „cœlesti, idque nomine totius „Ecclesiæ. Sed eheu! clementissime, præsentissime, ac immense Deus, munere hoc Angelico me indignissimum reputo, nec enim dignus, ut in „conspectu tuo appaream, multò minnùs, ut laudem tuam in „os meum assumam, vel à te exaudiar, quia peccator sum, & „quidem maximus, utpote qui

 „innu-

„innumeris peccatis, & iterum „recenter N. N. te offendi.

„Verùm O misericordissime „Deus, ex corde doleo, & pœ„nitet me, quòd te, quem super „omnia amo; & semper amare „debuissem, unquam offende„rim; propono firmissime te „non ampliùs offendere, sed „semper amare, tuámque San„ctissimam Voluntatem in om„nibus adimplere.

„Et proptereà, quia tu nunc „vis, & præcipis, & quia tibi pla„cet, ex corde desidero, volo, „& intendo nunc in unione lau„dis, & orationis JESU Christi, „omni possibili reverentia, ac „submissione, firmáque fide, & „fiducia, adorare te, & laudare, „laudánsque invocare nomine „totius Ecclesiæ, pro ejusdem „exaltatione, hæresum extirpa„tione, Principum Christiano„rum unione; pro Pontifice no„stro N. pro Cardinalium Col„legio, præsertim Protectore „nostro: pro Episcopis, & Sa„cerdotibus: pro omnibus Or„dinibus Religiosis, Ordine præ„sertim, Provincia, Conventu, „& Superioribus nostris: pro „Parentibus, Fratribus, Sorori„bus, conjunctis, & omnibus „Benefactoribus &c. ac specia„liter etiam pro me miserrimo; „præsertim ad N. N. &c. pote„ris hìc addere specialia, quæ pro te, vel aliis obtinere vis, v.g. pro certis virtutibus, pro certis negotiis vel causis.

„Quoniam verò sine te nihil „possum, adjuva me, ut juxta „Divinum beneplacitum tuum „valeam te laudare, & laudans „invocare.

„Quare aperi Domine os „meum ad benedicendum No„men Sanctum tuum &c. (ut in communi Ecclesiæ præparatione) „discedite à me, & abeste „nunc omnes aliæ cogitationes, „curæ & negotia, committo „vos interea curæ, & providen„tiæ DEI.

Hanc, aut, similem præparationem Charissimi! si Divino Officio præmittitis, Deo multùm placebitis, orationémque sequentem valde gratam DEO, & vobis utilem reddetis.

Nec dicat aliquis, eam nimis longam: nam contra est; quia intra leve temporis spatium, unius vel alterius *Pater noster* fieri poterit, quod utique devotæ animæ longum non est; nec multum temporis peribit, si tam levî spatiô

spatiô Laus Divina prolongetur: tum, quia à debita præparatione prævia ferè totus successus laudis, & orationis sequentis dependet, juxta dicta superiùs: tum, quia etiam non est necesse, ut etiam urgente temporis angustia fiat, sed potest tunc alia brevior, juxta dicenda paulò infra, præmitti.

Præfatam ergo, vel similem exactiorem præparationem facite *Primò*. Quotiescunque Horas Canonicas in Choro persolvitis: tunc enim, si, uti debetis, maturè Chorum acceditis, sufficientissimum ad eam faciendam tempus habetis, etiam quando impediti, ante campanæ signum in Choro non comparetis; dummodo audientes primum signum, præparationem statim incipiatis; & in via ad Chorum continuetis. *Secundo*. Illam adhibete etiam, quando ex legitima causa extra Chorum Horas Canonicas persolvitis, si tempus vobis non deficit. *Tertiò*. Extra Chorum eandem semper præmittite ante Matutinum, seu initium totius Breviarii, eámque in reliquis parvis Horis, si tempus deficit, vos per brevem actum præparate. Si verò ex rationabili causâ tempus deficeret, vel ad alia necessarium videretur, potest quis breviorem aliquam ex sequentibus præmittere præparationem.

Præparatio Brevis.

92. „O Anima mea! jam iterum potes, & debes „Officium Angelicum & cœleste „exercere, laudare videlicet, & „invocare DEUM. Sed, O Deus „amantissime, non sum dignus, „ut assumam laudem tuam in os „meum, vel exaudiar à te, quia „peccator sum, & quidem maximus, doleo tamen, & pœnitet „me, quòd te summum Bonum, quod super omnia diligo, „unquam offenderim, propono „firmissimè ampliùs non peccare, sed semper te amare, tibíque „fideliter servire; & ideo, quia „tu vis, & præcipis, ut laudes, & „preces nunc tibi persolvam, id „omni possibili humilitate, & „reverentia, fide, & fiducia, memor præsentiæ tuæ faciam in „unione laudis, & orationis, „quam Christus JESUS, ejúsque „B. Mater, & Angeli, omnésque „Sancti persolverunt, intentione que tibi gratissima, & pro „illis,

„illis, pro quibus magis rogari „vis, præsertim verò pro N. N. „Adjuva me, quia sinè te nihil „possum: abeste nunc omnes „curæ, & cogitationes aliæ.

Alia adhuc Brevior.

„O Immensa, præsentissima „Majestas! non sum di„gnus, ut laudem tuam sumam „in os meum, & rogans exaudiar „à te; verumtamen, quia vis, „& præcipis, volo in spiritu hu„militatis, & animo contrito, „omni possibili reverentia, & „plena fiducia, in unione laudis, „& orationis JESU, Mariæ, & „omnium Sanctorum, te lauda„re, & laudans invocare pro om„nibus, pro quibus rogari vis, „specialiter verò pro Ecclesia „Catholica, pro N. N. &c. adju„va me, quia sinè te nihil possum. „Procul à me jam omnes cogi„tationes, & curæ aliæ.

Alia adhuc oratio præparatoria ante Horas Canonicas dici solita habetur ad initium Breviarii, videlicet: *Aperi Domine os meum &c.*



Præparatio

Ad Cursum B. V. Mariæ, & ante ejusdem Rosarium.

„NUnc iterum conceditur mi„hi id, quod DEO summè „placet, & mihi summè prodest, „honorare nempe, laudare, & „invocare B. V. Mariam, ídque „verbis, & modô DEO, & San„ctissimæ Matri ejus gratissimîs, „Cursu videlicet, ab ipso Spiritu „Sancto per Ecclesiam dictato; „vel Rosariô, meris præstantissi„mîs *Pater* & *Ave* constante: & „licèt sim indignus, ut te purissi„mam, & immaculatam Virgi„nem, & Matrem Dei, abomi„nabilis ego peccator alloquar, „laudem, & invocem; tamen, „quia tu Clementissima Mater „speciale Refugium es peccato„rum, in spiritu humilitatis, & „animo contrito, fiducialiter ad „te confugio, & sequentes lau„des, & orationes, cum laude & „oratione cunctorum tibi de„votorum, omni possibili reve„rentia, & devotione persolve„re, & offerre desidero, volo, & „intendo. Principaliter ad lau„dem & gloriam SS. Trinitatis, „& Filii tui JESU Christi; dein „ad

„ad tuam quoque laudem, & ho„norem, pro me miserrimo, & „aliis, pro quibus, & qualiter ut „orem, Filius tuus, & tu vis ro„gari, specialiter tamen pro N. „N. &c. Tu itaque dignare me „laudare te Virgo Sacrata, da „mihi virtutem contra hostes „tuos.

93. Resp. III. Quamvis ante orationes breves omnino, præsertim jaculatorias, nec necesse, nec expediens sit, præparationem ex præfatis actibus constantem præmittere, tamen, si oratio privata omnino brevis non est, conducit aliquam brevem saltem, ex actibus humilitatis, intentionis, & invocationis, constantem præparationem præmittere. e.g.

Præparatio

Ante Orationes privatas.

94. O „Immense, ac misericor„dissime DEUS! ego „miserrimus peccator non sum „dignus assumere laudem tuam „in os meum, vel exaudiri à te, „tamen, quia cor contritum, & „humiliatum non despicis, sed „ab eo omnino etiam laudari, „& rogari vis, hinc, quia vis, & „tibi placet, in spiritu humilita„tis, & animo contrito, omni „possibili reverentia, & devotio„ne, laudabo, & laudans invo„cabo te, in unione laudis, & „orationis JESU Christi, B. V. „Mariæ, & omnium sanctorum, „pro NN. &c. adjuva me, quia „sinè te nihil possum.

95. Quæritur III. Quænam requirantur in, seu suboratione ad hoc, ut perfectè persolvatur? Resp. Sequentia quinque requiri ad orationem perfectè faciendam; videlicet, ut fiat I. attentè, & devotè. II. humiliter, & reverenter. III. cum fiducia & fide. IV. frequenter, & perseveranter. V. resignatè; de quorum singulis singula ponamus quæsita.

96. Quæritur itaque IV. An, & qualis ad orationem bene, & ritè instituendam requiratur, & sufficiat attentio? Ante Responsionem notandum, triplicem ad propositum esse attentionem. *Prima* est ad verba, qua orans attendit saltem ad verba, ut bene, & perfectè ea pronuntiet, ne in illis erret, vel aliqua omittat, aut corruptè, & syncopatè pronuntiet.

97. *Secunda* est ad sensum verborum, qua orans non tantùm atten-

attendit ad verba, sed etiam ad eorum sensum, seu ad id, quod significant.

98. *Tertia* est ad orationis finem, qui est Deus, vel id, quod petitur; dum nempe orans vel attendit ad id, quod petit, vel desiderat, vel ad DEUM, quem orat, vel laudat, quod ultimum attendere (nempe ad DEUM) variè, ac muliplicìter fieri potest, hoc ipso, quòd variis, ac multis modis, seu piis actibus erga Deum sub oratione affici, eíque attendere quisque valeat: v. g. potest quis etiam absque attentione ad proprium verborum sensum, gaudere, & lætari, quòd hoc modo Deus laudetur, & sanctificetur Deus omni laude dignissimus, utpote ter Optimus, Sapientissimus &c. de quorum aliquo, vel pluribus attributis Divinis sub oratione cogitare, indéque erga ipsum affici, sícque eidem intendere, & attendere, bene quis potest. Vel potest quis sub oratione, occasione illius, vel verborum ejusdem, ad amorem Divinum, ad spem, & fiduciam, ad Dei timorem, ad odium sui, vel desiderium rerum coelestium, aut aliam virtutem moveri, eíque immorari; vel potest verborum sensum mysticum attendere, etsi interea magna orationis pars transeat, dummodo aliquam ad verba, ut integrè & perfectè pronuntiet, vel, ne in illis erret, aut aliqua omittat, attentionem retineat. Hoc notato:

99. Resp. I. Prima attentio, ad verba videlicet, absolutè est necessaria ad omnem orationem, etiam voluntariam, adeò, ut sinè illa orans, seu recitans preces obligatorias, Breviarium v. g. peccet mortaliter (datur tamen levitas materiæ) ille verò venialiter, qui sinè eadem persolvit orationem vocalem voluntariam. Ita communis tam Theologorum, quàm SS. Patrum, de quo magis in Theologia.

100. Resp. II. Ad orationem bene, & perfectè persolvendam prorsus non sufficit attentio prima, seu ad sola verba, sed omnino requiritur, ut habeatur etiam secunda, vel tertia, adeò, ut, si quis sinè harum duarum aliqua, v. g. solam primam habens, in, seu sub oratione ad alia vana, & profana, temporalia, aut carnalia, voluntariè distractus est, aut cogitat, debitè, aut perfectè nunquam

quam oret, sed imperfectè, malè, & peccaminosè, talíque oratione DEUM magis offendat, quàm honoret, plùs irritet, quàm placet, parúmque, vel nihil per eam impetret, utpote pœnâ potiùs, quàm præmiô, vel exauditione dignus. Ita clarè desumitur ex S. Scriptura, SS. Canonibus, SS. Patribus, & ratione.

101. Enimvero de taliter orantibus, tanquam malè agentibus, jam pridem conquestus est Deus *Isa. 29. v. 13. Populus iste ore suo, & labiis suis glorific.t me, cor autem ejus longè est à me.* Et *Psalm. 61. v. 5. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.* quod utique faciunt illi, qui ore laudem Divinam pronuntiant, vel Deum invocant, & in corde nullatenus de DEO, nec de eo, quod petunt, sed de aliis vanis, aut profanis voluntariè cogitant, illísque lætantur, aut inhærent, & vel inde præsenti immensæ Majestati Divinæ, cui ore loquuntur, injuriam revera irrogant, eámque offendunt.

102. Sicut enim audientiam habens coram magno Rege terræ, eíque loquens de magnis rebus, aut rogans pro gratiis sibi maximè necessariis, aut pro remissione pœnæ (quam occidendô v. g. filium ejus meritus erat) supplicans, si sub tali petitione Regi sinè respectu ad præsentiam, & Majestatem illius, interea tergum verteret, & pueros ludentes attenderet, vel cum servis jocaretur, & rideret, vel hinc inde sinè attentione, quid dicatur, circumspiceret, & picturas consideraret, Regi revera injuriam irrogaret, eúmque plùs offenderet, quàm placaret, nec ab eo aliquid obtineret; sic multò magis malè agit, & immensæ illi Majestati cœli, & terræ injuriam infert, nec exaudiri, sed puniri meretur, si, dum eidem loquitur, ore, corde & animô nugas tractat, & sinè ullo respectu ad Deum præsentem, imò penitus ejus immemor, nec sciens, nec attendens, quid dicat, animô, nescio quæ, cogitat, & circumvagatur.

103. Audiamus desuper SS. Patres. *Valde indecens est* (ait S. Bonaventura *de Perfect. vita ad Sorores, cap. 5.*) *ut quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde, & dimidium cor dirigat in cœlum, & dimidium maneat in terra, & talis oratio nunquam exauditur à DEO.* Cui consonat illud D. Basilii apud

Navarrum *loc. cit. cap. 13. n. 2. Divinum auxilium est implorandum non remissè, nec mente huc vel illuc evagante, eò quòd talis non solùm non impetrabit, quod petit, sed etiam magis Deum irritabit.* Nam, ùt dicitur *Joan. 4. v. 24. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* hinc dicit Apostolus *cap. 5. v. 19. ad Ephes. Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino:* super quo textu S. Hieron. relatus *can. 1. dist. 92.* dicit: *Audiant ij, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum.* ubi Glossa adjicit illos Versus:

Non vox, sed votum, non musica chordula, sed cor,
Non clamor, sed amor clamat in aure DEI.

Cui concordat illud vulgatum: *Si cor non orat, in vanum lingua laborat.*

104. Quare S. Bernardus *Lib. de Anima.* seu *Medit. devot. cap. 8.* ait: „Magnam injuriam DEO „facio, cùm illum precor, ut „meam precem exaudiat, quam „ego, qui fundo, non audio (id est, quid dicam, non attendo) „deprecor illum, ut mihi intendat, ego verò nec mihi, nec illi „intendo, sed quod deterius est, „immunda & inutilia, in corde „versandô, fœtorem horribilem „ejus aspectibus ingero. S. Ephrem *Tom. 2. in illud Attende tibi. cap. 10.* „Cùm ad orandum te „composueris, noli vaga ac di„stracta mente esse, ne quasi con„temnens videaris. Idem *de Panoplia.* „Mi frater, non ni„mium festines tuam impleri „orationem: in scientia ora, ut „scias, pro quibus Deum postu„les, & cur ipsum ores, ne per„peram superflua, ac multa ver„ba effundas. Item Vincentius Bellovacens. *Spec. mor. Part. 10. dist. 33.* ait: „Non plùs delecta„tur Deus in oratione vocali sinè „attentione mentali, quàm in „garritu avium, vel in grunnitu „porcorum.

105. Porrò ad orationem vocalem quamcunque attentè faciendam, insuper quemlibet movere potest, & debet, quòd longè facilius sit *attentè* orare, quàm *distractè;* quia, si quis attentè orat, uni rei & objecto intendit, ac occupatur animus, si quis verò distractus orat, pluribus intendit, & pluribûs occupatur; utpote, qui simul orationi saltem quoad verba, & simul aliis attendit, & hoc

hoc ipso magis gravantur potentiæ internæ, memoria præsertim, & intellectus unà cum phantasia fatigatur; nam, quò pluribus simul intendit, eò magis fatigatur animus, quia, *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.* Hinc monet Spiritus Sanctus *Eccli. 11. v. 10. Fili! ne in multis sint actus* tui. Item *cap. 38. v. 25. Qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Notatu dignissimum est, quod ad propositum ait Navarrus in Enchirid. de Orat. *Oratio,* inquit, *attentè facta, requies animæ est, aliter facta tedium est.*

106. Et hæc cuncta intelligenda sunt non tantùm de oratione publica, sed etiam de oratione privata vocali, & voluntaria v.g. Rosario; quia, quamvìs nullus sub peccato teneatur hujusmodi orationem persolvere; attamen, qui vult persolvere, tenetur eandem debitè, & prout natura orationis exigit, peragere: est autem contra naturam orationis, orare, & non attendere ad eum, quem quis orat, nec ad id, quod orat, ut proin etiam sub oratione privata vocali venialiter peccet, qui sub ea voluntariè distractus est.

107. Resp. III. Ad orationem debitè, & perfectè instituendam, præter Primam attentionem ad verba, disjunctivè sufficit Secunda, vel Tertia attentio. Et quamvìs juxta communem SS. Patrum sensum Tertia sit perfectior Secundâ, Secunda tamen etiam valde bona, & perfecta, sanctè erudiens, & instruens, multùm etiam consolatoria, simúlque facilior, imò secundùm Cardinalem Bona *in Horologio Ascetico, cap. 3. §. 5.* non tantùm facilior, sed etiam utilior est; ait enim: *Est autem hæc Attentio cæteris omnibus facilior, utilior, atque evagationibus minùs subjecta, sanctorúmque Patrum documentis, ac Ecclesiæ spiritui magis conformis:* quam proin SS. Patres plurimùm suadent calentibus linguam latinam, præsertim doctioribus. S. Augustinus *in Regula 3.* eandem suadet, dicens: *Cùm oratis Deum, versetur in corde, quod profertur in voce.* Et *Serm. 3. in Psalm. 30. Si orat psalmus, orate, & si gemit, gemite, & si gratulatur, gaudete, & si sperat, sperate, & si timet, timete; omnia enim, quæ hìc conscripta sunt, speculum nostrum sunt.* Idem docet, & rem magìs declarat Cassianus *Collat.* 10. c. 11. *Omnes*

 Psalmo-

Psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tanquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat, vel certè ad suam Personam æstimet eos fuisse directos, eorùmque sententias non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri, implerique cognoscat &c. eundem namque recipientes cordis affectum, quo quisque decantatus, vel conscriptus est psalmus, velut auctores ejus facti, præcedemus magìs intellectum ipsius, quàm sequemur. Nec refert, quòd non omnia, sed aliqua tantùm intelligamus; quia successivè semper plura intelligemus, præsertim, si cum tempore subinde etiam Psalmorum interpretem legamus.

108. Accedit, quòd laudata hactenus hæc Secunda attentio, sæpe etiam in Tertiam transire, & desinere possit, ùt si quis v. g. attendit ad sensum alicujus versus, vel partis orationis, & eidem sensui aliquamdiu inhærens, venit ad contemplandum DEUM, vel in admirationem ejus Potentiæ, Sapientiæ, Providentiæ, Bonitatis, Misericordiæ &c. vel gaudet, & lætatur in Deo, vel dolet de peccatis, vel habet alium pium actum, vel affectum, & tamen interea pergit in oratione sua, non attendens ad sensum verborum, quæ interea profert, quod optimè fieri potest.

109. Nam pro consolatione notandum, quòd nullus teneatur, nec etiam expediat, se strictè allegare ad unam ex Secunda, & Tertia, sed habeat quivis libertatem spiritûs, posśitque modò Secundam, modò Tertiam habere attentionem, prout nempe affectio, devotio, vel aliæ circumstantiæ suadent, vel exigunt, aut movent, vel occasionem præbent, ita, ut subinde quis possit habere, & continuare solam Secundam, attendendô nempe ad sensum verborum, ídque habendô in corde, quod profertur in ore.

110. Vel potest eandem Secundam ita habere attentionem, ut sensui unius Psalmi, vel partis in oratione, v. g. *sanctificetur Nomen tuum*, attendens, illi diutiùs inhæreat, eúmque ruminet, desiderandô, ut DEUS semper & ubique ab omnibus honoretur, glorificetur, ametur, pergendô interea in oratione, & non attendendô ad aliorum verborum sensum,

ſenſum, donec forſan devotione, & affectu circa illam partem ceſſante, vel deficiente, & movente iterum alia parte, vel verſu, pariter inhæreat ſenſui eidem, prout ſuadet doctiſſimus Navarrus. Vel poteſt quis habendô Secundam atttentionem, & attendendô ad ſenſum unius, inde devenire ad Tertiam vel poteſt habere abſolutè ſolam Tertiam.

111. Ex quo colligitur, quòd ſtante hac ſancta libertate circa attentionem, & libera diverſitate, non ſit difficile, ſed facile, ac jucundum, debita cum attentione orationem ſuam vocalem peragere, præſertim ſi accedat aliquando perfectè, & attentè orandi habitus, & praxis, per frequentatos actus generatus; nam, ùt bene advertit S. Bonaventura *de Profect. Religios. lib. 2. cap. 69. Quantò frequentiùs quis orat, tantò fiet ei oratio delectabilior, & efficacior: quantò & rariùs, tantò inſipidior, & tædioſior.*

112. Quæritur V. Quænam conducant ad fovendam neceſſariam attentionem ſub oratione? Reſp. Ad fovendam, & conſervandam neceſſariam attentionem ſub oratione, valde conducunt. I. Bona ante orationem præparatio, juxta ſuperiùs dicta. II. Jugis memoria præſentis DEI, cum quo loquimur. III. Senſuum exteriorum cuſtodia. IV. Loci, & temporis competentis electio. V. Omnium curarum & inordinatorum affectuum ſepoſitio. VI. Juvat etiam ad habendam, & fovendam attentionem, præſertim Secundam, lectio alicujus interpretris in Pſalmos; intelligentia enim illorum magis attentum reddit, ac devotum.

113. Ad hoc pro conſolatione vobis ſerviat Chariſſimi! quòd omnia S. Scripturæ, & Pſalmorum textus ac verba ſint plena myſteriis, variáſque ſignificationes, & multiplicem ſenſum accomodatitium habeant, ita, ut quivis etiam privatus, verba, verſus, & textus S. Scripturæ, & Pſalmorum, ad varia, & diverſimode, modò ad hoc, modò ad aliud pro ſuo fructu, inſtructione, vel conſolatione ſpirituali moraliter applicare, & accomodare poſſit; prout nempe devotio, ac Spiritus Sanctus lumen, & gratiam dabit, aut inſpirabit: *Quæcunque enim ſcripta ſunt* (inquit S. Paulus *ad Rom. 15. v. 4.*) *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut*

ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem babeamus.

114. Quæritur VI. An, & qualis ad orationem perfectè faciendam requiratur reverentia, & humilitas, & in quo consistat? Resp. I. Omnino etiam, & quidem tam interna, quàm externa requiritur reverentia, & humilitas ad orationem perfectè faciendam: patet ex dictis, dictátque ipsa ratio, ut in consideratione tantæ, immensæ, ac infinitæ, cui præsentissimæ orantes loquimur, Majestatis, & econtra extremæ nostræ vilitatis, & indignitatis, non nisi summa cum humilitate & demississima reverentia orationem nostram incipiamus, & continuemus, semper indignissimos nos tantâ gratiâ, & favore reputandô, ut cum immensa illa Majestate loquamur, laudémque ejus pronuntiemus, eam nihilominus orantes, rogantes, & laudantes, quia à nobis, quantumvis indignis, laudari vult, indéque beneplacitum habet.

115. Resp. II. Externa reverentia & humilitas potissimùm consistit in sequentibus: videlicet *Primò.* In decenti, humili, & reverentiali situ, ac compositione corporis; circa quam inprimis illud notandum, ut recitandô Horas Canonicas in Choro exactè serventur ceremoniæ à Rubricis, vel Statutis præscriptæ, ad standum, genuflectendum, inclinandum &c. Circa orationes privatas, licèt non sit præscriptus certus corporis situs, ita, ut etiam jacendô, & sedendô fieri queat, tamen reverentiæ, & decentiæ magìs congruum, indéque Deo magìs gratum, & nobis magìs meritorium est, ut (nisi causa rationabilis aliud suadeat, exigat, vel permittat) oratio vocalis non jacendô, vel sedendô, sed ad contestandam debitam erga Deum reverentiam, flectendô, vel saltem standô, aut modestè deambulandô fiat; sicut enim contra debitam reverentiam agere judicaretur plebejus aliquis, qui sinè justa causa jacendô, vel sedendô, Regi aut Principi supplicaret; sic etiam eidem reverentiæ repugnare videtur, jacendô, aut sedendô supremam illam Majestatem formatîs orationibûs vocalibûs interpellare, eò quòd hic situs corporis humilitatem, & reverentiam non sapiat; cùm econtra eandem prodat, simúlque ad devotionem & reve-

reverentiam, humilitatémque internam moveat, aut juvet situs standi, vel moderatè deambulandi, præsertim verò flectendi, utpote qui ultimus modus summam reverentiam, & humilitatem externam ad orationem indicare solet: juxta illud *Psalm. 94. v. 6. Venite, adoremus, & procidamus ante Dominum.* hinc dicit Paulus *ad Ephes. 3. v. 14. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JESU Christi.*

116. Dictum tamen est *num. præced.* notanter: *nisi causa rationabilis aliud suadeat, exigat, aut permittat.* qualis est v. g. infirmitas, debilitas, fatigatio, vel aliud impedimentum; ob talem enim, vel aliam similem causam, perfectioni, & reverentiæ non obest, si etiam sedendô, vel jacendô oratio peragatur; præsertim si exinde ad orandum magìs dispositum quis se sentit; quia, si certus situs corporis ad devotè & attentè orandum magìs alicui conducit, vel juvat, absque irreverentiæ nota assumi potest, dummodo interna reverentia, ac humilitas habeatur, ùt bene advertit Navarrus *in Enchirid. de Orat. cap. 6.*

117. *Secundò.* Reverentia exigit, ut oratio vocalis in competenti, & decenti loco peragatur; quamvìs enim juxta communem SS. Patrum, memoria præsentis DEI, humilísque cum eo conversatio, ac brevis oratio mentalis in omni loco, etiam latrina v. g. absque ulla irreverentiæ nota fieri possit, ac debeat, conformiter doctrinæ Pauli *1. ad Timoth. 2. v. 8. Volo viros orare in omni loco.* & S. Bernardus *de Meditat. c. 6. Ubicunque fueris, intra temetipsum ora; si longè fueris ab oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es.* orationem tamen vocalem formatam v. g. Rosarium, Horas Canonicas &c. in loco indecenti v. g. latrinâ orare, contra debitam reverentiam esse, volunt Ascetæ, nisi causa, vel necessitas excuset.

118. Porro ad circumstantiam loci pertinet, ne absque necessitate vel justa causa, oratio fiat in loco distractiones causante, v. g. ubi alii garriunt, ludunt, vel cantant. Enimverò in tali loco orare, est voluntariè se conjicere in varia distractionum, & irreverentiæ pericula. Optimus ad perfectè orandum locus, est Ecclesia, Oratorium, Cella, vel alius locus à communione & con-

consortio aliorum separatus; in tali enim loco tantæ non sunt causæ distractionum, nec ansa hypocrisis; & econtra adest optima occasio liberè effundendi cor ad Deum, & pro devotione faciendi suos ad DEUM affectus, hinc dicit Christus *Matth. 6. v. 6. Cùm oraveris, intra cubiculum tuum, & clausò ostiò ora Patrem tuum in abscondito.*

119. Dicitur autem *num. praced.* notanter, *absque necessitate, vel justa causa;* ob hanc siquidem utique possumus etiam in consortio aliorum orare, dummodo mentem ab iis, quæ ibi fiunt, vel dicuntur, avertamus: sic enim adhuc in cubiculo orare censemur, juxta illud Glossæ in *Clem. un. de Reliquiis, & venerat. Sanctorum.* ℣. *Orationis.* ex Cassiano *Coll. 9. cap. 35. Intra cubiculum oramus, cùm à cogitationum, & solicitudinum strepitu, corde remoto, secretè & familiariter soli DEO preces nostras referamus.*

120. *Tertiò.* Exigit reverentia, ut fiat debita cum custodia sensuum, oculorum præcipuè, ne videlicet iis sub oratione hinc inde vagemur, néve cum aliis loquamur, vel eis loquentibus aures præbeamus, vel aliquid cum oratione incompatibile agamus; hæc enim & similia contra debitam reverentiam esse, quivis agnoscet. Accedit, quòd talia agens, causam necessariæ distractioni præbeat, indéque saltem venialiter peccet, nisi ex inadvertentia id fiat: de quo plura in Theologia.

121. *Quartò.* Exigit reverentia, ut debita cum gravitate, & modestia, sinè nimia deproperatione, seu præcipitantia, & syncopatione fiat oratio vocalis; sicut enim defectum debitæ reverentiæ committeret, & displiceret potiùs, quàm placeret, si quis apud terrenum Regem res summi momenti propositurus, aut pro se, vel aliis summè necessaria rogaturus, verba quasi per postam summa cum præcipitantia, aut deproperatione, aut etiam syncopatione deblateraret, ad modum puerorum, suas lectiones, aut alia, quæ memoriter perfectè sciunt, recitantium; ita, & multò magis debitæ reverentiæ adversam & culpabilem irreverentiam committit, parúmque, vel penitus non placebit, sed displicebit, nec aliquid obti-

obtinebit, si miser homo coram immensa, ac tremenda Majestate Divina id facit.

122. Deplorandum sanè, quòd defectus iste revera notabilis, & perfectionem, efficaciámque orationis plùs, quàm credi potest, diminuens, tam parùm curetur, cùm multos, cæteroquin sat bonos, Deúmque timentes reperire sit, qui orationes suas, tam publicas, quàm privatas, præfata culpabili celeritate, deproperatione, & præcipitantia, ordinariè persolvunt, plùs soliciti, ut orationem citò absolvant, quàm ut rectè persolvant, contenti, dummodo integrè cunctis verbis pronuntiatis, totalem orationem perficiant. Et quod pessimum est, notabilem hunc defectum nec apprehendunt, nec agnoscunt, imò eundem etiam defendunt, ac propterea malum ita orandi habitum, ac consuetudinem deponere nullatenus satagunt: ad quod grande malum ne vos Charissimi! aliquando deveniatis, diligenter cavete, & satagite primis statim conversionis vestræ annis, ut discatis, & assuescatis, debita cum reverentia, & humili gravitate, sinè nimia celeratione, ac deproperatione, orationes vestras persolvere, aliàs certè orationis efficaciam, & effectum non percipietis, nec mirabilem ejus dulcedinem unquam gustabitis.

123. Quæritur VII. An, & qualiter ad perfectam orationem fides requiratur, & fiducia? Resp. Qui perfectè orare, & à DEO, quod petit, impetrare vult, omnino debet vera cum fide, & fiducia orare, id est, non debet dubitare, sed firmiter credere, & sperare, Deum illud, quod petit, certò daturum, nisi videat, id non vergere ad suam gloriam, vel petentis salutem. Et quò major, aut firmior erit petentis fides, & fiducia, eò gratior erit DEO oratio, & certiùs, atque efficaciùs obtinebit petita, etsi plurima forent, & maximi momenti. Hæc doctrina manifestè patet ex ineffabili veritate, & promisso Divino; nam *Marci 11. v. 24.* dicit Christus: *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Et *Jacob. 1. v. 6.* ubi Apostolus docens, qualiter orare debeamus, dicit: *Postulet autem in fide, nihil hæsitans.* Psalmi etiam pleni sunt promissis Divinis, quibus omnibus assistentia,

protectio, auxilia, & quævis alia promittuntur confidentibus in Domino.

124. Quæritur VIII. Qualiter ad perfectam orationem requiratur frequentia, & perseverantia? Resp. I. Omnino requiritur, ut frequens, & in aliquo sensu quasi assidua sit oratio nostra ad Deum. Ita patet ex variis, iisque claris S. Scripturæ locis: ùt *Luc. 18. v. 1.* ubi Christus ipse ait: *Oportet semper orare, & non deficere.* & *c. 21. v. 36. Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Et *Tob. 4. v. 20.* Pater Tobias filio suo suasit: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat.* concordant SS. Patres, qui frequentem orationem unanimiter commendant, & suadent.

125. Ratio est; quia, cùm ex nobis prorsus nihil habeamus, nihil sciamus, & nil valeamus, in cunctis semper ad Deum per frequentem orationem curramus necesse est; prout satis patet ex iteratò dictis.

126. Resp. II. Oratio, ut sit perfecta, & ad quævis obtinenda efficax, debet etiam esse perseverans, id est, dum desideramus à DEO aliquid, & id petimus ab eo, non debemus cessare orare, si id prima, secunda, & tertia vice non obtinemus, sed oportet tamdiu perseverare, & continuare preces, & orationes nostras, donec impetremus. Ita docuit nos Christus ipse *Luc. 11.* ubi, postquam per parabolam dixerat, quòd nos, etsi mali demus amicis nostris, si non ex amore, saltem propter importunitatem, si in oratione perseverant, infert: multò magis fore, ut Pater cœlestis sit nos exauditurus, si illum orare, & rogare non cessamus, sed perseveramus. Et inde ad perseverantem orationem adhortans, subdit ibidem *v. 9. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.*

127. Concordant SS. Patres, & Ascetæ, perseverantiam in oratione unanimiter suadentes. Ratio est; tum, quia Deus non tantùm semel, sed sæpiùs, & perseveranter, etiam pro una, eadémque re, gratia, vel auxilio rogari vult; tum, quia in oratione, & invocatione nostra iteratò facta singulare beneplacitum habet: tum, quia oratio cum perseverantia ad nostram, quam aman-

amanter desiderat, salutem, & utilitatem revera plurimùm confert.

128. Hinc, ut ad continuandam, & multiplicandam orationem, atque perseverandum in ea nos inducat, & adigat, differt subinde petita dare; variásque necessitates, indigentias, & pericula immittit, aut permittit, ùt bene advertit sanctus Bonaventura *de Profect. Religios. Lib. 2. c. 69.* Pulchrè etiam ad propositum scribit sanctus Gregorius *in Explan. 6. Psalmi Pœnit.* illis verbis: *Vult Deus rogari, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto igitur sedulus in oratione: esto in precibus importunus: cave, ne in oratione deficias: si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut Regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis. Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur, proximus non læditur, sed juvatur, peccatum minuitur, non multiplicatur.* Sed occasione dictorum

129. Petes. Quomodo intelligi, & observari possit, ac debeat doctrina Christi, & S. Pauli, volentium, ut *semper, & sinè intermissione oremus?* Item: quid in praxi fieri, & observari debeat, ut satisfiat frequentiæ, & assiduitati orationis, à DEO, & sanctis Patribus commendatæ?

Resp. I. Doctrina Christi, & D. Pauli Apostoli, quòd *semper, & sinè intermissione oremus,* non est intelligenda de oratione propriè dicta, sed de oratione in sensu largiori, vel etiam largissimo accepta, quatenus videlicet nomine orationis venit non tantùm mentalis, vel vocalis ad DEUM petitio, sed etiam meditatio, pia consideratio, laus, & adoratio Dei, gratiarum actio, & quivis pius erga DEUM actus, vel affectus, imò, & quodvis opus bonum, bona intentione factum; ut proin præfatæ doctrinæ non magis satisfaciat, qui semper, & propriè orat, quàm qui aliud bonum, Deóque placitum opus bona intentione agit, ùt bene explicat Glossa ordinaria in Textum *Oportet semper orare.* ubi addit: *Semper orat, qui semper bene agit.* Ratio est; quia in sensu stricto, & proprio semper orare impossibile foret, hoc ipso, quòd ex præcepto Divino, & naturali, aut necessitate naturæ debeamus alia facere v. g. laborare, studere, legere &c. Hinc S. Petrus

trus Damiani *Lib. 8. Epist. 2. ad Cynthium*, tunc temporis Gubernatorem Urbis Romanæ; Virum orationi summopere deditum, bene monuit illis verbis. „Cave ergo, ne propter „peculiaris orationis studia, qui„bus insistere fortè contendis, „disciplinam tam innumerabilis „populi, qui tibi commissus est, „negligens, & propter proprium „commodum, communem sa„lutem plebis, quæ justitiam à te „præstolatur, omittas; scriptum „quippe est: qui conservat le„gem, multiplicat orationem, „& sacrificium salutare, atten„dere mandatis; justitiam ergò „facere quid aliud est, quàm „orare?

130. Resp. II. Quamvis juxta dicta nec debeamus, nec possimus semper & sinè intermissione orare, sumendô orationem in sensu proprio, summè tamen expedit, Deo gratissimum, nobis utilissimum, ad peccata vitanda, ac ad virtutes, & perfectionem assequendam necessarium est, ut saltem frequenter, & quasi continuò quotidie oremus, etiam in sensu vel proprio, vel saltem minùs largo, quatenus nempe oratio est mentalis, vel vocalis petitio ad DEUM, vel pia consideratio, aut meditatio, laus, vel adoratio, vel gratiarum actio, vel alius pius ad DEUM actus, & affectus; ita, ut Dei jugiter memores, mentem nostram ad illum frequenter, & quasi aliquo modo assiduè elevatam habeamus, eíque adhæreamus. Ita siquidem ex allegatis Textibus *de Oratione*, satis apertè desumitur.

131. Quæritur IX. An, & qualiter oratio fiat resignatè? Resp. Omnino requiritur, ut oratio nostra fiat resignatè, seu animô resignatô, ídque dupliciter. Et quidem *Primò*. Ut, quandocunque à DEO petimus aliqua, præsertim temporalia, de quibus certò scire non possumus, an, quomodo, & quando cedant ad gloriam Dei, vel animæ nostræ salutem, id faciamus cum plena resignatione, & remissione expressa, vel tacita, ad Divinam voluntatem; videlicet, si eidem placet, si vult, quando vult, quantum vult, quomodo vult, & qualiter cognoscit esse, & fore ad ipsius gloriam, & nostram, vel aliorum salutem. Ita verbô, & suô exemplô nos docuit Christus: verbô quidem, dum in oratione

tione Dominica principaliter nos docuit orare, ut in omnibus petamus à DEO: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Exemplô autem, quando ipse trina vice, consequenter instanter, oravit quidem ad Patrem, ut auferret calicem, addidit tamen semper: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat:* quo orandi modo manifestè nos docuit, etiam nos pro consequendis bonis, & avertendis malis temporalibus posse quidem, & debere DEUM rogare, hoc ipso, quòd etiam pro his, sicut pro omni alia re, rogari velit, id tamen semper cum resignatione in Divinam voluntatem facere debeamus.

132. Ratio est; quia Deus sæpissimè prævidet, id, quod petimus, esse, vel fore ad nostrum interitum, vel animæ perniciem, vel majus damnum temporale; aut prodesse quidem, sed non de facto, vel tali modô, quo nos volumus, econtra verò tribulationem aliquam, persecutionem, vel aliud malum temporale, vel corporale, pro quo avertendo ipsum rogamus, conducere ad suam gloriam, & nostram salutem: consequenter, si absque tacita, vel expressa resignatione in Divinam voluntatem pro hujusmodi rebus orationes nostras funderemus, contra DEUM, & nos ipsos, ac proin malè rogaremus, digni profectò, ut pro debita pœna, & non nisi nostro cum damno nos exaudiret Deus, juxta illud D. Augustini *in Joan. de verbis Domini. serm. 53. Aliquando Deus iratus dat, quod petis, & Deus propitius negat, quod petis.*

133. Imò prævidet sæpiùs Deus, quòd etiam gratiæ, & dona spiritualia, quæ petimus, hic & nunc non sint nobis proficua, vel certè non eo modo, vel gradu, quo petimus, utpote qui forsan gratiam talem acceptam vel essemus neglecturi, vel eidem non condignè cooperaturi, vel eâ abusuri, vel elati evasuri, consequenter non nisi damnum reportaturi. Econtra, dum alio tempore, vel alio modo ea elargitur, bene profutura cognoscit, ut proin etiam in his, sicut in illis, cum tacita, vel expressa resignatione orare, bonum sit: quod optimè docuit Thomas Kemp. *de imit. Christi. Lib. 3. cap. 16.* ubi Christum ita loquentem inducit: *Semper cum timore Dei, & cordis humilitate desiderandum est, & petendum, quidquid desiderabile menti occur-*

occurrit, maximèque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum: Domine tu scis, qualiter melius est, fac hoc, vel illud, sicut volueris, da, quod vis, & quantum vis, & quando vis.

134. *Secundò.* Debet oratio fieri cum resignatione in ordine ad ariditatem, & devotionem sensibilem, consolationem, vel desolationem, ita, ut cum voluntate, & beneplacito Divino contenti, orationem nostram facere, & continuare debeamus, sive devotionem aliquam sensibilem, vel consolationem spiritualem, sive ariditatem, sterilitatem, tædium, & difficultatem, variásque distractiones in ea sentiamus, dummodo pacatè, & quietè, humiliter, & simpliciter nostrum faciamus, & distractionibus voluntariè non inhæreamus, nec causam illarum voluntariè præbeamus, sed eas, quamprimum advertimus, rejiciamus, vel simpliciter dimittamus, & in oratione iterum pergamus.

135. Nam, quod bene notandum, oratio, quæ summa etiam cum ariditate, & sterilitate, sinè omni devotione sensibili, & consolatione spirituali, etiam inter quasi continuas, involuntarias tamen distractiones, fit, DEO non minùs, sed magìs grata, nobísque magìs utilis, & meritoria est, quàm quæ summa cum devotione sensibili fit; tum, quia ab amore, & interesse proprio purior est, eò quòd priori modô orans prorsus nullum gustum, & gaudium, nullámque consolationem, sed tædium potius, & difficultatem sentiens, nihilominus, & quidem ideo præcisè oret, quia scit, & credit, velle Deum, placere Deo &c. ut oret; tum, quia patientia, & resignatio, quam in toleranda, & supportanda difficultate quis habet, nec non spiritualis pugna, & resistentia, quam in repellendis, & dimittendis distractionibus exercet, Deo plurimùm placent, magnum meritum causant, ipsámque orationem DEO gratiorem, & nobis utiliorem efficiunt.

136. Quæritur X. Quænam post orationem vocalem observanda sint? Resp. Post orationem publicam, Horas nempe Canonicas, quin etiam post privatam longiorem, sequentia sunt observanda; videlicet *Primò.* Oportet DEO agere gratias. *Secundò.* Debemus orationes, & pre-

preces nostras DEO denuo breviter offerre, eúmque rogare, ut defectus in ea commissos suppleat. *Tertiò.* Oportet pro defectibus in ea commissis, veniam petere, de iísque dolere, & emendationem proponere: quæ omnia breviter fieri possunt, modô sequentî, vel similî.

Actus

Post Orationem longiorem, præsertim publicam eliciendi.

137. O Immense, Clementissime Deus! humillimas gratias tibi refero, quòd me vilissimum ad audientiam tuam admittere, meásque indignissimas preces, & tuam Divinam laudem, de ore abominabilis peccatoris audire dignatus sis: humillima, & omni possibili reverentia, plenáque fide, & fiducia, illas cum oratione, & laude Christî JESU, ejusdémque B. Virginis Mariæ, & omnium Electorum, juxta intentionem ab initio factam, denuo tibi offero, demississimè rogans, ut defectibus in ea commissis (de quibus omnibus doleo, & emendationem propono) misericordissimè ignoscere, hísque non obstantibûs, illas acceptas habere, & benignissimè exaudire digneris, per eundem Dominum nostrum JESUM Christum. Amen.

138. Et quoniam Leo Papa X. concesserit plenariam remissionem culparum & defectuum, in qualibet Hora Divini Officii humana fragilitate commissorum, omnibus & singulis, qui in fine devotè recitaverint orationem à Doctore nostro Seraphico, S. Bonaventura dispositam, videlicet: *Sacrosanctæ & individuæ Trinitati &c.* quæ ad initium Breviarii habetur; igitur, ut hanc quivis post horas Canonicas devotissimè persolvat, sanctè curet, & assuescat.

139. Poterit quis etiam, si tempus vacat, breviter se recolligere, quomodo orationem, laudémque Divinam persolverit; &, si forsan majores defectus reperiat, de iis, causísque illorum dolere, emendationem proponere, &, si quid omissum, aut erratum sciat, supplere non omittat.



Appen-

Appendix de Principiis Practicis Circa Orationem vocalem.

Principium I.

140. MAgnam ſemper habere æſtimationem de dignitate, præſtantia, neceſſitate, & utilitate orationis tam publicæ, quàm privatæ.

Principium II.

141. ORationem ſummopere amare, eámque ſedulò frequentare, hinc nihil aggredi, vel incipere abſque prævia, ſaltem brevi, oratione, & invocatione Divini auxilii.

Principium III.

142. IN omni dubio, difficultate, anxietate, tribulatione, & neceſſitate ad orationem humillimè & confidenter recurrere.

Principium IV.

143. SUb operibus ſuis, & aliàs frequenter interdiu, per pios affectus, & preces jaculatorias (de quibus Cap. XV.) cor ad Deum erigere.

Principium V.

144. STudere, & ſatagere, ut ſtatim in juventute aſſueſcamus, & habitum contrahámus, orationes vocales tam privatas, quàm publicas, perfectè, & exactè perſolvendi, juxta conditiones ſuperiùs declaratas; debita videlicet cum præparatione prævia, cum attentione, & devotione, humilitate, & reverentia, fide, & fiducia, perſeverantia, & reſignatione.

Principium VI.

145. SÆpiùs, & tam diu ſuperiorem materiam de oratione, & requiſitis illius legere, & relegere, donec cuncta perfectè capiamus, & memoriæ ſufficienter impreſſa habeamus, atque in praxin deducere ſciamus.

Principium VII.

146. PRæcipuè verò, & præ cæteris ſæpiùs, magíſque relegere illam materiam, vel requiſita ad orationem perfectam, in qua nos adhuc magìs defectuoſos agnoſcimus, ídque tam diu, donec illud quoque, & ſic ſucceſſivè cuncta perfectè ſciamus,

mus, & in sanctam praxin deducamus.

Principium VIII.

147. Diligentissimè cavere, ne in juventute contrahamus habitum orandi imperfectè v. g. sinè omni prævia præparatione, vel debita attentione, ac devotione, vel sinè debita reverentia, vel nimia cum celeritate, & deproperatione.

Principium IX.

148. Semper magìs attendere, ut debitè, & exactè persolvamus, quàm ut brevì absolvamus, & finiamus orationes nostras.

Principium X.

149. Omnino cavere, ne unquam nimia cum anxietate, vel scrupulositate, circa attentionem; vel alia, orationem aliquam persolvamus, aut ad devotionem aliquam sensibilem nos quasi cogamus, indéque memoriam, & caput lædamus, naturámque debilitemus, sed potiùs pacatè, & quietè, humiliter, & simpliciter, cum fiducia ad Deum, ex pia aliqua spiritûs libertate, sanctáque resignatione oremus.

Principium XI.

150. Certissimè credere, quòd, licèt perfectus orandi modus, utpote hucusque non assuetus, nec practicatus, ab initio difficultatem aliquam, & tædium præseferre videatur, successu tamen temporis, si quis suum humiliter facere non cessat, semper facilior, jucundior, & delectabilior evasurus sit; certissimum námque est, quòd juxta superiùs dicta, debitè ac perfectè orare, gaudium, & quietem, imperfectè verò orare, difficultatem, laborem, & tædium generet: & *quantò frequentiùs quis orat, tantò fiat oratio ei delectabilior, & efficacior, & quantò rariùs, tantò insipidior, & tædiosior*, teste S. Bonav. jam citatô *de Prof. Relig. l. 2. cap. 69.*



§. IV.

De Modo debitè surgendi de manè.

151. Quæritur I. Quantum intersit, de mane debitè surgere, & diem sanctè ordiri? Resp. Utilissimum, Deóque gratissimum esse, & plurimùm referre, eò quòd juxta communem Ascetarum opinionem, ipsa etiam experientia teste, perfecta, & imperfecta, mala & bona totius diei collocatio plerumque à perfecto, & imperfecto, bono, vel malo diei initio, primísque perfectis, vel imperfectis, bonis, vel malis actibus ejusdem dependeat, adeò, ut, si bene, & perfectè inchoëtur, tota quasi dies reliqua plerumque bene, & perfectè transigatur: econtra malè, vel tepidè, ac imperfectè abeat, si malè, tepidè, ac imperfectè incipiatur.

152. Ratio est; quia, sicut omnium aliarum rerum, ita etiam diei cujuslibet primitias desiderat, eísque honorari vult Deus, & peculiare in illis beneplacitum habet, ac propterea exhibentibus illam, gratias, & benedictiones Divinas copiosè promittit, & largitur, prout passim videre est in S. Scriptura; nam *Proverb. 8. v. 17.* ipse testatur: *Qui manè vigilant ad me, invenient me.* Et Psalmista *Psalm. 89. v. 14.* fatetur: *Repleti sumus manè misericordiâ tuâ.* Qui autem hujusmodi sanctas diei primitias Deo dare negligit, Deum desiderato honore, & beneplacito, seipsum verò singulari gratia, & benedictione Divina privat.

153. Hinc teste Climaco *gradu 26.* quivis tam bonus, quàm malus Angelus de manè attentè vigilat, & laborat, ut principium diei, & primitias actuum, pro se, suóque intento acquirat: ille quidem, nempe Angelus Custos, ut Cliens debito tempore, modóque debito surgat, bonísque & sanctis actibus diem incipiat, sícque gratissimis diei primitiis Deum honoret, indéque ab illo benedictionem Divinam, copiosámque, & efficacem gratiam recipiat, eáque munitus diem reliquum sanctè transigat; diabolus verò, ut instante surgendi tempore, stratum non statim deserat, sed sensualitati indulgeat, dormire, & stertere pergat, & otiosè jacens, vel tardiùs sur-

surgens, diem, si non malîs, saltem profanîs, mundanîs, & inutilibûs cogitationibûs, ac verbîs, actibúsque tepidîs, & imperfectîs, malè inchoët, sícque malîs, ac imperfectîs diei primitiîs seipsum, vel aliam creaturam pro Deo habeat, colat, & honoret, ipsíque dæmoni magìs, quàm vero Deo placeat, & vel inde gratia, & benedictione, vigilantibus de manè, & bene agentibus promissâ, destitutus, diem reliquum, ùt incepit, malè vel tepidè, ac imperfectè consumat.

154. Quæritur II. Quænam observanda, ut quis manè debitô modô surgat, & consequenter desideratas diei primitias Deo offerat? Resp. Sequentia bene esse observanda. *Primò*. Facienda, & observanda est prudens statui, & officio accommoda, ac proportionata divisio temporis, vi cujus determinari debet certa hora, seu tempus de nocte eundi cubitum, ad hoc, ut natura necessarium somnum, & quietem capere, somnóque refecta manè debito tempore surgere, muneribus obedientiæ satisfacere, & Deo servire queat.

155. Nec valet quis dicere, quòd, qui de nocte diu laborat, de manè diutiùs dormire utique valeat? Resp. enim, ordinem Dei invertere illos, qui noctem labore, & diem somnô, aut quiete inordinatè consumunt, cùm Deus noctem pro somno, & diem pro labore hominibus præfixerit, juxta illud *Psalm. 103. v. 22. & 23. Ortus est sol, exibit homo ad opus suum.* Accedit, quòd tempus matutinum ad quosvis animi, & corporis actus sit omnium optimum, & pretiosissimum; consequenter multùm errat, qui illud somnô, aliud autem minùs aptum tempus labore consumit; præsertim, quia etiam Deus matutinum tempus sanctè applicari desiderat, manéque vigilantibus, surgentibus, & operantibus suam benedictionem, gratiam, misericordiam, & coronam promittit. Unde & Ecclesia canendô monet: *Non sit vobis vanum manè surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus.* Felices in hoc puncto sunt, qui à Superioribus, consequenter à Deo, determinatum tempus habent, de nocte cubitum eundi, & de manè surgendi; quales estis vos Charissimi.

156. *Secundò.* Quamprimum evigilas, & tempus seu horam,

ſive ex obedientia, ſive mediante prudenti temporis diviſione à te ipſo ad ſurgendum præfixum, adeſſe cognoſcis, diligentiſſimè cave, ne primæ tuæ cogitationes, vel verba ſint vana, aut profana, ſed ſtatim memor præſentis Dei, pios actus elice, & quidem ante omnia profundiſſima humilitate, & reverentiâ, plenáque tui diffidentiâ, & confidentiâ in DEUM, præſentiſſimam invoca SS. Trinitatem pro gratia, & auxilio univerſaliter ad omnia, trina vice devotè pronunciandô efficax illud: ***Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina.*** addendô in fine *Gloria Patri &c.* Cùm enim fide certum ſit, quòd ſinè gratia Dei prorſus nil meritoriè poſſimus, omnéſque etiã cæteroquin pii actus, ſinè gratia Dei prævenientе, excitante, & concomitante, Deo non placeant; utiliſſimum, & ſecuriſſimum, Deóque gratiſſimum eſt, ante omnes alios, etiam pios actus noſtros, Deum generaliter invocare pro gratia & auxilio. Sanè mirum in modum commendant SS. Patres prædictum verſiculum, ſeu breviſſimam, ſimúlque efficaciſſimam Divini auxilii invocationem: ***Deus in adjutorium &c.*** volúntque, ut ſæpiſſimè per diem fiducialiter, & humiliter ad Deum emittatur, præcipuè verò de manè, quamprimum evigilamus, utì videre eſt apud Navarrum in Enchirid. *de Orat. cap. 19, n. 1. & ſeqq.* ubi omnes enixè rogat, ut brevem hanc orationem, à Spiritu ſancto dictatam; DEO gratiſſimam, ad fugandos dæmones, ad vincendas tentationes, ad declinandum malum, & faciendum bonum quodcunque, ad impetrandum quodvis auxilium ſæpiùs, & devotè adhibere aſſueſcant.

157. Poſtea convenit ad cream tam ſanctam Triadem recurrere, devotéque, ac fiducialiter pronunciare, & invocare ſanctiſſima tria Nomina, *JESUS, Maria, Joſeph;* tum, quia poſt SS. Trinitatem, & tres Perſonas Divinas, iſtæ tres Perſonæ ſunt ſanctiſſimæ, & noſtrûm amantiſſimæ, conſequenter, ut ante omnes honorentur, & invocentur, digniſſimæ; tum, quia devota, & fiducialis ſanctiſſimorum horum Nominum, & Perſonarum pronunciatio, & invocatio, miram, & multiplicem habet efficaciam, dæmonémque de manè nobis præ-

præprimis insidiantem, patenter fugat; tum, ut quotidiana hac præfatorum Nominum pronunciatione, & invocatione, pium habitum acquiramus, quo digni simus, etiam in mortis articulo eadem sanctissima Nomina pronunciandi, eorúmque pia pronunciatione, & invocatione, Indulgentias plenarias (quæ eidem illo tempore annexæ sunt) certiùs lucrandi.

158. *Tertiò.* Advertendum, & cavendum, ne adveniente surgendi tempore, cum culcitra disputes, vel diu cuncteris, sed tibi ipsi, & sensualitati vim inferens, præmissis actibus piis, inter illos, ad gloriam Dei, & confusionem dæmonis, statim surge, hoc enim si facias, primam de te ipso, sensualitate, & dæmone victoriam reportas, per eámque, tanquam gratissimas primitias, Deo singulariter places: sicut econtra eidem displiceres, si illo postposito, ex amore sensualitatis permitteres, ut diabolus primam victoriam, & primitias, non sinè aliis malis sequelis obtineret. Et circa hoc monet Spiritus Sanctus *Eccli. 32. v. 15. Horâ surgendi non te trices.*

159. *Quartò.* Observandum, ut etiam, postquam surrexisti, vana, aut profana non cogites, nec cum aliis loquaris, aut agas (uti faciunt multi mundani, quorum prima cogitatio, & cura, sermo, & actio est de profanis, & terrenis) sed mentem ad Deum elevatam tenere, & conservare pergas per breves aliquos pios actus, quibus sanctissimam Trinitatem breviter adores, eíque te offeras, & eandem pro benedictione, & auxilio invoces. Pariter breviter oportet adorare, & invocare JEsum Christum, ejus B. Matrem, & Virginem Mariam, S. Angelum Custodem, SS. Patronos, Sanctósque omnes. Cæterùm cùm in quovis obvio libello precatorio varios actus & preces matutinas passim invenire sit, consultò hìc omittuntur, subjunctis solummodo actibus bonæ intentionis & oblationis, nec non sancti cum DEO pacti Amoris.

Actus Intentionis, & Oblationis.

160. „IN gratiarum actionem, & debitum servitutis meæ

obſequiũ, humillimè tibi hodie, & in perpetuum offero, conſecro, & immolo me totum, qualemcunque, & quantumcunque, corpus, & animam, potentias, & actus utriusque, verba, cogitationes, & opera, omiſſiones, & commiſſiones, afflictiones, & tribulationes internas, & externas, omnésque alias actiones & paſſiones, tam naturales, quàm liberas, cum unione vitæ, paſſionis, mortis, & meritorum Chriſti, ejúsque B. V. Matris Mariæ, omniúmque Electorum. Item in unione intentionis & oblationis, qua Chriſtus JEſus, ejúsque beatiſſima Mater, & omnes Electi ſe, ſuáque obtulerunt; offero, inquam, & conſecro me tibi, & præfata cuncta ad perpetuam laudem, gloriam, & honorem, ſervitium, & beneplacitum Divinum, in conteſtationem infinitæ excellentiæ, ſupremíque tui ſuper me; & omnia dominii, noſtræque ſubjectionis, ſervitutis, & dependentiæ. In gratiarum actionem pro cunctis beneficiis, mihi, omníque creaturæ collatis, in remiſſionem, ſatisfactionem, & propitiationem meorum peccatorum, & ad lucrandas omnes Indulgentias, quas hodie lucrari valeo; pro quibus obtinendis opera debita juxta intentionem requiſitam tibi offero, humillimè rogans, ut illas, quarum capaces ſunt animæ in purgatorio, eisdem unà cum reliquo fructu meo ſatisfactorio (quem omnem, quantùm poſſum, & tibi placet, illis dono) misericorditer concedere digneris, ſpecialiter verò defunctis meis Parentibus, Fratribus, & Sororibus N.N. & iis, pro quibus magis orare teneor, & tu rogari vis. Item offero pro impetrandis donis, & gratiis mihi neceſſariis, præſertim verò N. N. (ſpecifica dona, gratias, vel beneficia, quæ magis deſideras, magísque tibi utilia, vel neceſſaria ſunt v. g. certam aliquam virtutem, pro qua examen particulare inſtituis) pro exaltatione Matris Eccleſiæ; extirpatione hæreſum; concordiâ Principum Chriſtianorum, & ſalute Romani Pontificis: pro Cardinalium Collegio, præſertim Protectore noſtro, pro Epiſcopis, & Sacerdotibus; pro omnibus Religioſis, ſpecialiter pro Ordine, Provincia, Conventu, & Superioribus noſtris; pro Parentibus, & Propin-

pinquis: pro Benefactoribus, & pro ijs, qui se precibus meis commendaverunt, ac pro quibus orare promisi, & orare quacunque ratione teneor; specialiter pro N.N. (poteris aliquos specificare) ac tandem pro mea, & aliorum animæ, & corporis salute, temporali, & spirituali prosperitate, secundùm sanctissimam voluntatem tuam, & Divinum beneplacitum consequenda.

Sanctum cum DEO Amoris Pactum.

161. „UT verò perfecti amoris, „& servitutis, ab omni creatura tibi debitæ, obsequium, quod tibi vel à me, sive ab alia creatura in effectu iniquè fuit subtractum, aut subtrahetur adhuc, justô saltem aliqualiter suppleatur desideriô, bonâque voluntate, & intentione, coram Divina tua Majestate, totâque coelesti Curia, humillimè ac sincerissimè contestor, quòd omni cogitatione, verbo; & opere, actione, & passione, libera; & naturali, præterita, præsenti, futura, & possibili, non tantùm meâ, sed etiam omnis alterius creaturæ, præteritæ, præsentis, futuræ, & possibilis, ex corde desiderem, omninò velim, & intendam, in te, & tibi Deus meus credere; quia infallibilis veritas es. In abyssum nihili me abjicere, & unà cum omnibus creaturis humillimè te adorare, laudare, & benedicere; quia supremus Dominus, & unicus finis meus es. Tibi propter magnam gloriam tuam, & pro omni totius universi bono, infinitas gratias agere, tibique soli de eodem omnem laudem, & gloriam tribuere; quia omni, & infinita laude dignissimus es. Te super omnia amare, & de infinita tua felicitate gaudere, quia in te infinitè gloriosus, & summum bonum meum es. Te super omnia desiderare, & sperare; quia in te sperantibus bonus es. Amore erga te dolere, & poenitere, quòd unquam te offenderim, detestari propterea etiam, & abominari omnia mea, & aliorum peccata; quia gravissimæ tui offensæ sunt. Proponere firmissimè, non ampliùs te offendere, ac insuper, quantùm est in me, procurare, ut nec à me, nec ab alio ampliùs offendaris. Rogare, ac sperare veniam meo-

meorum, &aliorum peccatorum. Pro me, & aliis, gratias, & dona tibi grata, & nobis necessaria, & utilia, præsertim verò N.N. & pro quibus humillimè jam priùs cuncta obtuli, in Nomine JESU fiducialiter petere. Me, & omnes alias creaturas sanctissimæ voluntati tuæ resignare, atque ad Divinum beneplacitum, gloriam, & honorem offerre, immolare, & sacrificare, omnésque alios tibi placitos virtutum actus, omni possibili perfectione, in unione actuum Christi, & in virtute cordis ejusdem producere. Quòd si alia intentio, tentatio, aut motivum tibi contrarium vel inadvertenter mihi obveniat, contra illud „pro nunc & semper protestor.

162. Hoc desiderium, & pactum ideo saluberrimè est eliciendum; quia mediante illo facimus, ut per omnes creaturas, præteritas, actuales, futuras, & possibiles, rationales, irrationales, imò etiam diabolicas, & infernales, actúsque, & passiones, & omissiones eorum, injuriæ, & offensæ Dei aliquo modo resarciantur: & econtra illius honor & gloria, salúsque, & meritum nostrum augeatur, & promoveatur; sicut econtra eædem injuriæ, & offensæ Divinæ augerentur, simúlque contra Dei gloriam & honorem inexplicabiliter ageretur, peccatáque innumera, pœnæ, & detrimenta ex parte nostra contraherentur, si quis per omnes creaturas, præteritas, præsentes, futuras, & possibiles, earúmque actus, passiones &c. verè, ac sincerè vellet, intenderet, & desideraret, omnia possibilia peccata, & actus malos, præfatis bonis oppositos, elicere: cùm Deus non minùs, sed magis sit paratus ad benignè acceptandum, & præmiandum sinceram voluntatem eum laudandi, & desiderium bonum, quàm pro peccato reputandum, & pœnâ debitâ plectendum seriam voluntatem eundem offendendi, ac desiderium malum.

163. Illud finaliter circa preces matutinas notandum, quòd ad has principaliter etiam pertineant preces Horæ Primæ in Breviario, quas proin utpote ab Ecclesia institutas, devotè & attentè persolvere, dum Primam in choro, vel extra recitatis, satagite.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Meditatione sive oratione mentali.

§. I.

De Præstantia, Utilitate, & Necessitate Meditationis.

1.

QUæritur I. Quid,& quotuplex sit Oratio mentalis? Resp.I. Omnis illa oratio, quæ absque usu linguæ, & labiorum motu, sola mente, seu animo, & cogitatione fit, oratio mentalis est, & dici potest; à mente enim, seu animo, quo solo fit, *mentalis* dicitur.

2. Resp. II. Oratio mentalis duplex est; una est, qua Deum absque præcedente, vel sinè admixta meditatione, seu consideratione, sola mente rogamus, invocamus, laudamus, gratias agimus &c. sive dein id breviter, sive longiùs fiat: in quo sensu etiam breves orationes, seu preces jaculatoriæ quævis, sive longior, sive brevior petitio, ac invocatio gratiæ, & auxilii Divini, ac quivis recursus ad DEUM, sola mente factus, oratio mentalis est; de qua proin, utpote vera orationis specie, omnia dici, & applicari possunt, quæ *cap. praced. à Num. 4.* de præstantia, utilitate, & necessitate Orationis ùt sic, diximus. Ad hanc orationem mentalem perfectè, & debitè peragendam, eædem requiruntur conditiones, quas ad orationem ùt sic requiri diximus supra (excepta præparatione) ut proin etiam oratio mentalis in hoc sensu accepta, fieri debeat attentè, & devotè, humiliter, & reverentialiter, cum fide, & fiducia &c.

3. Altera oratio mentalis, & quidem *propriè talis*, ac ad nostrum propositum est, quæ ex præcedente, seu mediante attenta, & seria alicujus rei meditatione, seu consideratione sequitur, utpote ex qua consideratione voluntas movetur ad varios pios affectus, & actus virtutum, variás-

variásque petitiones, & proposita pro diversitate rei consideratæ, gratiæque Divinæ illuminantis, ac moventis, internè producenda, seu elicienda, consequenter ad orationem mentalem (quæ in præfatis piis voluntatis actibus, & affectibus principaliter consistit) faciendam. Et hæc oratio mentalis communiter vocari solet *Meditatio;* quamvis enim propriè loquendô meditatio non sit ipsa oratio mentalis, sed potiùs prærequisitum aliquod, & causa motiva ad orationem mentalem, pios videlicet affectus, & actus voluntatis eliciendos, quia tamen ad illam perfectiùs, & utiliùs faciendam meditatio, seu consideratio ordinariè loquendô necessariò prærequiritur (utpote per quam voluntas ad pios actus, & affectus, adeóque ad orationem mentalem movetur, indéque Meditatio est quasi radix orationis mentalis) ideo oratio mentalis ex prævia meditatione proveniens in communi sensu & acceptione vocari solet Meditatio; qua tamen communi acceptione, non sola consideratio, seu actus intellectûs, sed cum his simul etiam pij, ex prævia consideratione eliciti actus, & affectus voluntatis intelliguntur, prout magìs patebit ex descriptione *Num. seq.* itaque

4. Quæritur II. Quid sit Meditatio in communi sensu accepta? Resp. Ea bene describitur: *Meditatio est attenta, & seria aliqua alicujus rei, seu materiæ, priùs jam determinatæ, & præparatæ* (loquendô de Meditatione ordinatè, & certo ad eam designato tempore instituenda) *consideratio ad hoc, ut bene cognoscatur, & imprimatur, indéque voluntas moveatur ad varios pios affectus, & actus virtutum, petitionum, & propositorum, pro diversitate rei consideratæ, gratiæq; Divinæ illuminantis, & moventis, producendos.* vel breviùs: *Meditatio est attenta rei alicujus consideratio ad hoc, ut voluntas ad eliciendos pios affectus & actus, & facienda bona proposita moveatur.* Utraque hæc Meditationis descriptio, quamvìs ex terminis pateat, majori tamen pro claritate, & faciliori captu, quoad singula verba declaratur, & explicatur.

5. Dicitur inprimis: *Attenta consideratio*, ad indicandum, quòd Meditatio non sit nuda, & simplex illico transiens cogitatio alicujus rei, sed vera aliqua illius con-

consideratio, ruminatio, & perpensio secundùm ejus naturam, proprietates, circumstantias, causas, effectus &c. prout magìs dicetur infra.

6. Dicitur secundò: *Rei alicujus, seu materiæ*, in genere; ut innuatur, quòd de quavis re, materia, & objecto, non tantùm pio, & bono, sed etiam malo v. g. peccato Meditatio institui possit, ad hoc, ut cognitâ malitiâ illius, & damnô, moveatur voluntas ad odium, & fugam illius, nec non ad pœnitentiam ob illud jam commissum, eliciendam. Additur: *Priùs jam determinatæ, & præparatæ;* quia ad meditationem ritè instituendam ordinariè prærequiritur debita præparatio, qua quis priùs se determinet, de qua materia meditari velit, eámque in partes, seu puncta distribuat, juxta magìs dicenda infra *Num. 80.*

7. Dicitur tertiò: *Ad hoc, ut bene cognoscatur, & imprimatur:* quibûs verbîs indicatur unus finis, fructus, & effectus Meditationis; videlicet exacta, & circumstantiata rerum cognitio, & impressio, quatenus inde voluntas magìs moveatur ad convenientes actus, amandam v. g. desiderandam, & prosequendam rem, si ùt bona est cognita, & impressa, vel odiô habendam, & fugiendam, si est mala; voluntas enim non fertur in incognitum: hinc, ut moveatur ad aliquid, cognitio illius necessariò præcedere debet; quæ cognitio, quò major & perfectior est, eò magìs, & perfectiùs movet voluntatem ad convenientes actus.

8. Dicitur quartò: *Indéque voluntas moveatur ad varios pios affectus, & actus virtutum, petitionum, & propositorum;* huc enim principaliter, & finaliter Meditatio collimat, & hic est principalis finis illius, ut videlicet attenta rei consideratione, & cognitione, voluntas ad bonos affectus, actus virtutum, petitiones, & proposita moveatur: siquidem in horum productione potissimus, & principalis fructus, & effectus meditationis consistit, eò quòd horum productio Deo gratissima, & nobis utilissima est; utpote quæ præter plurimos alios fructus animam potissimùm unit, conjungit, & adhærere facit Deo, *Quod summè est homini utile inter omnia.* teste S. Bonavent. *de Profect. Religios. lib. 2. cap. 69.* qua insuper productione præfatorum

Xx 2 actuum,

actuum, præsertim petitionum, & bonorum propositorum, ad emendationem nostram, progressúmque in virtute, & perfectione potissimùm devenimus.

9. Dicitur quintò: *Pro diversitate rei & objecti considerati, gratiæque Divinæ illuminantis, & moventis.* Non enim semper iidem, sed diversi actus, affectus, & proposita, pro diversitate scilicet rei consideratæ, in meditatione produci possunt, & debent, subinde amoris, subinde odii, subinde contritionis, subinde admirationis; nunc gratiarum actionis, jam laudationis, jam adorationis, nunc humilitatis, nunc patientiæ, nunc petitionis, & invocationis, nunc resignationis, nunc familiaris colloquii cum Deo, nunc, & quidem præcipuè, bonorum propositorum: prout nempe occasionem præbet, & voluntatem movet cognitio rei, vel materia, quæ consideratur, vel prout gratia Divina illuminat, & excitat.

10. Enimvero utique ad alios movetur actus & affectus, qui meditatur de malitia, turpitudine, & damno peccati, quàm qui meditatur de attributis Divinis, Omnipotentia v. g. Immensitate, Bonitate, Misericordia &c. Pariter ad alios movetur affectus & actus, qui de inferno, quàm qui de cœlo meditatur: qui enim de malitia peccati v. g. meditatur, ex cognitione illius ordinariè movetur ad ipsius odium, & aversionem, ad dolorem, & contritionem ob illud commissum, nec non ad propositum de illo non ampliùs committendo. E contra qui de attributis Divinis meditatur, ex cognitione illorum plerumque ad illorum admirationem, ad DEUM adorandum, laudandum, amandum, omni possibili reverentia prosequendum, ad spem, & fiduciam &c. moveri solet, qui de cœlo meditatur, ad illius desiderium, qui de inferno, ad timorem illius movetur, & sic de aliis.

11. Potest tamen, & solet subinde voluntas moveri ad affectus, & actus materiæ consideratæ ex se minùs proportionatos (in se tamen bonos) si nempe gratia Divina ad illos dirigit, & movet, majorémque ad hos, quàm ad alios, devotionis affectum impertitur, prout non rarò facere solet: in quo casu Spiritui Sancto,

Sancto, ejúsque gratiæ excitanti, & moventi obtemperare, eíque sancta aliqua, & humili spiritûs, seu mentis libertate, nos accommodare, & cooperari possumus, ac debemus, quamdiu affectio, & devotio in illis durat, etiamsi non essent ad intentionem, & finem nostrum in hac meditatione propositum; quia *Spiritus, ubi vult, spirat. Joan. 3. v. 8.* Et propterea additur in fine descriptionis: *Et gratiæ Divinæ illuminantis, & moventis.*

12. Dicitur autem notanter in Responsione *Num. 4.* data: *Loquendò de meditatione ordinariè, & certo ad eam designato tempore instituendâ;* quià, si loquimur de meditatione, quæ nullâ certâ, vel determinatâ horâ instituitur, sed quovis tempore & occasione commoda fieri potest, & à nonnullis sæpe fieri solet, dum videlicet varias creaturas, aut res, quæ sensui, vel memoriæ occurrunt, subinde attentè considerant, & ampliùs expendunt, indéque ad majorem illarum cognitionem veniunt, ex hac verò ad varios bonos affectus, & virtutum actus, bonáque proposita, & resolutiones eliciendas moventur, specialis determinatio, & studiosa præparatio materiæ non requiritur, sed absque hac quovis tempore & loco de quavis re fieri potest; prout etiam multi ex consideratione, & cognitione creaturæ, ad cognitionem, & amorem Creatoris, aliósque bonos affectus, & actus venire, indéque in re, & substantia breviter saltem meditari, seu mentalem orationem magno cum fructu spirituali facere sæpe solent, quos imitari quivis faciliter semper, & ubique potest; cùm quilibet absque omni difficultate rem aliquam pro libitu attentè considerare, & expendere possit: ex qua consideratione, quia novam, vel majorem rei cognitionem acquirit, vel priùs habitam iterum renovat, & magis imprimit, voluntas, seu animus pro diversitate rei consideratæ, & cognitæ, ad proportionatos affectus, & actus necessariò movetur, & hoc ipso Meditatio in substantia habetur.

13. Quæritur III. Quàm præstans, & utilis sit Meditatio? Resp. Tanta est præstantia, & utilitas meditationis, seu orationis mentalis, ut nec calamô exprimi, nec verbis declarari valeat. Ascetæ,

& SS. Patres, quamvis mirè extollant Meditationem, seu orationem mentalem, & in demonstranda illius præstantia, & utilitate maximè se diffundant, fatentur tamen, linguam, & calamum sibi in hoc deficere. Id fatentur etiam omnes orationi mentali debitè incumbentes, utpote qui multiplices, & mirabiles effectus, ac fructus illius jugiter percipiunt quidem, & sentiunt, illos tamen sufficienter explicare nequaquam valent. Nimis longum foret, & integrum librum requireret, si vel decimam partem eorum, quæ de præstantia, & utilitate orationis mentalis scripserunt SS. Patres, & rerum spiritualium Magistri, adducere vellemus; unde inexplicabilem præstantiam, & utilitatem illius ex dictis *de Oratione in genere. Cap. praced.* certò supponentes, pauca tantùm aliqua de eadem afferemus.

14. De Meditatione, sive oratione mentali in specie scribit Sanctus Laurentius Justinianus *de casto Connubio. cap. 22.* „Nihil „aptiùs mentem refrænat, quàm „attenta meditatio, quæ in ora„tione proponitur, hæc quidem „ab exterioribus cor amovet, & „ad se redire compellit. Hæc est „disciplina mentis, spiritualis pæ„dagogus, orationis funiculus, „incipientium eruditio, & in„tentionis mentis provida gu„bernatrix. Ex ipsius assiduitate „stabilitur mens, cogitationes „purgātur, solitudo sapit, delectat „Deus, ingenium acuitur, castifi„cantur sensus, illustratur ratio, „loquela restringitur, & animus „ad alta suspenditur. Ipsa est spiri„tualis janua orationis, per quam „verbum ab ingredientibus a„gnoscitur, & puris muneribûs „honoratur.

15. Nec discrepat sanctus Bernardus, qui *Lib. 1. de considerat. cap. 7.* Meditationis fructus allegans, ait: „Mentem, de qua oritur, „purificat consideratio. Deinde „regit affectus, dirigit actus, cor„rigit excessus, componit mo„res, vitam honestat, & ordinat. „Hæc est, quæ agenda præordi„nat, acta recogitat, ut nil in „mente resideat aut incorre„ctum, aut correctione egens. „Omnis profectus, inquit S. Isidorus *Lib. 3. de summo Bono. cap. 8.* „ex Lectione, & Meditatione „procedit; quæ enim nescimus, „lectione discimus, quæ autem „di-

„didicimus, meditationibûs con-
„servamus.

16. Alij sancti Patres incredibilem præstantiam, & utilitatem Meditationis, seu orationis mentalis breviter, universaliter, & efficaciter demonstrare volentes, jure merito ei tribuunt, quòd ex Meditatione vel maximè vera generetur sapientia, id est, scientia, & cognitio Dei, atque Divinorum; ex hac verò cognitione amor illorum, & affectus erga illa, cum isto autem omne aliud bonum: ut proin, sicut de sapientia, ita de Meditatione tanquam matre, & radice sapientiæ, propriissimè, & verissimè dici possit illud *Sap. 7. v. 11. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*

17. Ratio autem, quòd tot, tantíque fructus ex Meditatione sequantur, præter alias potissimùm triplex est, & quidem *Prima;* quia, qui frequenter meditatur, & res secundùm substantiam, proprietates, & effectus considerat, & expendit, necessariam in cunctis, ac sufficientem boni & mali notitiam, perfectámque rerum, de quibus meditatur, cognitionem successivè acquirit, accedente præsertim Divino lumine, quo Deus in Meditatione subinde ita docet, & illustrat, ut unicâ Meditatione major, & utilior rerum acquiratur cognitio, quàm per longi temporis studium. Ex qua cognitione voluntas faciliter, & quasi necessariò movetur ad bonum cognitum amandum, & eligendum, malum verò odiendum, & fugiendum, aliósque virtutum actus, resolutiones, & proposita, pro diversitate rei consideratæ elicienda, & repetenda.

18. *Altera Ratio est;* quòd, qui frequenter meditatur, meditandô non tantùm necessariam rerum notitiam, & cognitionem acquirat, sed eam menti, & memoriæ etiam bene imprimat, indéque voluntas non tantùm tempore Meditationis ad convenientes virtutum actus, & proposita moveatur, sed etiam tempore occasionis ad eadem observanda, & exequenda, fortiter, ac efficaciter incitetur, hoc ipso, quòd rationes, & motiva, priùs per Meditationem cognita, & proposita propterea facta menti etiamnum oberrent, ac sicut priùs ad faciendum, ita nunc ad exequendum moveant.

Quis

Quis enim quæso voluntariè peccare audeat, si etiam occasione oblata, ac tentatione urgente, bene recordatur eorum, quæ de gravi malitia & damnis peccati priùs clarè cognovit? Quis jactare se audeat, si reminiscitur, quòd, uti in meditatione plenè cognovit, per vanam jactantiam Deo plurimùm displiceat, peccati damna, & effectus incurrat, meritum suorum laborum perdat, & locò illius pœnam contrahat, simúlque causet, quòd Deus imposterum in simili gratiam minuat, vel deneget. Et sic de cæteris v. g. de motivis patiendi propter Deum, amandi Deum, confidendô in Deo; horum enim si quis tempore occasionum recordatur, esse non potest, quin sæpe malum omittat, & bonum faciat, quod aliàs non faceret, si memoriam illorum non haberet, quam per meditationes comparavit.

19. *Tertia*, & omnium maxima fructûs, & utilitatis ratio est; quia in Meditatione, seu oratione mentali discimus, & assuescimus varios bonos affectus virtutum, petitionum, & bonorum propositorum actus ingenti cum beneplacito Divino, nostróque merito, & fructu, emendationis præsertim, & progressûs in virtute, ac perfectione elicere. Item per eosdem actus discimus, & assuescimus Deo uniri, cum eóque loqui, seu conversari, & ipsum, ejúsque inspirationem audire, cognoscere, & sequi; qui fructus major est, quàm dici, & explicari potest: tum, quia radix plurimorum aliorum fructuum est: tum, quia unionem, adhæsionem, & conjunctionem cum Deo, & cum hac omne bonum successivè causat, summum beneplacitum, & gaudium, quod Deus habet, videlicet esse, & conversari cum homine, juxta illud *Prov. 8. v. 31. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* in Meditatione, seu oratione mentali potissimùm acquirit, dum homo ex instituto notabile tempus ad hanc solam sanctam conversationem applicat.

20. Sanè homini per varias inspirationes, monitiones, & lumina, Deus sæpe loquitur, & adhuc sæpiùs loqui, ac ampliùs omnis generis dona, & gratias dare vellet; sed multi non præbent aures, nec audiunt ipsum, vel, si audiunt, non cognoscunt vocem ipsius, & propterea plurimas

rimas gratias & inspirationes negligunt, transire permittunt, nullúmque inde fructum hauriunt: dum econtra illi, qui frequenter meditantur, voces, & inspirationes audiunt, cognoscunt, & magno cum fructu sequuntur, etiam extra meditationem hoc ipso, quòd in hac ipsum audire, & cognoscere jam didicerint, & assueverint. Puer Samuel vocem Domini bis sibi loquentis audivit quidem, sed non cognovit, quia, ùt Scriptura dicit: *Samuel necdum sciebat Dominum. 1. Reg. 3. v. 7.* nondum didicerat, nec assueverat loqui Domino, vel audire illum; at, ubi desuper instructus, Deo loqui, & eum audire didicerat, vocem illius optimè audivit, eámque audiens, & sequens, ingentes semper retulit fructus: sic contingit illis, qui priùs meditationi non addicti, meditari incipiunt, & continuant.

21. Tantam igitur ob præstantiam, & utilitatem, Meditationem omnes Patres & Ascetæ, omnésque perfectæ animæ summè semper æstimârunt, diligentissimè practicârunt, & nobis ùt octo commendârunt. Inter quos in specie adducitur sanctus ille Vir secundùm cor Dei David, utpote qui quasi continuò in meditatione legis Divinæ existens, fructus illius mirè extollit, omnésque beatos, & in cunctis felices proclamat, qui meditationi sunt addicti, ùt passim constat ex Psalmis illius. In primo siquidem statim incipit: *Beatus Vir, qui &c. in lege ejus meditabitur die, ac nocte. v. 2.* audi fructum *v. 3. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur.* & *Psalm. 118. v. 2.* ait: *Beati, qui scrutantur testimonia ejus.* De seipso dicit *eodem Psalm. 118. v. 117. Meditabor in justificationibus tuis semper.* audiamus fructum illius *v. 99. Super omnes docentes me intellexi* quare? *quia testimonia tua Meditatio mea est.*

22. Seraphicus sanctus Pater Franciscus, assiduus, & mirabilis erat in Meditatione, ita, ut etiam integram noctem consumpserit, meditandô sola illa verba: *Deus meus, & omnia!* Ob ingentem æstimationem & amorem meditationis voluit, ut fratres ipsius orationi, præcipuè verò mentali, seu Meditationi, sedulò essent ad-

dicti: ob quod ordinavit in Regula *cap. 5.* ut laborare etiam, & studere valeant, ita tamen, ut *sanctæ orationis* (mentalem hìc præcipuè intelligit) *& devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire.* Sancti Patris verbum, & exemplum secuti sunt omnes, quotquot habuimus in ordine nostro sanctos, & perfectos Viros, utpote qui omnes excellentes, ac frequentes in Meditatione, seu oratione mentali, eâdem mediante incredibiles fructus retulêre, & ad tantum virtutum, & perfectionis apicem pervenerunt, prout videre, & legere est apud S. Bonaventuram *in Proœm. Meditat. Vitæ Christi.*

23. Altè menti est imprimenda ea æstimatio, quam de Meditatione, ejúsque præstantia, & utilitate habuit ille, virtute, & doctrinâ celeberrimus Doctor S. J. Suarezius, utpote qui dicere solebat, ùt perhibetur in vita ipsius præfixa Tomo *de Gratia.* malle se omnem suam, quam tot, tantísque laboribus acquisivit, scientiam perdere, quàm unicam solitæ Meditationis horulam intermittere.

24. Ex his Colligendum I. Quantopere per totam vitam quivis æstimare semper, amare, & frequentare debeat Meditationem.

25. Colligendum II. Quàm malè sibi consulant, quantùm errent, quantóque fructu se privent, qui ex frivolis, fictis, & quæsitis causis; meditationem, ubi possunt, fugiunt, declinant, & decurtant, vel ad eam serò veniunt, aut eandem abbreviant.

26. Colligendum III. Etiam illos sibi pessimè consulere, & graviter errare, si externis, etsi bonis, & ad salutem, utilitatémque proximi ordinatis actibus, operibus, & negotiis, totos se, vel in tantum impendunt, ut tempus meditandi sibi non sumant, vel relinquant.

27. Quæritur IV. Quanta sit necessitas Meditationis? Resp. Ad superandas, debitè mortificandas, & eradicandas malas passiones, & inordinatos affectus; item, ad acquirendas solidas virtutes, & veram perfectionem, sive Christianam, sive Religiosam, omnino, & absolutè necessaria est frequens Meditatio, seu Ora-

Oratio mentalis, adeò, ut sine frequenti Meditationis, seu mentalis orationis usu, nullus veram, & solidam aliquam virtutem, multò minùs perfectionem obtenturus, vel certè non diu in ea perseveraturus sit, sed malis passionibus, ac inordinatis affectibus subjectus permansurus, & tempore suo, tentationis præsertim, vel alia data occasione suas certò imperfectiones, ac virtutum defectum in effectu proditurus sit. Ita unanimiter iterum conclamant omnes SS. Patres, & Ascetæ, præeunte Spiritu Sancto *Jeremiæ 12. v. 11.* lamentante, & dicente: *Desolatione* (spirituali nempe ob abundantiam malitiæ, & peccatorum, ac defectum virtutum, & perfectionis) *desolata est omnis terra:* audiamus causam; *quia nullus est, qui recogitet corde.* id est, qui mysteria, principia, & doctrinam fidei, & salutis nostræ, debitè consideret, meditetur, & revolvat, mentíque imprimat, indéque ad perfectam illorum cognitionem, & frequentem memoriam, ex hac ad æstimationem, ac amorem, ex isto autem ad sequelam, & observantiam deveniat. Sanctus David ingenuè fassus est *Psalm. 118. v. 92. Nisi quod lex tua Meditatio mea est, tunc fortè periissem in humilitate mea.* id est, in perversa, corrupta, & mala natura mea.

28. Confirmat hoc Bartholomæus Riccius ex S. Chrysostomo *Serm. 1. & 2. de Orat.* dicens: *quòd Oratio mentalis tam necessaria sit animæ ad vitam spiritualem conservandam, quàm necessaria est anima ad naturalem vitam corpori subministrandam, & conservandam.* quod fusè deducit in *Instruct. de modo rectè meditandi. Part. 1. cap. 1.*

29. Confirmatur Responsio etiam experientiâ, qua constat, quòd nullus hucusque attigerit solidam aliquam, & constantem virtutem; multò minùs perfectionem, vel sanctitatem, qui non frequenter se exercuit in Meditatione, seu oratione mentali; econtra verò eâdem experientiâ constat, illos, qui Meditationi addicti non sunt, eámque absque justa causa passim negligunt, & omittunt, aut tepidè, & negligenter peragunt, plerumque plenos esse malis passionibus, & inordinatis affectibus, plurimis abundare imperfectionibus, atque continuò subjacere pravis habitibus, & vitiis, si non

gravibus, ſaltem levibus, vitámque ducere verè tepidam, & hoc ipſo ſummè periculoſam.

30. Ratio reſponſionis præter alias potiſſimùm triplex eſt, eáque immediatè oppoſita tribus rationibus, ſupra *à Num. 17.* poſitis: ſeu potiùs eſt defectus illarum rationum, ob quas meditationem tam præſtantem, & utilem eſſe diximus. *Prima* eſt; quia, qui non vacat meditationi, debitam, & ſufficientem cognitionem boni ac mali, aliarúmque rerum ad ſalutem ſcitu neceſſariarum non habet, indéque nec ad amandum, & proſequendum bonum, nec ad averſandum, ac fugiendum malum, voluntas illius ſufficienter movetur, nec ipſe efficacia propoſita elicit, hoc ipſo, quòd voluntas non feratur in incognitum; *Cùm nil volitum, quin præcognitum.* &: *Ignoti nulla cupido.* quantum autem animæ damnum afferat iſthæc ex neglectu Meditationis proveniens ignorantia rerum ſpiritualium, ſatis explicare non poſſunt SS. Patres, & Aſcetæ.

31. *Secunda Ratio* eſt; quòd, licèt etiam multi eorum, qui raro, aut nunquam meditantur, ex lectione, ſtudio, concionibus, & diſcurſibus acquirant, & habeant rerum ſpiritualium aliquam cognitionem, & notitiam, ea tamen ordinariè ſatis imperfecta, & inſufficiens, vel ſaltem menti, & memoriæ ſatis impreſſa non hæret; præſertim, cùm paucæ illæ, debiles, ac imperfectæ rerum ſpiritualium ſpecies, à paſſionibus, cura, & ſolicitudine hujus ſæculi, terrenísque cogitationibus, & ſpeciebus, quibùs Meditationi non addicti plerumque referti ſunt, obruantur, ac extinguantur, vel ita debilitentur, ut parùm, aut nihil proſint etiam illis, qui bona mente, ac voluntate eas ab initio ſuſceperunt, teſte Evangelio *Lucæ c. 8.* ubi apertè teſtatur Chriſtus, plures quidem eſſe, qui verbum Dei, ac neceſſaria, & utilia ſalutis hinc inde audiunt, vel legendô percipiunt quidem; ſed quia cognitionem illorum, & notitiam ſatis radicatam, ac bene impreſſam (quæ meditandô acquiritur) non habent, ab inordinatis, quibus omittentes meditationem abundant, curis, ſolicitudinibus, terrenísque, & profanis ſpeciebus, tanquam ſpinis, brevì ita obruuntur, & ſuffocantur, ut neceſſarium fructum afferre

afferre non valeant; eò quòd tempore occasionis, aut tentationis, omnino non, vel obiter tantùm, obscurè, & insufficienter recordentur illorum, quæ ad declinandum malum, ac faciendum bonum, voluntatem movere possent, & deberent; quod ipsum una ex principalibus causis ruinæ spiritualis est.

32. Hinc multi ex SS. Patribus existimant, omnes hominum imperfectiones, omniáque eorum peccata provenire ex defectu veræ fidei, non quidem, quasi non crederent (innumeri enim sunt, qui Mysteria, Articulos, & Principia fidei firmiter credunt) sed quia illorum, uti deberent, præsertim tempore occasionis, & tentationis, non recordantur, nec ea debitè considerant; hoc enim si facerent, certissimè aliter viverent, & tot peccata non committerent.

33. *Tertia Ratio* est; quòd, qui raro, aut nunquam meditantur, non discant, minùs assuescant, consequenter bene non sciant, nec bene possint; indéque nunquam, aut rarò, vel certè non nisi imperfectè soleant per internos bonos affectus, & virtutum actus cum Deo conversari, & agere; nec reciprocè audiant, neque intelligant, adeóque nec sequantur, sed negligant ipsius vocem, illuminationes, & inspirationes, ex quo non potest non ingens sequi jactura, ac ruina; si enim in Meditatione per internos actus, sanctámque cum Deo conversationem, & unionem homo nunquam ardescit, nec conservatur, & nutritur ignis devotionis, necessariò frigescit charitas, tepescit animus, spiritus devotionis, & fervoris deficit, vel extinguitur, tædium, fastidiúmque rerum spiritualium introducitur, omnis consolatio, & gaudium in Domino perit, cessat, totáque vita, & exercitia pia desipiunt, indéque vel omittuntur, vel negligenter peraguntur; sed & multæ imperfectiones, laxitates, dissolutiones, aliáque illicita committuntur, mali habitus contrahuntur, &, quia omnis interna consolatio, & quies in Domino abest, ad solatiuncula externa recurritur, malísque passionibus, & inordinatis affectibus habenæ laxantur,

indéque sequitur, quòd continuetur vita, si non graviter mala, saltem totaliter tepida, ita,ut anima tandem deveniat ad magnum totalis ruinæ periculum; præsertim, quia imperfectum, ac periculosum hunc vivendi modum deponendi, aut emendandi, nulla, aut certè non nisi tepida, & inefficacia fiunt proposita, hoc ipso, quòd voluntas nec à majori, & clariori, benè fundata, & impressa (quæ frequenter meditandô acquiritur) rerum notitia, nec ab inspiratione, ac illuminatione Divina, quam juxta dicta vel non agnoscunt, vel non audiunt, vel non sequuntur, efficaciter ad illa moveatur. Ex his Charissimi!

34. Colligetis *Primò:* non velle sedulò frequentare Meditationem, esse idem, ac non velle tendere ad solidam virtutem, ac perfectionem, cùm hæc sinè illa, tanquam mediô necessariô, obtineri non valeat.

35. Colligetis *Secundò:* velle vitare, fugere, aut declinare Meditationem, vel se eidem subducere, esse idem, ac velle subjacere suis malis affectibus, utpote qui sinè illa eradicari non valent.

36. Colligetis *Tertiò:* si de aliquo cum veritate dicitur; quòd non æstimet, non amet, & frequentet meditationem, de eodem etiam cum veritate, & absque scrupulo dici possit, quòd nulla in eo sit solida virtus, & multò minùs aliqua in illo reperiatur perfectio.

37. Colligetis *Quartò:* Religionem, Provinciam, aut Monasterium, in quo Meditatio non æstimatur, & debitè non frequentatur; vel Communitatem, ubi eadem à quovis passim, & liberè negligitur, verè esse, omníque jure dici posse miseram, & penitus imperfectam, utpote quæ Dei famulis, aut famulabûs, solida virtute, & perfectione præditis ordinariè caret; econtra imperfectis, tepidis &c. semper abundat, & à qua nec pro Dei gloria, nec aliorum salute insignis aliquis fructus sperari potest.



§. II.

§. II.

De Facilitate Meditationis.

38. Consultò, & necessariò ponitur præsens Paragraphus ad detegendam, & tollendam falsissimam, & maximè nocivam apprehensionem, ac opinionem, qua plurimi putant, meditari esse rem valde difficilem, & abstrusam, altam insuper, sublimem, & nescio quàm artificiosam, adeò, ut à solo nomine terreantur, ac de ea horrorem, & fastidium habeant, indéq; vel omnino fugiant, & omittant, vel ubi, & quantùm possunt, declinant, præsertim, quia opinantur, &, ùt dicunt, experientiâ probatum habent, se non posse utiliter meditari, consequenter melius esse, si tempus, meditationi aliàs deputatum, aliis, iísque utilibus operibus e. g. orationi vocali impendant, quàm quòd inter continuas distractiones cum tædio, ac fastidio, sinè fructu meditari frustra conentur. Gravissimus hic error, & falsissima imaginatio à grandi fraude dæmonis provenit, qua non tantùm sæculares à potiori, sed etiam non paucos Religiosos à frequentanda Meditatione deterret, & maximo cum detrimento illorum spirituali avertit. Ad hanc itaque falsissimam opinionem, & nocivam meticulositatem detegendam, & tollendam

39. Quæritur I. An, & quàm facilis sit Meditatio? Resp. Meditatio, seu oratio mentalis facillima est, ita, ut quivis rationis compos faciliter meditari valeat, dummodo, quod in se est, humiliter, ac simpliciter faciat, ac pauca quædam, eáque facilia observet.

Hæc Responsio clarè eruitur ex dictis supra *à Num. 4.* cùm enim juxta dicta ibidem, meditari aliud non sit, quàm assumere, & proponere sibi materiam aliquam certam, illámque juxta naturam illius, proprietatem, circumstantias, effectus, causas &c. intellectu attentè considerare, & bene expendere, ad hoc, ut animus, seu voluntas moveatur ad convenientes virtutum actus, & affectus, resolutiones,

tiones, & proposita facienda, quivis fateri debet, hoc facillimum esse, hoc ipso, quòd semper in cujuslibet potestate sit, sibi proponere, & assumere certam aliquam materiam, eámque attentè considerare, & circumstantiatè bene expendere (quis enim prohibetur, aut impeditur ab hoc) si autem, ùt facilè potest, hoc facit, convenientes, consideratæque, & bene cognitæ materiæ proportionati affectus, ac actus, resolutiones, & proposita animi, seu voluntatis, naturaliter, & necessariò quasi sequuntur; cùm animus, & voluntas nostra ex natura moveatur, actúsque, ac affectus, resolutiones, & proposita eliciat, juxta quod intellectus rem bonam, aut malam cognoscit, eique ùt talem exhibet: ita, ut, si intellectus rem aliquam cognoscit, voluntatíque repræsentat ùt malam, turpem, nocivam, odiosam, dolorosam &c. voluntas necessariò moveatur ad illius odium, ac aversionem, resolvátque, & proponat eam fugere, & declinare, ac insuper solicita fit de mediis eam avertendi: econtra verò, si intellectus rem cognoscit, ac voluntati repræsentat, vel exhibet ùt bonam, utilem, jucundam, honorificam &c. moveatur ad amorem, & desiderium illius, resolvat, & proponat eam comparare, solicita fit, & indaget de mediis illam acquirendi, eáque applicare resolvat. Videtis ergo, non difficile, sed facilè esse meditari: quod ut adhuc magis capiatis,

40. Scire, & notare debetis Charissimi! in anima nostra tres potentias esse, seu facultates; *Memoriam* videlicet, *Intellectum* & *Voluntatem*, per quas potentias homo internè operatur, & suos actus producit, per *Memoriam* reminiscimur, seu recordamur rerum præteritarum, vel eas ùt præsentes, aut futuras nobis simpliciter tantùm repræsentamus. per *Intellectum* verò illas, quas nobis objicit, aut exhibet memoria, magìs consideramus, expendimus, ruminamur, desuper ratiocinamur &c. per *Voluntatem* denique circa ea, quæ intellectu expendimus, varios affectus & actus pro diversitate rei consideratæ, & cognitionis habitæ, elicimus; illa, quæ bona cognovimus, amandô v. g. desiderandô, resolutiones pro ea affe-

assequenda faciendô, media ad illa necessaria determinandô, impedimenta amovendô, aliósque convenientes actus exercendô: illa verò, quæ per considerationem mala cognovimus, odiô habendô v. g. timendô, ob ea jam facta dolendô, resolutiones, & proposita de illorum fuga in futurum faciendô &c.

41. Hæ itaque tres potentiæ, seu facultates animæ ad quamlibet Meditationem concurrunt, per eásque quælibet necessariò fieri debet, & pro cujusvis libitu facillimè fieri potest, præsertim, cùm præfatæ potentiæ naturali quadam connexione, ac subordinatione subsequantur, & sese invicem suis in officiis juvent, unáque alterius actus naturaliter fecundet, ac facilitet. Sic enim

42. Inprimis per *memoriam* recordamur rei, de qua meditari volumus, ac eam breviter repræsentamus, seu proponimus intellectui, quod utique facile est.

43. *Intellectus* dein rem, sive materiam, à memoria sibi propositam, & exhibitam, incipit, & continuat attentè considerare, exactè perpendere, desuper ratiocinari, memoriâ interea identidem, & quasi inadvertenter subministrante, & suggerente nunc hanc, nunc illam rei meditandæ partem, vel proprietatem, circumstantiam, aut etiam aliam ad propositum servientem materiam, quod, cùm naturaliter seu juxta connaturalem modum naturæ rationalis, & quotidie à quovis fiat, nullam etiam in se difficultatem continet. Et quoniam ex hujusmodi attenta, & sedula rerum consideratione, & perpensione major illarum cognitio naturaliter, & necessariò sequatur, pariter ex naturali quasi consequentia consequitur facilitas Meditationis.

44. Denique etiam *voluntas* operatur suos affectus, & actus, resolutiones, & proposita, pro diversitate materiæ consideratæ, ac cognitionis inde habitæ elicit, hoc ipso, quòd voluntas, utpote potentia cæca, in suis operationibus ab Intellectu principaliter dirigatur, ab eóque dependeat, ita, ut tales actus, & affectus, taliter circa rem aliquam eliciat, qualiter intellectus eam cognoscit, & ùt eam cognitam exhibet, ipso intellectu, & memoria eandem voluntatem ad-

ad memoratos suos affectus, & actus, nova consideratione, vel recordatione intermedia, ac intermixta, ubi, ac quando indiget, denuo excitante, stimulante, ac quasi adigente.

45. Confirmatur, & ulteriùs ostenditur meditandi facilitas evidenti experientia quotidiana, qua constat, quòd omnes homines rationis compotes, viri & mulieres, juvenes & senes, docti & indocti, etiam simplices & rustici, per dictas tres potentias sæpe, ac absque difficultate facillimè, & verissimè meditentur, hoc ipso, quòd nullus sit, qui non sæpe, dum alicujus rei per memoriam recordatur, illam postea per intellectum attentè consideret, ruminet, secundùm circumstantias expendat, desuper deliberet, ac prout dein rem cognoscit, affectus, actus, resolutiones & proposita in animo, ac voluntate eliciat, mediáque ad illa exequenda quærat, & assumat; quod à parte rei profectò nil aliud est, quàm meditari.

Probatur ista experientia exemplîs specificîs de milite v. g. & de rustico &c. ostendendô, quòd etiam hi, ac consequenter quivis alius simplex & rudis, facilè meditari valeat. Hinc

46. Quæritur II. Quomodo hæc facilitas Meditationis possit practicè demonstrari per aliquot paradigmata? Resp. Eam pro captu facillimo cujusvis etiam cæteroquin rudis demonstrari posse per subsequentia exempla, ac paradigmata practica.

Meditatio Militis

Super eo, quòd in publica platea acceperit alapam.

47. TAlis veniens domum, sedet ibi, & inprimis recordatur alapæ acceptæ: ecce officium memoriæ, quæ rem meditandam breviter repræsentat, seu proponit, ac exhibet, illiúsque memorem reddit meditari volentem. Dein hanc injuriam sibi illatam per intellectum magìs considerat, ac expendit secundùm unam, vel plures, vel omnes circumstantias, secundùm quas materia (quæ in historia vel facto consistit, uti est præsens) considerari potest, ac debet v. g. cogitat inprimis, & considerat.

48. Quis

48. *Quis* mihi dedit alapam? „Panthaleon ille! quem nuper è vitæ periculo liberavi, quem toties defendi, cui tot beneficia contuli, panem cum ipso divisi, egenti, & ludendô etiam omnia perdenti pecunias, quibûs ipse indiguissem, mutuas dedi &c. ô ingratitudo! ô ingrate homo, ô maledicta bestia! utinam nunquam aliquid boni tibi fecissem, pœnitet me, quòd nuper te periculo vitæ eripuerim; verùm meâ vitâ te non ampliùs juvabo, imò si ante oculos meos statim mori deberes, & panis bolô te liberare possem, non facerem. Tantùm expecta, pauci præteribunt dies, ac me iterum pro auxilio invocabis; quia in hoc N.N. non potes meâ operâ carere, sed conclusum sit; juro per Deum, quòd nec in hoc, nec in illo te juvare velim; abripiant me omnes dæmones, si tibi vel in minimo ampliùs succurram. Non meretur maledictus hic canis, ingrata bestia.„

49. Ecce quàm faciliter, perfectè, & suô modô meditetur hic miles, utpote qui memor injuriæ, ex consideratione unius tantùm circumstantiæ, statim venit ad proportionatos affectus admirationis, indignationis, iræ, pœnitentiæ, fecítque firmissima proposita non tantùm in genere, sed etiam in specie, & particulari, consequenter, etsi malam in genere moris, in modo tamen meditandi, & re ipsa quoad substantiam, ordinatam & veram perfecit meditationem, & quidem facillimè, & absque omni difficultate.

50. Sed pergamus, & videamus, quomodo etiam alias circumstantias v. g. *Ubi? quomodo? quando? quali effectu?* considerare, síсque considerandô se dilatare, & longiorem meditationem peragere facilè possit, & soleat hujusmodi miles.

51. *Ubi* fecit? „In publica platea, præsentibûs & spectantibûs pluribûs, etiam illo N. extremo meo inimico, qui ex corde gaudebit, & ubique cum gaudio ad contemptum meum enarrabit. Vidit etiam ipsemet Centurio, qui aliàs me semper habuit pro magnanimo, & cordato; jam verò me non ampliùs æstimabit, sed pro timido, & nullius animi milite reputabit &c.„

52. *Quomodo* fecit? „Ista maledicta bestia postea adhuc irrisit, mihi insultavit, méque ad ulteriorem

riorem pugnam, & duellum provocavit, altè clamandô, me esse hunc vel illum &c. nisi me defendam.„

53. *Quando* id fecit ? „ Istud fecit hoc tempore, quo optimam spem habui promotionis proximæ; promisit enim mihi Centurio, quòd hac septimana adhuc promovere me velit ad officium Decurionis locò N. nudiustertius defuncti. „

54. *Quali effectu?* „ Jam tota hæc spes tua periit, quam tot annîs, & inter tot pericula, & ærumnas in militia obtinuisti, jam gregarius miles manere debes; ubique enim proclamaberis, & omnes te reputabunt pro timido &c. „

55. Ex his & similibus considerationibus rursus sequuntur proportionati affectus v.g. „ ô maledicte canis! ô maledicta hora, in qua te vidi! ô utinam diabolus te abripiat, fulmina te percutiant! ô si hanc bestiam haberem, certè illico jugularem illam, vel gladiô transfoderem &c. sed quare tunc me non defendi? esto sit fortior me, quis scit, an non tamen ipsum superâssem, & felici ictu necâssem? & dato, quòd me superâsset, melius tamen fuisset me vulnerari, vel etiam occidi, quàm modò perpetuò despectum, & absque omni spe promotionis vivere. Ah pœnitet me, quòd me non defenderim &c. Verùm factum infectum fieri nequit. „

56. Tandem facit resolutionem & propositum cum electione mediorum: „ Sed quid facies modò? vísne hæc tolerare? vis perpetuò ita despectus manere? vis hanc gravissimam injuriam, & damnum sinè vindicta, & ultione remittere? certè non, vindicabo me, quidquid tandem contingat. Non quiescam, donec è vivis tollatur, & ad tartara mittatur maledictus hic nequam. Sed quomodo facies? Solus ei impar es, nec vincere poteris. Ita faciam: ille N. est capitalis inimicus hujus nequam, colludam ergo cum illo ad hunc necandum. Sed ubi? quando, & quomodo? extra suam domum rarò est solus: domi suæ ipsum aggredi minùs conducit. Scio, quid faciam: simulabo iterum amicitiam cum illo, illámque per aliquod tempus continuabo, donec falsò securus, mihi ubique iterum fidat &c. Tunc conditione cum ipsius inimico facta,

cta, ibimus cum illo ambulatum ad proximam sylvam N. ibíque ex improviso aggrediamur, & occidamus eum. Ast! quid habes inde? quid juvat te? exinde non promoveberis: sufficit, quòd vindicare me possim. Sed te ipsum in periculum vitæ conjicies; re enim patefacta capite plectêris. Jam possumus rem ita instituere, ut nemo advertat. Est proximus sylvæ fluvius, in illum projiciamus cadaver, vel in sylva abscondamus. Sed sciunt omnes, fuisse nos inimicos, consequenter, si non ampliùs compareat ille, statim contra me erit suspicio: quidquid sit, vindicare me debeo, mori debet maledictus hic nequam, etsi ego quoque vitam meam perdam: sufficit, si me vindicavero; manet ergo firmissimè conclusum: cras statim manè ibo ad illius inimicum, & colludens cum illo totum negotium tractabo cum ipso &c.,,

57. Ecce Charissimi! meditationem in genere moris pessimam quidem, in substantia verò, & essentia perfectissimam, utpote in qua miles, postquam per memoriam recordatus est injuriæ acceptæ, eam per intellectum secundùm circumstantias attentè, ac exactè consideravit, & expendit, ex quo ad varios affectus, & actus commota fuit voluntas, fecítque diversa firmissima, & efficacissima ad intentum proposita, non tantùm in genere, sed etiam in specie, & particulari; solicita insuper fuit, & indagavit de necessariis, & conducentibus mediis, illáque assumere firmiter resolvit: quod revera in substantia, & essentia perfectissimè meditari est, ùt magìs patebit ex dicendis postea.

58. Et hoc, quod facillimè potest unus gregarius miles, idem eadem facilitate imitari, ac tali, vel simili modô meditari posset quivis etiam illiteratus de communi plebe. Si ergo quivis simplicium hujusmodi, vel similem aliam in substantia meditationem instituere facillimè potest, profectò fateri debetis, meditari non esse difficile, sed facile. Posset hoc innumeris exemplis evidenter, & ad oculum demonstrari, sed brevitatis gratiâ à pluribus abstinemus, & unicum tantùm, brevius tamen de meditatione rustici adhuc adducemus.

Meditatio alicujus Rustici

De emanato Decreto Cæsareo, vel Taxâ, vi cujus hoc Anno debet quatuor integras Steuras præstare.

59. Talis inprimis recordatur hujus Decreti, sicque per memoriam illud proponit, seu exhibet intellectui; ecce primam meditationis partem, quæ per memoriam fit. Dein intellectu incipit illud considerare, secundùm circumstantias, secundùm quas juxta dicenda infra *Cap. sequente à Num. 59.* considerari potest, & solet textus aliquis, vel sententia, lex, mandatum &c.

60. Considerare ergo potest, & solet talis rusticus sensum Decreti v. g. quid velit, vel contineat hoc Decretum, & v. g. taliter considerare incipit. „ Vi illius debeo hoc anno iterum dare quatuor steuras: una harum facit 20. florenos, omnes autem efficiunt 80. florenos. Bone Deus! quid est hoc? non habeo decem florenos in domo, & deberem 80. dare; ac præter hoc etiam dare annuum canonem Domino directo; restat adhuc solvendum salarium pro famulis, & famulabus; urget etiam ille Creditor interesse, quod jam per tres annos non dedi pro summa 500. florenorum. Solvendi insuper sunt fabri lignarii, ferrarii &c. Est impossibile, non possum dare. Sed eheu! si non do, veniunt exactores, quibus quotidie cibum & potum, ac insuper salarium præbere debeo, donec steuras actu persolvam, quod si non facio, vi auferunt, & dimidiô pretiô vendunt frumentum, equos, boves, & oves, indéque majus adhuc patior damnum. O tyrannicum Regimen! ô nos miseros rusticos! ergo nulla misericordia, & charitas apud Dominos? ergo ad sanguinem usque exsugere nos volunt? Sed quid lamentor? debet esse, nullum est auxilium, si non do, damnum duplô majus patior: inter duo mala minus est eligendum &c. Quid ergo faciendum? debeo certè vel vendere aliqua, vel mutuas accipere pecunias, interea verò, donec iterum solvere potuero, debeo in omnibus parciùs vivere &c. Sit ergo; mutuas ab illo N. pecunias accipiam 100. florenos, quos cum tempore ut solverei iterum

rum valeam, diebus Dominicis & festivis hospitium non accedam; à carnibus quoque abstinebo, & de farina vivam: ad hanc autem coquendam butyrum parcè sumere permittam, ut illud vendere valeam in majori quantitate; triticum excutere ipse juvabo, quatenus uno operario carere, & salarium mihi reservare valeam: ad Festa Natalitia novam vestem, qua bene indigerem, non comparabo, sed hac attrita incedam &c. „

61. Ecce rursus optimam, & practicam meditationem, utpote in qua intellectus etiam rustici, postquam ipsius memoria recordandô rem exhibuit, intellectus illam circumstantiatè, bene, & ita expendit, ut voluntas fuerit mota ad varios affectus, & efficacia proposita, non tantùm in genere, sed etiam in specie, & particulari, ad intentum optimè facientia. Si ergo rusticus etiam bene, & faciliter meditari potest, quis dicat, meditationem, vel meditari esse difficile?

62. Dicetis forsan, has meditationes non esse bonas, sed malas, vel solùm indifferentes; consequenter pro exemplo hîc non quadrare. Resp. Verum quidem esse, illas non esse bonas in genere moris ad finem supernaturalem; esse tamen bonas, imò optimas quoad substantiam, seu essentiam meditationis, consequenter, licèt non serviant ad imitandum, serviunt tamen ad cognoscendum, quàm faciliter à quovis in substantia fieri valeat Meditatio etiam bona in genere moris, eò quòd hæc à mala, vel indifferenti in genere, & substantia meditationis non differat, cùm ad quamlibet harum memoria, intellectus, & voluntas quasi pariformiter, ita videlicet concurrant, ut memoria recordandô proponat, seu exhibeat materiam; intellectus eandem attentè, exactè, & circumstantiatè consideret, ac expendat, donec voluntas ad proportionatos affectus, actus, & proposita moveatur, illósque eliciat; consequenter differentia tantummodò materialis inter has in hoc solo consistat, quòd in meditatione moraliter mala, aut indifferenti, intellectus rem aliter, & secundùm tales circumstantias, rationes, vel motiva consideret, quæ potiùs ad malos, vel indifferentes, quàm bonos

bonos affectus, actus, & proposita moveat voluntatem, hæcque illos præ istis eliciat, quod tamen est in libertate cujuslibet, cùm quivis rem seu materiam, prout vult, & secundùm circumstantias, motiva, & rationes, quas vult, ad bonum nempe, vel malum finem considerare, indéque proportionatos affectus, actus, & proposita elicere possit. Quod ut magis pateat, sumamus ipsum superiùs *à Num. 48.* positum exemplum de meditatione militis, & demonstrabimus, ab illo æquè perfectè, & faciliter posse institui meditationem in genere moris bonam, quàm malam, aut indifferentem super præfata materia.

Meditatio Militis
Etiam in genere Moris bona.

63. BOnam ergo in genere moris faceret meditationem talis miles, si eam, prout facilè posset, dummodo vellet, sequentî, vel similì modô institueret: si videlicet affectus iræ, indignationis, & vindictæ, ad quos ex memoria, & circumstantia supradicta, consideratione alapæ acceptæ, ac injuriæ commotam sentiret voluntatem, tantisper cohiberet, & considerandô cogitaret.

64. „ Quid vis facere? vísne huic ingrato ignoscere, & hanc injuriam patienter tolerare, vel vis vindictam de illa sumere? audîsti sæpe, & legisti in Evangelio, audîsti in concionibus, vel etiam legisti, quòd Deus graviter præcipiat, ut ignoscamus, & dimittamus inimicis nostris, eísque benefaciamus, si volumus, ut etiam ipse dimittat nobis debita nostra, peccata nempe; ergo etiam tu dimittere, & ignoscere debes, aliàs nec tibi dimittetur, neque remittentur tibi peccata tua, & injuriæ erga Divinam Majestatem commissæ. Ecce quotidie oras in Pater Noster: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; si ergo non dimittas, maledictionem tibi quotidie exoras, hoc ipso, quòd quotidie roges, ut tibi taliter dimittat, sicut tu dimittis; tu autem non vis dimittere, ergo rogas, ut nec ille tibi dimittat. Cave, ne facias, aliàs væ tibi. Considera anima mea, quid habeas, & quid sequatur, si non dimit-

dimittis, sed vindictam sumis: & econtra quid, si ex corde propter DEUM dimittis. Si prius facis, DEUM gravissimè offendis, illúmque tibi inimicum facis, animam in æternas flammas præcipitas, cogita æternas, æternas &c. quomodo æternas pœnas; æternásque illusiones & contemptus sustinebis, qui modicam hanc injuriam sustinere non potes? eris etiam infelix, inquietus, & ex omni parte miser, quia nec hîc potest aliquis esse felix, nec quietus, qui Deum sibi inimicum habet. Certè sinè benedictione, & auxilio Divino nemo in aliquo prosperatur, sed in cunctis infelix est; qui autem Dei inimicus est, illius auxilium nec confidenter implorare, nec prudenter sperare potest. E-contra si posterius facis, DEO summopere placebis, & ingens meritum habebis, tuorúmque remissionem peccatorum certò obtinebis; sæpe enim in concionibus audîsti, Deo gratissimum, nobis summè meritorium, & ad delenda peccata nostra, quantumvìs magna, efficacissimum esse, si inimicis nostris ignoscimus: prout etiam ex variis historiis scis, vi quarum etiam Crucifixus è cruce loquens, summum beneplacitum suum Divinum ostendit erga eos, qui inimicis suis dimiserunt. Forsan Deus ex singulari sua providentia hanc super te injuriam permisit, ut haberes occasionem exercendi actum DEO gratissimum, & tibi utilissimum? forsan salus tua æterna pendet ab hoc actu?

Vide, & considera exemplum JESU Christi, qui in cruce pendens suis etiamnum calumniantibus, blasphemantibus, & intensissimè cruciantibus inimicis non tantùm ignovit, sed pro eisdem etiam Patrem cœlestem rogavit.

Cogita, quales tu, quantásque injurias irrogâris, & quasi continuò irrogas DEO, qui tamen tibi innumera, eáque maxima beneficia contulit, & omnî momentô conferre non cessat. Profectò ingratitudo tua erga DEUM infinitè major est, quàm ingratitudo inimici tui erga te: insuper infinitè major est injuria, qua tu DEUM, & quidem quotidie afficis, quàm injuria, qua te affecit inimicus; & tamen vis,

ut tibi ignoſcat DEUS, quod etiam libentiſſimè facit, dummodo & tu ignoſcas.

Sit ergo miſericordiſſime Deus; quia tu vis, quia præcipis, quia tibi adeò gratum, & acceptum eſt ignoſcere inimicis, volo ignoſcere meo inimico, & propter te jam ex nunc, & in perpetuum ignoſco: imò non tantùm ignoſco, ſed ad exemplum JEſu Chriſti dilectiſſimi Filii tui, te etiam pro illo rogo, ut eidem ignoſcas, & pro injuria, quam mihi intulit, omne bonum animæ, & corporis eidem copiosè tribuas.

Gratias humillimas tibi ago pro Divina tua permiſſione, qua factum eſt, quòd adverſarius hic meus alapam infligens, occaſionem mihi præbuerit ſpecialiter tibi gratos aliquos exercendi actus. Doleo, quòd vel momentô affectibus iræ, indignationis, ac vindictæ indulſerim: doleo, quòd acceptâ alapâ non ſtatim juxta doctrinam Evangelii alteram maxillam præbuerim, & ita faciendô te honorârim.

Pro neglecta hac occaſione, & ad implendam tuam ſanctiſſimam voluntatem, cauſandúmque tibi beneplacitum, agam ſaltem defacto adhuc, quæ poſſum, & quæ erga inimicos præcipis; & deſideras: tu vis in Evangelio, ut ante omnia quis reconcilietur fratri ſuo, & inſuper benefaciat inimicis ſuis, ecce propter te id faciam, & quia hodie non ampliùs occaſio eſt, ſtatim cras accedam ipſum, & omni affabilitate, & familiaritate faciam cuncta, quæ pro nova inter nos amicitia & tollenda omni animorum averſione videbuntur conducentia. Præſtabo quoque eidem, ubicunque poſſum, omne poſſibile auxilium, & charitatis obſequium: in ſpecie verò N, N. faciam &c.

Suſcipe igitur clementiſſime Deus! exiguos hoſce, à te tantopere deſideratos remiſſionis actus, & mihi quoque, prout promiſiſti, peccata dimitte; dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: prout firmiter ſpero; quia in promiſſis tuis infallibilis & infinitè verax es.

Dicant, & ſentiant homines, quidquid velint, habeant me pro timido, vel alio, ſufficit mihi, quòd DEO placeam, qui corda hominum in ſua manu habet, & poteſt,

potest, si vult, facere, ut ex hoc actu me non vilipendant; sed æstiment, mihíque locò confusionis, & abjectionis, quam stultè timui, gloria, & promotio eveniat, quam etiam, si est ad Dei gloriam, & meam salutem, certò spero.

Gratias humillimas tibi ago ter optime Deus! pro lumine, & gratia, qua ad præfatorum cognitionem venire, debitos actus, & resolutiones facere potuerim. Confirma hoc Deus, quod operatus es in me, & da gratiam ulteriùs, ut, quæ te inspirante, & adjuvante proposui, in opere exequi valeam; quod humillimè, & confidenter te rogo per illam charitatem, qua JEsus Christus Filius tuus in cruce pro inimicis suis rogavit, eísque benefecit, & voluit, ut sequeremur vestigia ejus.,,

65. Ecce! etiam in genere moris bonam meditationem, quam facilè facere potest miles, si vult, præsertim, cùm rationes, motiva, & circumstantiæ, quæ in consideratione proposita fuêre, sint communia, quæ passim audiuntur in concionibus, ac Evangeliis, & ex quibus, si considerantur, subsequentes affectus, & actus, bonáque proposita voluntatis quasi necessariò sequuntur.

66. Parî modô potest etiam allegatus *Num. 59.* rusticus, sicut & quivis alius in quavis occasione assumere, & considerare communia saltem, quæ passim in concionibus, & Evangeliis, vel alibi audivit, vel legit, rationes, & motiva fidei, & morum &c. ex quarum consideratione voluntas ad bonos affectus, actus, & proposita quasi necessariò movetur, sícque meditatio à quocunque faciliter fieri poterit.

67. Nec dicatis, illam superiorem *à Num. 47.* positam militis meditationem malam, & subsequentem rustici indifferentem, facilem quidem esse, eò quòd, quæ ibidem considerantur, sint communiter nota, & sub sensus cadant, indéque magis cognoscantur, penetrentur, & apprehendantur, præsertim cùm ad illa aliàs jam inclinet natura, consequenter etiam voluntatem ad affectus, actus, & proposita proportionata citiùs, magis, & sensibiliùs moveant; dum econtra illa, quæ in præcedente militis meditatione bona conside-

rantur, sensibus nostris tam nota non sint, nec ita sub eos cadant, sed tantùm ex cæca fide habeantur, ac insuper naturæ nostræ plerumque adversentur, & sint contraria, consequenter voluntatem ad correspondentes affectus, actus, & proposita nec faciliter, nec sensibiliter moveant, indéque meditatio in genere moris tam facilis non sit.

68. Resp. enim, verum quidem esse, quòd ea, quæ sub sensus cadunt, sensibúsque magìs, & quasi communiter nota sunt, majori cum facilitate considerentur, magísque sensibiliter penetrentur, & cognoscantur, indéque voluntatem ad sensibiles affectus, actus, & proposita citiùs, & magìs moveant, præsertim, si aliàs jam natura ad illa propendet; attamen etiam verum esse, quòd illa quoque, quæ sub sensus non cadunt, sensibúsque nostris communiter nota non sunt, sed sola cæca fide habentur, & sciuntur, ac insuper naturæ nostræ adversa sunt (hujusmodi sunt pleraque Principia, Regulæ, & Doctrinæ fidei, ac morum) cum pari facilitate non quidem *sensibiliter*, sed *rationabiliter*, seu secundùm rationem considerari, & imprimi valeant, indéque voluntas æquè, imò magìs faciliter, magísque efficaciter, & quasi necessariò ad correspondentes bonos affectus, virtutum actus, bona proposita, & resolutiones, non quidem sensibiles, sed rationabiles, seu secundùm rationem moveri, eósque exercere valeat, eò quòd ratio, motiváque rationabilia longè validiora sint, magísque à parte rei, & efficaciùs moveant voluntatem, quàm sensibilia.

69. Patet hoc in obvio quovis exemplo e.g. moriuntur alicui dilectissimi Parentes; conflagratur domus, vel auferuntur eidem cuncta sua bona fortunæ; talis sinè dubio ob hujusmodi casus, utpote sub sensum cadentes, facilè potest sensibiliter considerare, simúlque citò movetur ad affectus sensibiles v.g. dolorem, tristitiam &c. ita, ut etiam copiosas lacrymas effundat: econtra, si peccata sua, & offensas contra DEUM commissas, ac multiplex, ídque gravissimum inde consurgens damnum considerare vult, & de iis meditari juxta principia, & doctrinam fidei, & morum, id sensibiliter quidem pro libitu facere non

non potest, bene tamen (& faciliter quidem) id semper potest secundùm rationem, & præfata principia, doctrinámque fidei, ac morum; ex quorum consideratione pariter facilè movetur voluntas ad correspondentes affectus, & actus, non quidem sensibiles, sed rationabiles, seu secundùm rationem, ita tamen, ut hi ex motivo fidei, ac morum, ac secundùm rationem solummodo, absque ulla devotione, seu commotione sensibili provenientes affectus, & actus voluntatis possint esse, ac plerumque sint longè efficaciores, quàm illi, qui nescio qua cum devotione, teneritudine, ac commotione sensibili eliciuntur ex consideratione illorum, quæ sub sensum cadunt: cùm quivis, vel parùm timens DEUM interrogatus, an libentiùs vellet se nunquam offendisse DEUM, quàm non fuisse mortuos suos parentes; vel an deliberatè vellet committere aliquod peccatum mortale, si per illud posset resuscitare parentes, ac facere, non esse combustam domum, illico responsurus esset, utique libentiùs vellem, me DEUM nunquam offendisse, quàm meos, etsi dilectissimos parentes, non esse mortuos; quia majus malum reputo me offendisse DEUM, quàm mortem parentum &c. Ecce in re, & effectu major, & efficacior affectus, ad quem movetur voluntas rationabiliter ex consideratione principiorum fidei, ac morum, quàm ille, ad quem sensibiliter movetur ex consideratione eorum, quæ magis sub sensum cadunt, licèt hic posterior affectus, doloris v. g. longè sit sensibilior, utpote etiam lacrymas exprimens; dum econtra ille prior sinè ulla devotione, teneritudine, aut commotione sensibili totaliter siccus, & aridus, attamen cum advertentia rationis seriò est elicitus.



§. III.

De Præparatione ad Meditationem ritè instituendam requisita.

70. CHarissimi! dicta in præcedentibus duobus Paragraphis eò collimârunt, ut magnam semper de meditatione, ejúsque facilitate æstimationem, magnúmque amorem, & desiderium, & bonam voluntatem ad meditandum acquiratis, & retineatis; sicut enim in cunctis aliis, ita etiam in sacra meditatione, ejus æstimatio, amor ac desiderium, bonáque voluntas eam mirè facilitant, ac juvant. Et quoniam nullum dubium est, quin ex declarata, & demonstrata maxima meditationis præstantia, necessitate, utilitate, & facilitate, singularem de illa æstimationem, magnúmque erga illam amorem, desiderium, & bonam voluntatem conceperitis, indéque tantùm scire desideretis, quidnam ulteriùs ex vestra parte circa modum meditandi facere, & observare debeatis, id docebimini partim per præsentem paragraphum demonstrandô, qualiter in praxi requiratur, fieríque possit præparatio ad meditationem rectè faciendam, partim subsequenter adducendô, & declarandô partes meditationis, perfectámque, & facilem cujusvis partis, sicque totius meditationis modum, & praxin, doctrináque, & principia practica ostendendô.

71. Quæritur I. Quid, & quotuplex sit præparatio ad meditationem? Resp. I. Præparatio hæc nil aliud est, quàm debita dispositio, qua quis meditari volens, ad id se ritè disponit, seu præparat, præviè faciendô ea, quæ ad meditationem perfectè, & rectè faciendam necessaria, vel magis utilia videntur: & econtra removendô ea, quæ eandem impedire, debitæque perfectioni illius obesse censentur. Patet descriptio ex terminis.

72. Resp. II. Hæc præparatio est duplex, remota scilicet, & proxima: de qualibet harum pro majori utriusque claritate, & faciliori praxi, speciale ponamus quæsitum.

73. Quæ-

73. Quæritur itaque II. In quo consistat, & quàm necessariò fieri debeat præparatio *remota?* Ante responsionem notandum est, non deesse, qui dicunt, remotam præparationem consistere in animo à passionibus, & peccatis, inordinatisque affectibus libero, seu in conatu, quo quis immunem se reddit à malis passionibus, inordinatis affectibus, & desideriis, superfluis curis, & distractionibus terrenis, eò quòd his subjectus meditari difficulter possit. Verùm, licèt hæc præparatio multùm juvet ad perfectè meditandum, quia tamen nimis remota, nimísque generalis est, & potius ipsa meditatio ad ipsam habendam, seu ad acquirendum animum à passionibus inordinatis liberum, seu ad passiones vincendas sit medium necessarium, hinc cum communi aliter, & magìs ad propositum sumendô præparationem remotam,

74. Resp. I. Præparatio remota consistit in hoc, ut pridie ante somnum (si manè instituitur meditatio) designetur, seu determinetur materia, de qua quis meditari vult.

75. Resp. II. Ad hoc, ut designatio, seu determinatio materiæ tanquam remota præparatio, debitè, ac perfectè fiat, sequentia in praxi observare debetis Charissimi! & quidem *Primò.* In primis conversionis vestræ annis, ac donec in rebus spiritualibus, & oratione mentali majorem experientiam acquiratis, debetis materiam meditandam pridie legere ex libro aliquo, formatas meditationes continente; tum, ut inde memoria, intellectus, & voluntas vestra magìs juventur; tum, ut successivè videatis, & cognoscatis, quàm diversimode materiæ considerari, affectúsque circa eas, & proposita elici, sícque fructus ex meditatione hauriri possint.

76. *Secundò.* Quamvis, si cum tempore in spiritu, rebúsque spiritualibus, usu, & praxi meditandi magìs experti, magísque fundati eritis, necesse vobis non sit (utile enim semper est) ex libro meditationes formatas continente, materiam meditationis relegere, sed possitis eam ex alio libro legere, vel aliàs jam lectam, vel auditam v. g. historiam, Evangelii doctrinam, aut S. Scripturæ, vel aliud mysterium meditandum assumere, id tamen, de quo meditari vultis,

tis, pridie determinare, & in duo, vel tria puncta dividere debeatis.

77. *Tertiò.* Præcipuè observare debetis, ut, dum pro futura meditatione legitis, vel determinatis, & præparatis materiam, jam tunc aliquo modo ob oculos habeatis, & quasi provideatis, ac determinetis fructum; videlicet, quosnam circiter bonos affectus & virtutum actus, & quænam bona proposita in hac meditatione elicere velitis, & possitis pro fine, & intento vestro, quod in quavis meditatione habere debetis.

78. *Quartò.* Enimvero præprimis observare debetis, ut in designatione, ac determinatione materiæ intendatur, ac præfigatur unus aliquis certus finis, sive fructus principalis v.g. extirpatio alicujus certi vitii, vel malæ passionis; aut acquisitio, & exercitium alicujus virtutis, vel alicujus certi operis, vel muneris debita executio &c. ad quem finem consideratio prudenter dirigi, illúcque affectus, virtutum actus, & proposita potissimùm reduci, atque pro eodem Deus in meditatione ferventer rogari, & invocari, ídque totum quasi præviderì debet; nisi enim certus aliquis finis, & scopus intendatur, & ad illum obtinendum in designatione materiæ, & in ipsa postmodum meditatione debitè reflectatur, optatus fructus ex illa ordinariè non reportatur. Nec erit in hoc difficultas, cùm experientiâ teste facile sit, quòd, de quacunque materia quis meditatur, illam ad suum finem intentum aliquo modo trahere, ac dirigere, affectúsque, virtutum actus, & proposita, ad illum conducentia elicere, & pro eodem acquirendo humiliter, ac fiducialiter precari, consequenter in quavis cujuscunque materiæ meditatione fructum optatum, & intentum habere valeat.

79. Notandum tamen, quòd, licèt in præparatione remota certus finis præfigi, & ad illum fructus meditationis dirigi, ac quasi præviderì debeat, huic tamen ita insistendum, seu inhærendum non sit, quin ductui Spiritûs Sancti, qui subinde præter nostrum intentum ad alia, æquè, vel magis utilia, in ipsa meditatione illuminat, movet, & dirigit, nos accommodare, & obtemperare possimus, ac debeamus,

mus, prout notat celeberrimus in meditatione & contemplatione Magister, S. Petrus de Alcantara.

80. Resp. III. Præparatio remota hactenus explicata, ad meditationem, quæ ordinatè, & certo ad id designato tempore per integram v. g. vel per mediam horam instituitur (secus est de ea meditatione, quæ ex obvia quavis occasione fit juxta dicta *Num. 12.*) perfectè, & desideráto cum fructu peragendam, non solùm utilissima, sed etiam (quantùm ad præviam lectionem, vel saltem determinationem materiæ meditandæ) necessaria est. Ita sentiunt omnes Ascetæ, docétque quotidiana experientia, qua constat, quòd illi, qui ad futuram meditationem debitè se præparant, magnum plerumque fructum ex ea hauriant: illi verò, qui sinè præparatione accedunt, tempus meditationis distractè, otiosè, tædiosè, vel aliàs imperfectè consumant, nullúmque, vel modicum fructum reportent.

81. Ratio autem est; quia Deus, sicut in aliis, ita vel maximè in meditatione requirit etiam nostrum conatum, & cooperationem, adeò, ut sicut pane corporali, ita & spirituali (qui est oratio) in sudore vultus nostri vescamur: quapropter solet plerumque gratias, & lumina sua dare pro modo, & mensura conatûs, & laboris nostri: hinc illis, qui debita cum diligentia materiam pridie relegunt, vel saltem designant, ac determinant, in puncta dividunt, fructúmque quodammodo prævident, & sibi præfigunt, Deus in meditatione magis assistit, lumina, inspirationes, & gratias ampliores tribuit; quas econtra negat, vel subtrahit illis, qui absque debito conatu, & labore prævio otiosè quasi meditationem accedunt: eapropter illud commune erat apud antiquos Patres: *Quales volumus esse in meditatione, taliter priùs nos præparare debemus;* quia, licèt Deus ad quamlibet orationem, specialiter tamen ad orationem mentalem, seu meditationem, ceu formalem audientiam & conversationem cum Deo, ex professo ordinatè instituendam, requirit præparationem præviam, juxta illud Spiritus Sancti *Eccli. 18. v. 23. Ante orationem præpara animam*

mam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

82. Contra quam Divinam ordinationem agere, & DEUM quasi tentare censetur, indéque in meditatione à DEO justè derelinquitur, qui absque præparatione remota, ordinatam meditationem attentare præsumit, præsertim, si (ùt plerumque fit) nulla gravi, aut rationabili causa impeditus, ex solo tædio, & fuga modici laboris, qui ad faciendam præparationem requiritur, vel inordinato ad alia affectu, aut occultâ superbiâ ejusmodi præparationem omittit.

83. Colligetis proin Charissimi! *Primò.* Quantopere errent, & quàm malè sibi consulant illi, qui sinè præparatione remota meditari præsumunt, dum materiam meditandam pridie non relegunt, nec designant, aut determinant. *Secundò.* Qui id faciunt quidem, sed non nisi obiter. *Tertiò.* Qui nullum certum sibi meditationis præfigunt, nec prævident finem, aut fructum ex ea hauriendum.

84. Colligetis ulteriùs, quare multi ex meditationibus exiguum, vel nullum reportent fructum; quia nempe multi debitam præparationem remotam, & quidem nulla rationabili causa impediti, omittunt.

85. Quæritur III. In quo consistat, & quomodo in praxi fieri debeat præparatio proxima? Resp. I. Hæc consistit in certis, & brevibus quibusdam actibus, scilicet I. Fidei, & adorationis præsentis Dei. II. Humiliationis. III. Contritionis. IV. Intentionis, & oblationis. V. Propositi rectè orandi. VI. Invocationis pro assistentia Divina. VII. Resignationis, & protestationis. Qui actus immediatè ante meditationem, seu tunc exerceri debent, quando quis in loco meditationis jam existens, eam statim inchoare intendit. Isthæc ex præfatis actibus consistens præparatio DEO valde grata, homini valde utilis, & meritoria, atque ad rectè meditandum plurimùm proficua est, eámque ipsa natura dictat, & summa æquitas suadet, si vel obiter tantùm audientiam Divinam, & diversitatem conversantium, seu colloquentium in ea, DEI nempe, & hominis, illiúsque infinitam dignitatem, immensámque Majestatem, econtra hujus extremam vilitatem,

ac indignitatem consideremus.

86. Resp. II. Præparatio proxima ex præfatis actibus consistens in praxi bene, & valde utiliter fieri potest sequenti, aut simili modo.

Formula

Præparationis Proximæ, immediatè ante Meditationem faciendæ.

Actus Fidei, & Adorationis præsentis Dei.

87. „O Deus meus, & omnia! ecce coram infinita Majestate tua Divina, quam immensam, & præsentissimam firmiter credo, ac profundissima humilitate, omnísque possibili reverentia, & submissione in terram prostratus adoro, & veneror, compareo omnium creaturarum malitiosissima, & ingratissima, tuóque conspectu, & multò magis tua conversatione Divina me indignissimum agnosco, & confiteor. „

Actus Humilitatis.

88. „Quis enim sum ego, & quis tu? tu infinitæ & immensæ Majestatis Deus, cœli, terræque Dominus, coram quo Angeli contremiscunt, & præ reverentia facies suas abscondunt. Ego vilissimus terræ vermiculus, inanis pulvis, canis mortuus, & nihil, imò pejus nihilò, utpote qui illo, quod per te sum, iniquè abutens, infinitam tuam Majestatem, & Bonitatem, quam super omnia amare, & honorare ex infinitis titulis debuissem, malitiosissima iniquitate, & insana præsumptione innumerîs injuriîs, & contemptu affeci. „

Actus Contritionis, & Propositi.

89. „Verùm amandissime Deus! doleo ex corde, quòd unquam vel in minimo te offenderim, & propono firmissimè in nullo te ampliùs offendere, sed semper te amare, & ex amore erga te perfectè tibi servire, tuámque sanctissimam voluntatem in omnibus exactè adimplere. „

Actus Intentionis, & Oblationis.

90. „Et hanc ipsam ob causam, ut videlicet tuam sanctissimam voluntatem adimpleam, quia vis, & in deliciis habes, esse, & conversari cum filiis hominum, indéque ad Divinam audientiam me, etsi indignissi-

mum, admittis, & hoc ipso tempore per Superiores meos tui locum tenentes, me vocas, corde contrito, & humiliato in conspectu tuo Divino compareo, &, licèt sim cinis, & pulvis, humillimè loquor ad te, & audiam, quid loquaris in me. „

„ Ut tamen hæc mea indignissima conversatio, & oratio mentalis tibi gratior existat, eam cum perfectissima oratione JEsu Christi Filii tui unio, ac conjungo, sícque unitam, ad laudem tuam, & gloriam humillimè tibi offero. „

Actus Propositi rectè orandi.

91. „ FIrmissimè proponens, quòd illam non tantùm omni possibili reverentia, & attentione perficere, sed tuis etiam Divinis inspirationibus, & locutionibus aurem mentis humillimè præbere, ac in opere ipso exactè obtemperare velim. „

Actus Invocationis.

92. „ SEd quoniam sinè te prorsus nil possum, nec ullam bonam cogitationem habere valeo, te pro gratia, & auxilio humiliter, ac fiducialiter per infinitam tuam bonitatem, merita, & Nomen JESU imploro. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo: faciem tuam illumina super servum tuũ, & doce me justificationes tuas. O Pater cœlestis reple memoriam bonis cogitationibûs. O Fili Dei, æternum Verbum Pátris, illustra intellectum meum cœlesti tuo lumine. O Spiritus sancte Deus, amor utriusque, voluntatem ad affectus, actus, & proposita tibi grata inflamma. Tu quoque ter admirabilis immaculata Virgo, & Mater, refugium peccatorum Maria, & tu sancte Angele Custos, vósque SS. Patroni, & Patronæ, Sanctíque Dei omnes juvate, & orate pro me, ut meditari valeam, prout sanctissimæ placuerit voluntati Divinæ. „

Actus Resignationis, & Protestationis.

93. „ CUi me, sicut in cunctis aliis, ita & in hac meditatione ad omnia, etiam ariditatem, & desolationem secundùm Divinum beneplacitum totaliter resigno. „

„ Respuo tamen, quantùm possum

possum, omnes distractiones, cogitationes, curásque profanas, & omnes alias quacunque ratione tibi adversas, ac contra eas protestor. Abeste igitur procul cogitationes, & curæ impertinentes omnes, quia cum amandissimo, & præsentissimo immensæ Majestatis DEO meo loqui, eíque nunc attendere debeo. Loquere ergo Domine, quia audit servus tuus &c. „

§. IV.

De Materia Meditationis.

94. Quæritur I. Quænam Materiæ Meditationum pro via purgativa, illuminativa, & unitiva sint seligendæ ?

Resp. I. Quamvis nil sit in toto universo, de quo non possit utiliter fieri Meditatio aliqua; hoc ipso, quòd ex quavis creatura ad cognitionem Creatoris, indéque ad amorem illius, nec non ad alios bonos, ac utiles affectus, & actus pervenire valeamus; nihilominus sunt certæ quædam materiæ, quarum Meditatio nobis magis utilis, magísque necessaria est, utpote ad odio habendum, & fugiendum malum, ac econtra ad amandum, & prosequendum bonum, Deíque amorem, & debitum servitium magis nos juvans, movens & inducens, ídque pro diversitate statûs, dispositionis, & conditionis personarum; hinc SS. Patres & Ascetæ certas præscribunt, & suadent materias; eásque in tres classes juxta triplicem statum, seu viam, purgativam videlicet, illuminativam, & unitivam, seu incipientium, proficientium, & perfectorum dividunt; ità, ut cuivis statui certas materias pro ordinariis meditationibus assignent. Hinc

95. Resp. II. Qui adhuc incipientes, & in via sunt *Purgativa*, ordinariè utilissimè possunt, & non rarò debent meditari de materiis sequentibus.

I. De fine, ob quem creati sumus.

II. De obligatione DEUM amandi, eíque serviendi.

III. De fine, ob quem ingressi sumus Religionem.

IV. De speciali obligatione, quam habet Religiosus, servi-

endi DEO; & tendendi ad perfectionem.

V. De felicitate status Religiosi.

VI. De vanitate, falsitate, & periculis mundi.

VII. De peccato, ejúsque malitia.

VIII. De maximis damnis, & pessimis effectibus peccati tam venialis, quàm mortalis.

IX. De propria sui cognitione, miseria, vilitate, malitia, & peccatis hactenus commissis: ac propterea etiam de periculo animæ suæ.

X. De quatuor Novissimis, morte videlicet, judicio, inferno, & cœlo.

XI. De vanitate, & caducitate omnium terrenorum.

XII. De æternitate.

De quibus singulis passim, & copiosè scribunt Ascetæ, formatæque de iis inveniuntur Meditationes in copia. Ratio autem, cur hæ magìs, quàm aliæ materiæ serviant incipientibus, est; quia incipientes præfatìs materiìs ordinariè magis, quàm per alias moveri solent ad timorem DEI, horrorem peccatorum, contritionem, & compunctionem, fugam, eradicationem, & purgationem peccatorum, ad quod principaliter tendere debent ij, qui sunt in via purgativa.

96. Resp. III. Materiæ Meditationis, quæ pro existentibus in via *Illuminativa*, seu in virtute jam proficientibus plurimùm prosunt, à potiori sunt sequentes, videlicet

I. Virtutes in genere, & in specie.

II. Vita, exempla, doctrina, passio, & mors Christi.

III. Doctrina Evangelii, Psalmorum, & aliorum S. Scripturæ librorum doctrinæ, & sententiæ.

IV. Vota, Regula, & Constitutiones Ordinis, & Provinciæ.

V. Vita, exempla, & doctrina Sanctorum.

VI. Universaliter cuncta, quæ magìs illuminant, ad virtutes magìs instruunt, ad eásque implantandas, & firmandas magìs juvant.

97. Resp. IV. Pro existentibus in via *Unitiva*, seu pro jam perfectis, ad Meditationem, vel potiùs contemplationem propriè serviunt materiæ.

I. De Attributis sive Perfectionibus Divinis, infinita v. g. ejus Bonitate, Misericordia, Clementia, Providentia, Sapientia,

tia, Immensitate, Æternitate, Infinitate &c.

II. De continuis, & innumeris beneficiis Dei.

III. De mirabili Evcharistiæ Sacramento.

IV. Et universaliter de iis, quæ ad excitandum, & augendum amorem Dei, causandámque admirationem de illo, unionémque cum illo serviunt.

98. Notandum tamen circa meditationum materias, quòd singulæ istæ in tres classes divisæ materiæ non ita sint propriæ uni statui, quin etiam alteri in certis occasionibus, certísque temporibus, & pro diversitate dipositionum, causarum, & circumstantiarum servire queant. Imò, non tantùm potest, sed etiã debet subinde materia aliqua uni statui assignata, ab existentibus in alio statu, seu via assumi: sic v. g. debent etiam in via illuminativa, & unitiva existentes, seu proficientes, & perfecti subinde assumere materiam ex via purgativa e. g. de fine creationis, & vocationis, de malitia & damnis peccati, de quatuor novissimis &c. Econtra existentes in via purgativa, seu incipientes possunt, & debent subinde assumere materiam ex via unitiva, ut ad majorem Dei cognitionem, indéque ad amorem illius veniant; sicut etiam ex via illuminativa.

99. Quæritur II. Quàm utilis sit materia meditationis de vita, exemplis, passione & morte Christi? Resp. Ejusmodi materias esse utilissimas; eò quòd nil à peccatis, & caducis ita inhibeat, & econtra nil ad virtutem & perfectionem ita illuminet, instruat, moveat, & trahat, simúlque ad Dei amorem alliciat, quàm vita, exemplum, doctrina, passio, & mors Christi JESU: prout fusiùs demonstrat S. Bonaventura *in Opusculo Meditationis Vitæ Christi. in Proœmio:* ubi inter alia dicit: „ Super omnia namque inter spiritualis exercitii studia hoc magìs necessarium, magísque proficuum credo, & quòd ad celsiorem gradum perducere possit; nusquam enim invenies, ubi sic doceri possis contra vana blandimenta, & caduca, contra tribulationes & adversa, contra hostium tentamenta, & vitia, sicut in Vita Domini JESU, quæ fuit absque defectu perfectissima; ex frequenti enim, & assueta Meditatione Vitæ ipsius adducitur anima in quan-

quandam familiaritatem, confidentiam, & amorem ipsius, ita, quòd alia vilipendit, & contemnit. Insuper fortificatur, & instruitur, quid facere, quidve fugere debeat. „

100. „ Dico *Primò* (pergit Seraphicus Doctor) quòd jugis Meditatio vitæ Domini JESU corroborat, & stabilit mentem contra vana, & caduca. „

101. „ *Secundò:* fortificat contra tribulationes & adversa. Inde est, quòd non solùm Martyres, sed & Confessores in tribulationibus, & infirmitatibus suis tantam patientiam habuerunt, & tota die habent: si legas de beato Francisco, & de beata Virgine Clara, poteris invenire, quomodo in multis tribulationibus, penuriis, & infirmitatibus non solùm patientes, sed etiam hilares existebant. Idem quotidie videre potes in ducentibus sanctam vitam: hoc ideo, quia ipsorum animæ nec erant, nec sunt in eorum corporibus, sed in Christo, ex devota Meditatione vitæ ipsius. „

102. „ *Tertiò:* dico, quòd docet circa gerenda, ut nec hostes, nec vitia irruere, vel fallere possint: hoc ideo; quia perfectio virtutum reperitur ibidem. Ubi enim virtutes excelsæ paupertatis, eximiæ humilitatis, profundæ sapientiæ, orationis, mansuetudinis, obedientiæ, patientiæ, cæterarúmque virtutum exempla, & Doctrinam sic invenies, sicut in vita Domini virtutum &c. qui ergo eum sequitur, errare non potest, neque falli. Ad cujus virtutes imitandas, & adipiscendas, ex frequenti meditatione cor accenditur, & animatur. Deinde illuminatur virtute, ita, quòd virtutem induit, & à veris falsa discernit: adeò, ut plures fuerint illiterati, qui magna, & profunda Dei Mysteria cognovêre. Unde credis, quòd Beatus Franciscus ad tantam virtutum copiam, & ad tam luculentam intelligentiam Scripturarum, ad tam etiam perspicuam notitiam fallaciarum hostium, & vitiorum pervenerit, nisi ex familiari conversatione, & meditatione Domini sui JESU. Propterea sic ardenter afficiebatur ad ipsam, ut quasi sua pictura fieret. Nam in cunctis virtutibus, quàm perfectiùs poterat, imitabatur eandem, & tandem complente, ac perficiente JESU per impressionem SS. Stigma-

Stigmatum fuit in eum transformatus totaliter. Vides ergo, ad quàm excelsum gradum meditatio vitæ Christi perducit &c. Tu autem, si ex his (*dictis nempe, & factis Christi*) fructum sumere cupis, ita te præsentem exhibeas his, quæ per Dominum JESUM dicta, & facta narrantur, ac si tuîs auribûs audires, & oculîs ea videres toto mentis affectu diligenter, delectabiliter, & morosè; omnibûs aliîs curîs, & solicitudinibûs tunc omisîs. „ Hucusque S. Bonaventura.

103. Cui consonat S. Laurentius Justinianus *de Discipl. & Perfect. Monast. Conversf. cap. 8.* ita scribens: „ Quicunque esse Dei fidelis servus, & prudens desiderat, Salvatoris gesta, & præcipuè ipsius Passionem ruminare non negligat. Et *cap. 18.* Nulli famulantium Christo fas est, has postponere meditationes Redemptoris, ut ex ipsarum consideratione intelligant humano generi charitatem exhibitam, pati concupiscant, compati discant, redamare studeant &c. In his utique meditationibus assiduè, ardentérque incumbendum est, & singula diligenter pertractanda sunt; nisi fortè ex superveniente gratiæ lumine, aut ex abundantiori charitatis affectu cor ad alia meditanda raperetur. „

104. Idem Sanctus *de triumphali Christi agone. c. 20.* scribit: „ Nihil eorum, quæ in sacro continentur eloquio, sic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tædium auferre, & æternæ felicitatis spem immittere, quemadmodum redemptionis humanæ sacrosanctum mysterium. „ Ulteriùs

105. Notandum *Primò*: Pro quovis statu valde utile, ac consolatorium esse, meditari de verbis, textibus, & sententiis S. Scripturæ v. g. Psalmorum, Proverbiorum &c. præcipuè verò Evangelii, & reliquæ Scripturæ novi Testamenti. Enimvero per verba Scripturæ Sacræ manifestantur leges, mandata, voluntas, & beneplacitum Divinum, iísque instruimur, quid, & quomodo agere, omittere, & pati debeamus; iisdémque confortamur, & consolamur. *Quæcunque enim scripta sunt*, ait Apostolus *ad Rom. 15. v. 4. ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam, & consolationem Scriptura-*

rum, ſpem habeamus. Hinc David quaſi continuò in verbis Scripturæ, tanquam lege, mandatis, & judiciis Dei meditabatur, indéque ingentem illuminationem, animæ ſuæ fructum, & conſolationem ſe hauſiſſe fatetur, prout paſſim conſtat ex Pſalmis, præſertim *118.* ad Horas Minores recitari ſolito: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die Meditatio mea eſt. v. 97. In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos. v. 16. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & Lumen ſemitis meis. v. 105. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. v. 103.*

106. Notandum *Secundò:* Valde utile eſſe, ut eadem materia ſæpiùs, & ſubinde per plures dies continuò pro meditatione aſſumatur, quatenus ſæpiùs conſiderata magis agnoſcatur, & imprimatur, convenientésque boni affectus, & virtutum actus, ac præſertim bona propoſita repetantur, & efficaciora fiant. Et hoc notandum Aſcetæ ſpecialiter obſervant.

107. Notandum *Tertiò:* Bonum, & congruum eſſe, ut in principalibus anni, & Eccleſiæ Feſtivitatibus, de myſteriis earundem inſtituatur Meditatio.

108. Notandum *Quartò:* Semper utiliſſimum, & quaſi neceſſarium eſſe, ut quotieſcunque major aliqua interna, vel externa tribulatio, adverſitas, deſolatio, tentatio &c. nobis imminet, vel jam adeſt, quæ magis affligere, aut contriſtari videtur, illico eam pro materia Meditationis aſſumamus, & in ea præcipuè conſideremus reſignationis & patientiæ motiva v. g. quòd ita ſit voluntas Divina diſponens, vel permittens &c. Enimvero fatentur Aſcetæ, & docet experientia, nil tam adverſum, aut difficile nobis contingere poſſe, quod non juvante DEO facilè, magno cum beneplacito Divino, noſtróque merito, & conſolatione ſupportare poſſumus, ſi ſtatim ad orationem, præſertim mentalem recurrimus, & in ea, in, & cum Deo rem bene perpendimus, & tractamus.



CAPUT

CAPUT XIV.

De tribus Meditationis partibus.

§. I.

De partibus ejus in genere: & in specie de prima Meditationis parte, scilicet repræsentatione materiæ.

1.

QUæritur I. Quot, & quæ sint partes Meditationis? Quamvis Patres & Ascetæ in assignando numero, & nominandis partibus Meditationis, seu orationis mentalis varient, aliis plures, aliis pauciores asserentibus, in re tamen conveniunt, ita, ut plures partes ab aliquibus allegatæ, in paucioribus per alios assignatis contineantur, & diversis vocabulis nominatæ, idem à parte rei significent. Nos secuti celebriores Patres, & Ascetas, non multas, sed paucas, tales tamen assignabimus partes, ex quibus ipsa Meditationis natura breviter, & clarè patet, ac ex quarum praxi ipsa Meditatio perfectè, & faciliter, & desiderato cum effectu fieri potest. Hoc prænotato

2. Resp. Præsupposita debita Præparatione remota, & proxima, Meditatio, seu oratio Mentalis, quæ ordinatè, certo ad eam designato tempore instituitur, habet tres Partes; & hæ sunt

I. Repræsentatio, seu exhibitio, sive propositio materiæ.

II. Consideratio ejusdem.

III. Bonorum affectuum, & virtutis actuum, bonorumque propositorum, ac resolutionum productio.

Patet ex ipsa natura Meditationis data Responsio. Cæterùm, licèt aliqui præparationem numerent inter partes Meditationis, nos eam pro vera parte non agnoscimus, eò quòd præparatio ad rem non sit aliquid rei, sed prærequisitum ad rem, consequenter vera pars illius esse, vel dici non possit. Et hinc dicitur

in responsione: *Præsupposità præparatione debita, habet Meditatio tres partes.*

3. Prima ergo Pars Meditationis est *Exhibitio, & Propositio* materiæ. Quia Meditationem de aliqua re, vel materia facere quis non potest, nisi priùs talis rei, vel materiæ recordetur, sícque recordandô eam proponat, seu repræsentet memoria, & per hoc jam habetur prima Pars.

4. Et quoniam juxta dicta, Meditatio aliud non est, quàm attenta consideratio, & circumstantionata expensio rei, de qua meditari quis sibi proposuit, meritò *Consideratio* pro altera parte assignatur.

5. Quia verò isthæc consideratio ideo præcipuè, seu ad hunc finem fit, ut exinde voluntas, seu animus moveatur ad bonos affectus, & virtutum actus, bonáque proposita producenda, horum *productione* tertiam partem, sícque totam Meditationem habemus, dum nempe præmissa debita præparatione; materia, per memoriam proposita attentè, ac circumstantionatè consideratur, seu expenditur, & ex hac consideratione animus, seu voluntas rationabiliter commota bonos affectus, & virtutum actus, bonáque proposita ad Dei gloriam, suam salutem, ac profectum spiritualem producit. Porro, quomodo quævis harum partium in praxi perfectè, ac facilè fieri queat, in hoc, & sequentibus paragraphis dicetur. Et quidem in præsenti agemus in specie de prima parte. Unde

6. Quæritur II. In quo consistat, & quomodo in praxi per memoriam faciliter fieri possit exhibitio, seu repræsentatio materiæ? Resp. I. Ista consistit præcisè in hoc, quòd memoria breviter exhibeat, seu repræsentet materiam, priùs pro meditatione jam determinatam, eámque intellectui relinquat, ut ab eodem attentè, & circumstantionatè consideretur, & expendatur, indéque voluntas ad bonos affectus, actus, & proposita moveatur; seu, quod idem est, consistit in hoc, quòd breviter recordemur materiæ ad meditandum priùs jam electæ, sícque recordandô eam quasi exhibeamus intellectui.

7. Resp. II. In praxi nulla prorsus difficultas, sed facillimum est, hanc materiæ repræsentatio-

tionem mediante memoria facere, hoc ipso, quòd aliud non requiratur, nisi ut materiæ meditandæ breviter, & simpliciter recordemur, quod utique difficile non est.

8. Notandum tamen *Primò* circa hanc operationem, seu exercitium memoriæ, quòd ista brevis repræsentatio materiæ possit fieri diversimode, pro diversitate nempe materiæ, libitúque, ac dispositione meditantis. Et quidem, si historiam, vel factum aliquod, vel quid aliud, quod sensibiliter nobis imaginari possumus, & repræsentare v. g. Nativitatem, Coronationem, Agoniam, Crucifixionem Christi, Mortem, extremum Judicium, Infernum &c. potest repræsentatio illius à memoria, & phantasia fieri, quasi essemus in loco, ubi simile quid factum est, aut fiet, ac si oculîs nostrîs spectaremus illud, qualiter v.g. Christus cruci affigatur, manus & pedes clavîs confodiantur &c. Vel potest memoria isthæc repræsentare, ac si ante oculos nostros in loco, ubi sumus, fierent.

9. Sic etiam potest sensibiliter repræsentare Infernum, tanquam aliquem horribilem igne, & sulphure plenum, dæmonibûs, & aliîs damnatîs repletum locum, qui ob immanes cruciatus terribiliter lamentantur, blasphemant, & memores, se in æternum ita pati debere, desperantes, sibi & aliis variè maledicunt &c. Item potest v.g. de morte meditaturus memoriâ repræsentare aliquem morti jam proximum in lecto mortuario jacentem, à Medicis, & aliis derelictum, variîs conscientiæ remorsibûs, memoriâ præteritorum, imminentis judicii, & æternitatis, aliísque tentationibûs agitatum, & angustiatum, indéque sæpiùs suspirantem, & hinc inde se volutantem, vel in agone jam existentem &c. Et hæc repræsentatio fieri potest, vel quasi meditans esset actu in tali loco, vel quasi ista fierent coram oculis suis in loco, ubi ipse existit.

10. Vel possunt eadem sensibilia, & sensu imaginabilia objecta à memoria simpliciter repræsentari absque simili rei imaginatione, ita, ut simpliciter recordemur, quòd v. g. Christus pro nobis natus, spinîs coronatus sit &c. & statim relinquamus intellectui consideratio-

nem, seu meditationem materiæ perpendendæ.

11. Enimvero nemo adstringitur ad unum, eundémque modum v. g. talem sensibilem rei, aut facti imaginationem, quasi meditans eidem præsens esset, prout nonnulli minùs rectè faciunt, qui ex eo, quòd sibi certus aliquis modus quadret, omnes alios ad illum adstringere volunt, quasi verò omnes essent æqualis dispositionis naturalis, æqualémque haberent memoriam, phantasiam &c. qui propterea etiam tanquam quid necessarium ad meditationem præscribunt, ut in quavis meditatione fiat hujusmodi sensibilis repræsentatio, & imaginatio materiæ: quod nullatenus videtur consultum.

12. Notandum *Secundò*, quòd repræsentatio materiæ in meditatione considerandæ non tantùm semel, videlicet statim finita præparatione proxima, sed sæpiùs in meditatione per memoriam fieri debeat, & soleat, quoties nempe absoluto per considerationem, & bonos voluntatis affectus uno puncto, ad aliud considerandum quis progreditur; tunc enim iterum, uti in priori puncto, certa pars materiæ per memoriam rursus breviter repræsentatur, & proponitur intellectui: imò, in uno eodémque puncto, seu parte materiæ potest, solet, & debet memoria cum intellectu concurrere, quoties videlicet in ipsa discussione, seu consideratione hujusmodi materiæ recordamur eorum, quæ ad rem legimus, audivimúsque in discursu, in concione &c. vel reminiscimur aliorum, ad propositum facientium v. g. quid alii in hoc fecerint, & quid nos fecerimus &c. Uno verbo, dum materiam considerat, & expendit intellectus, illum plerumque comitari, & in pluribus juvare debet memoria, modò hæc, modò illa ad fructuosè, & perfectè eam considerandam suggerens, prout quotidiana quemvis docet experientia.

13. Notandum *Tertiò*, posse subinde contingere, quòd ex sola rei memoria, seu recordatione, præsertim forti, & repetita tam ab initio, quàm durante meditatione, sufficienter moveri possit, ac soleat animus, & voluntas, ita, ut absque ulteriori consideratione bonos eliciat actus, & affe-

affectus, bonáque & efficacia proposita ad intentum suum faciat, indéque principalem fructum, & effectum habeat meditationis. Quod, licèt raró fiat, fieri tamen potest, præsertim apud contemplativos, & illos, qui in meditatione, & rerum Divinarum cognitione perfectiores existunt. Hinc si vobis etiam subinde contingat Charissimi, ab ulteriore consideratione abstinere; bonísque affectibus, virtutum actibus, & propositis, quamdiu devotio, & gustus circa illos durat, vel donec vobis satisfeceritis, indulgere, & inhærere debetis, eò quòd in his principalis consistat fructus meditationis, & finis, quem proin si jam habetis, abstinere debetis à medio eum obtinendi, consideratione videlicet.

§. II.

De secunda Meditationis parte, Consideratione videlicet materiæ.

14. JAm venimus ad id, quod pluribus, præsertim incipientibus difficile in meditatione videtur, eósque ab illa deterret, vel certè eandem non raró tædiosam, & odiosam reddit, attentè videlicet, & debitè per intellectum considerare, speculari, & expendere materiam pro meditatione propositam; aliquibûs conquerentibûs, se non posse materiam satis circumstantionatè considerare, vel expendere, nec posse se intellectu desuper discurrere, vel speculari, nil ipsis incidere, neque bonas aliquas cogitationes eis obvenire &c. aliis econtra lamentantibûs, se per consideratione materiæ non moveri, vel se non posse habere, & elicere bonos affectus, & actus, vel, si quos subinde eliciunt, esse prorsus imperfectos, absque ulla animi devotione; nec ex corde procedere, sed esse quasi incommovibiles, merámque in sua meditatione apparere ariditatem, siccitatem, tædium, indéque distractionem, & mentis divagationem, temporísque inutilem consumptionem.

15. Lamentantium itaque, & querulantium horum difficultates, quamvis satis jam sublatæ

sint per ea, quæ *de Facilitate meditandi. Cap. præced.* diximus: nihilominus, ut adhuc magis tollantur, & clarè appareat, facile esse cum Divina gratia semper bene, & utiliter meditari, trademus in præsente & subsequente paragrapho certas quasdam instructiones, & regulas, quibûs observatis præfatæ difficultates evanescent.

16. Quæritur igitur I. In quo consistat, & quomodo de quavis materia in praxi per intellectum facilè, & perfectè fieri queat Consideratio materiæ pro meditatione assumptæ? Resp. I. Isthæc consideratio præcisè consistit in hoc, ut, postquam præparatio debitè præmissa, & materia per memoriam breviter repræsentata, & proposita fuit, eam intellectus attentè magis & exactiùs consideret, & perpendat, indagandô, & scrutandô illius naturam, vel proprietates, vel causas, & effectus, vel alias illius circumstantias, quatenus ex tali consideratione major, & clarior materiæ acquiratur cognitio, vel priùs jam habita renovetur, vel magis imprimatur, indéque voluntas ad bonos affectus, actus, & proposita moveatur, juxta jam dicta.

17. Resp. II. Non idem in quavis materia, nec quævis eodem modo considerari debent, & expendi. Ratio patet; quia aliud in hac, aliud in illa materia scitu magis utile, & ad movendam voluntatem magis congruum est. Pariter alio modo, aliásque per circumstantias venitur ad debitam, & pro movenda voluntate aptam cognitionem unius materiæ, alio modó ad cognitionem alterius.

18. Ut autem pateat, quomodo quævis materia in specie, & quid magis in illa considerari debeat, notandum est, omnem materiam, de qua materia instituì potest, reduci posse ad quatuor Classes, ita, ut quævis meditationis materia sit

I. Vel Factum, seu Historia aliqua.

II. Vel Virtus aliqua.

III. Vel Vitium aliquod.

IV. Vel Sententia aliqua, Veritásque, aut Principium Fidei, & Morum.

Quarum quævis quomodo, & quid in illa utiliter considerari debeat, debitam notitiam si habeatis,

beatis, jam hoc ipso de omni materia in specie, utpote sub aliqua præfatarum Classium comprehensa, utiliter, & faciliter meditari potestis. Ostendemus autem juvante DEO tam clarè, quomodo quævis harum, & quid in illà considerari possit, vel debeat, ut quivis, quantumvis rudis intellectus, cum gratia Divina quamlibet utiliter, & faciliter considerare, & expendere valeat. Pro cujus majori claritate de singulis singula ponemus quæsita. Itaque

19. Quæritur II. Quomodo materia, quæ in Facto aliquo, seu in Historia consistit, debitè expendi possit, aut debeat? Resp. Circa hanc materiam debet inprimis à memoria fieri brevis repræsentatio, juxta dicta supra. Dein debet intellectus illam pacatè, & tranquillè, seriò tamen, & attentè considerare secundùm circumstantias in illo vulgari versiculo comprehensas.

Quis? quid? ubi? quibùs auxiliis? cur? quomodo? quando? Considerare videlicet potest. I. *Quis* sit ille, seu qualis persona, quæ hoc, aut illud fecit, omisit, aut passa est?

II. *Quid* fecerit, aut passa sit? e.g. quas pœnas, dolores, aut tribulationes?

III. *Quomodo* id fecerit, aut passa sit? v.g. qua modestia? qua patientia? qua humilitate? qua resignatione? qua constantia, & fortitudine? qua diligentia, & perfectione &c.

IV. *Ubi?* seu in quo Loco? publico, vel occulto? sacro, vel profano? commodo, vel incommodo &c.

V. *Quando?* seu quo tempore, in hyeme v.g. vel æstate? de die, vel nocte? in tenera, vel senili ætate &c.

VI. *Quibùs auxiliis*, seu mediis?

VII. *Cur?* seu ob quam causam, & finem, & qua intentione?

VIII. Potest etiam considerari effectus inde proveniens.

IX. Qualiter nos factum hujusmodi, vel exemplum imitemur, vel ab eo deficiamus. Et qualis fructus ex eo hauriendus sit?

20. Quod ut magìs pateat, factum aliquod in specie adducemus, simúlque breviter ostendemus, qualiter consideratio illius secundùm præfatas circumstantias utiliter, & faciliter fieri queat. E.g. accipiamus Factum illud, quo Christus 12. annorum

norum veniens Nazareth, Parentibus suis Mariæ, & Joseph erat subditus, juxta Evangelii elogium *Luc. 2. v. 51. Et descendit cum eis* (Parentibus nempe suis) *& venit Nazareth, & erat subditus illis.*

21. Facta itaque præparatione Memoria breviter repræsentat, & proponit, qualiter amabilissimus ille 12. annorum Puer in omnibus exactè, & simpliciter obedierit voluntati, & mandatis Parentum.

22. Postea intellectus pacatè considerare potest circumstantiā Personæ v. g. cogitandô: *Quis* est ille, qui obedit? „ Est Christus, homo simul & Deus, immensa Majestas, Rex, & Dominus cœli, & terræ, cui omnia obedire, & ad cujus nutum omnia fieri debent &c. „

23. *Cui* obedit? „ Puris creaturis, quæ, etsi sanctissimæ, illo tamen quoad omnia infinitè inferiores, & ab eo in omnibus dependentes sunt &c. „

24. *Quomodo* obedit? „ Perfectè, & exactè in omnibus sinè exceptione, teste enim Evangelio, omnia bene fecit: & DEI perfecta sunt opera; consequenter etiam cum hilaritate, patientia, & promptitudine, non tantùm mandato, sed & voluntati, & beneplacito illorum se accomodandô, & quidem non tardandô, sed etiam præveniendô, & promptè exequendô idque sinè omni murmuratione, querela, impatientia, tristitia, ac sinè interrogatione, aut discussione, simpliciter, & resignatè &c. „

25. *Ubi* obedivit? „ In omni loco, tam publico, quàm occulto, etiam aliis præsentibûs, & spectantibûs &c. „

26. *Quando?* „ Omni etiam incommodo tempore, & quidem non tantùm in tenera illa ætate, sed etiam dum jam erat provectæ ætatis, 20. v. g. & aliquot, imò triginta annorum; illuc usque enim Evangelium obedientiam illius erga humanos Parentes tacitè testatur. „

27. *Quibûs Auxiliis?* „ Solus sinè adjutore, etiamsi labor, vel obedientia aliqua humanæ suæ, eíque subtilissimæ naturæ subinde valde difficilis esset, & molesta, eum fatigaret multùm, & affligeret. „

28. *Cur* ita obedivit, vel ob quem finem? „ Ut honoraret, & glorificaret Patrem suum cœlestem, ejúsque Divinum bene-

pla-

placitum, voluntatem, & legem de obediendo Parentibus adimpleret; utì enim ipse dicit *Joan. 6. v. 38.* Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. & *Matth. 5. v. 17.* Non veni solvere (legem) sed adimplere. Obedivit item ad exemplum, & instructionem nostram, ut nempe sequeremur vestigia ejus: Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Joan. 13. v. 15.* Quis ergo non promptè, & libenter propter DEUM obediret constitutis à Deo Superioribus suis, si considerat, quòd Christus JESUS, Rex, & Dominus cœli, & terræ, exactissimè obedierit suis infinitè inferioribus Parentibus, puris hominibus, & creaturis &c. Non possum errare, sed securus, perfectéque ambulabo, si sequor Christum omnis perfectionis Magistrum: Qui sequitur me, dicit ipse *Joan. 8. v. 12.* non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Quin Pater cœlestis summum beneplacitum habet, si Filium ipsius imitor: prout ipse testatur *Matth. 17. v. 5.* Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. „

29. *Qualem Effectum* ex hac obedientia habuit Christus? „ Executionem voluntatis, & beneplaciti Patris sui cœlestis, ejúsque gloriam, & honorem. Quod solum eidem plenè sufficiebat, utpote qui facere voluntatem, & beneplacitum Patris, ejúsque ad extra promovere, & augere gloriam, pro fine suo principali, & centro habebat. Obtinuit insuper ex sua obedientia ingens meritum, & præmium æternum, simúlque Nomen, quod est super omne Nomen, utì enim dicit Scriptura: Christus factus est obediens usque ad mortem. *ad Philipp. 2. v. 8. & seqq.* Audi effectus: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Magna profectò vis, & virtus obedientiæ, de qua etiam Scriptura Sacra dicit *1. Reg. 15. v. 22.* Melior est obedientia, quàm Victimæ. Habuit insuper redemptionem, & instructionem nostram &c.

30. Tandem ut eruatur fru-

ctus, voluntas hoc aut simili modô pergere potest: „ Qualiter autem tu hucusque in hoc puncto secutus es exemplum Christi? qualiter Superioribus tuis obedisti? qualiter deinceps obedies? &c.„ Vel potest ipsum Christum alloqui, verbáque cordis ad ipsum dirigere, cogitandô v.g.„Sed qualiter te,tuúmque exemplum, ô bone,obedientissime JEsu fui secutus? qualiter obedivi meis, tuum locum tenentibus Superioribus? Heu confundor, & pudet me recordari, vel memorari; fateri enim cogor, quòd plerumq; imperfectè &c.persæpe omnino non obediverim &c.„

31. Sequuntur dein affectus, bonáque proposita, quomodo imposterum obedire, & Christum imitari velis; de quibus §. *sequenti.* Solùm interea notandum, bonos affectus, virtutúmque actus, & bona proposita posse pro cujuslibet, vel duarum, aut plurium circumstantiarum considerationem elici, prout scilicet, & quando movetur ad illos voluntas, ut proin necesse non sit hos differre, donec omnes fuerint expensæ circumstantiæ; minùs necesse est, omnes considerare, ùt magis dicetur inferiùs.

32. Quæritur III. Quomodo Materia de aliqua virtute utiliter debeat considerari? Resp. De virtute aliqua si fit Meditatio, inprimis Memoria brevissimè proponit illam, solùm cogitandô v. g. *Considerandum ergo modò, & meditandum est de virtute Temperantia &c.* Dein intellectus statim supervenit, eámque pacatè, & quietè, attentè tamen considerat, & seriò expendit, quod faciliter, & utiliter facere potest, si sequentia quinque de illa considerat.

33. I. Ejus *naturam* & *essentiam*, nec non partes illius, seu quid sit; vel in quo consistat, & quot, quales partes, & gradus habeat; item, quis finis illius.

34. II. *Proprietates* illius, videlicet præstantiam, necessitatem, utilitatem, meritum, efficaciam, & effectum, difficultatem, & facilitatem illius.

35. III. Potest etiam considerari *vitium oppositum* tali virtuti.

36. IV. *Exempla* eorum, qui talem virtutem specialiter coluerunt; qualem inde utilitatem, & effectum habuerint: econtra exempla eorum, qui eam non habuerunt: item *damna*, & malos effectus, qui eis propterea obvenerunt.

37. V.

37. V. Qualiter tu in hac virtute te habeas, & imposterum habere velis: quod apud cujusvis circumstantiæ considerationem etiam considerari potest.

38. Rem videamus breviter in aliquo exemplo e. g. si quis vult considerare de virtute abstinentiæ, & sobrietatis. Talis præmissa præparatione per memoriam inprimis proponit materiam, dicendô v. g. *Considerandum ergo modo, & meditandum est de virtute abstinentiæ, & sobrietatis.* Dein intellectus statim incipit primò ejus naturam considerare, cogitandô v. g. „ Quid est, vel in quo consistit abstinentia? Est virtus temperans, seu refrænans inordinatum appetitum, & usum cibi, & potûs: abstinens ergo, & sobrius est, sobrietatémque, & abstinentiam habet, qui ordinatè, temperanter, & moderatè utitur cibo, & potu. In quo autem consistit iste ordinatus usus? In quinque, vulgari illo versiculo comprehensis, ne videlicet quis comedat „

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, Studiosè.

39. *Præproperè* comedit, & bibit, qui ante, vel extra tempus solitum, aut conveniens id facit.

Lautè verò, qui cibos nimis delicatos, pretiosos, & exquisitos ordinariè vult comedere.

Nimis, qui plus, quàm naturæ necessarium, aut utile est, comedit, & bibit.

Ardenter verò, qui nimis avidè comedit, vel bibit, soli, aut plùs attendens gustui, & voluptati, quàm necessitati naturæ, aut fini supernaturali.

Studiosè tandem, qui quærit cibos nimis accuratè præparatos.

„ Videamus nunc anima, quàm rationabiliter, necessariò, & utiliter præfata prohibeantur per virtutem abstinentiæ, ac sobrietatis: & consideremus nunc, quàm bene prohibeat, ne comedatur nimis. „

40. „ Qui nimis, seu plus comedit, vel bibit, quàm naturæ necessarium, aut conducens est, nocet sibi ipsi in bonis fortunæ, famæ, corporis, vitæ, & animæ. In bonis fortunæ nocet; quia illa minuit, hoc ipso, quòd pluribûs expensîs comparari debeat illud nimis, & superfluum. „

41. „ In bonis famæ nocet; quia, qui nimis comedere, & bibere solet, virtute abstinentiæ & sobrietatis se carere, & gulæ sub-

jacere manifestè ostendit, indéque præsumptionem contra se habet, quòd videlicet nil, aut parùm de veris, solidísque virtutibus habeat; econtra verò pluribûs, si non gravibûs, saltem levibûs vitiis, & imperfectionibûs scateat; quia SS. Patres unanimiter conclamant, impossibile esse, quòd virtutes acquirere, & implantare, vel vitia vitare, & extirpare, vel ad perfectionem aliquam pervenire valeat ille, qui gulæ subjacet, & in cibo, & potu nimius est: ut proin nulla bona de guloso possit esse fama, & æstimatio; adeò, ut etiam priùs habitam de aliquo optimam famam, & æstimationem homines dimittant, quamprimum talem gulosum videant, & rescíant &c. Vide N.N. quid agas, dum nimiô cibô, & potu famam, quæ in plurimis necessaria est, tam turpiter perdis? „

42. „ In bonis corporis nocet; quia & unanimî Medicorum testimoniô, & quotidianâ experientiâ teste ferè omnes corporis nostri infirmitates, & morbi à potiori, & plerumque ab excessu in cibo, & potu proveniunt, certùmque est, quòd quolibet etiam minori cibi, aut potûs excessu, corpori & naturæ aliquantùm, successivè tamen plurimùm noceamus, & infirmitates contrahamus; prout clarè etiam indicat Spiritus S. *Eccli. 37. v. 33. In multis escis erit infirmitas.*

„ Attende ergo anima mea, ne nimis comedendô, & bibendô sanitatem, & talenta naturæ destruas, variásque corporis infirmitates contrahas, & inde inhabilem, aut certè minùs aptum te reddas ad ea, ad quæ vocatus es. Durum tibi aliquando erit coram tribunali Divino, si proportionatum talentorum tibi à DEO datorum lucrum exhibere non vales, & locò illius: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum, fateri, & dicere debebis: Domine talenta quidem dedisti mihi, sed iis nil, vel parùm lucratus sum; quia nimiô cibô, & potu illa brevì destruxi, vel ad condignè operandum minùs apta reddidi. „

43. „ In bonis vitæ nocet; quia hanc abbreviat, hoc ipso, quòd varias corporis infirmitates, & cum his prœmaturam mortem conciliet. „

44. „ In bonis animæ nocet non tantùm; quia toties, quoties

ties nimis quis comedit, & bibit, peccatum saltem leve, & hujus pessimos effectus, ac damna supra enarrata incurrit, sed insuper non rarò integram aliam peccatorum catenam secum trahit; qui enim nimis comedit, & bibit, plerumque etiam superfluè, & otiosè, vel ineptè, contentiosè, vel contra charitatem, aut aliam virtutem loquitur. Insuper corpus gravat, seipsum pigrum, somnolentum, & ad vocationis, statúsque munera ineptum, seu minùs aptum reddit; ita, ut ea vel omnino negligat, vel negligenter, & imperfectè peragat, tempus perdat, otium quærat, & per otium periculis ordinariè adhærentium peccatorum se exponat; fomitem præbente corpore alimentis nimiùm repleto. Ecce! quàm mala, & animæ damnosa sequela ex nimio cibo, & potu! Meritò profectò dicunt Sancti Patres gulam esse fontem, & radicem omnium peccatorum. „

45. „ Nocet insuper animæ, quia charitatem, devotionem, & fervorem extinguit, lumináque, gratias, & inspirationes Divinas impedit, ex quorum defectu homo necessariò semper in pejus ruit. Tremenda sanè sunt exempla, non tantùm libris inserta, sed oculis quotidie oberrantia, ex quibus apertè videmus, in quot, & quanta corporis, & animæ mala excessus in cibo, & potu homines projecerit, & continuò etiamnum projiciat. „

46. „ Et quomodo tu circa hanc virtutem te geris? ô quoties contra egisti? quoties plus, quàm naturæ necesse, aut conducens erat, comedisti, aut bibisti? & quot, ac quanta inde damna contraxisti? quot propterea peccata commisisti? Nónne hæc N. N. aut illud N. N. occasione superflui cibi, aut potûs evenit? &c. „

47. „ Quid est ergo, ô anima mea! in superfluo illo cibi, & potûs usu, ob quod tot, & tanta famæ, corporis, & animæ damna incurrere, tantorum bonorum jacturam facere non dubitas? Nil est, quàm una modica sensualis, & bestialis voluptas, quæ brevissimè (tam diu videlicet præcisè, quàm diu cibus, & potus in ore, & gutture est) durat, postea verò corpus gravat, affligit, ipsúmque majori, & licita etiam corporali, & sensuali voluptate (qua corpus non nimiùm

miùm repletum semper fruitur) privat, simúlque facit, quòd easdem, quas tantopere appetit, oblectationes minùs percipere valeat, hoc ipso, quòd, qui sæpe in cibo, & potu excedit, citiùs moriatur, consequenter illam, quam ex comestione percipit, voluptatem etiam licitam, tam diu, ac temperanter vivens percipere non valeat; ac insuper quamdiu vivit, eâdem nec in tanto gradu, nec tam sæpe frui valeat; utpote qui ob infirmitates varias, quas per excessum contrahit, jam ab isto, jam ab illo cibo, & potu, consiliô Medici abstinere, & locò illorum amaris medicinis se cruciare, variósque dolores sustinere debet. ô grandem stultitiam! „

48. „ Vísne anima mea! ulteriùs ita malitiosè, & perniciosè stultescere? vel vis aliquando sapere? profectò debes fortiter, & efficaciter resolvere, quòd abstinentiam, & sobrietatem colere, & ab excessu in cibo, & potu cavere velis, aut certè fateri debes, quòd nec peccata, nec pericula eorum vitare, nec ad virtutem, vel perfectionem tendere velis. Sed quid moror, aut diu disputo? Utique Domine Deus, nolo ampliùs ita insanire, volo sapere, & me emendare. „

49. Sequuntur boni affectus, & virtutum actus v. g. Admirationis de commissa hactenus stultitia, & malitia; Doloris, & Contritionis ob eam; Detestationis ejusdem; Petitionis veniæ &c. Ecce, quomodo etiam unica circumstantia in virtute, tam faciliter, & utiliter considerari valeat!

50. Quæritur IV. Quomodo Vitium aliquod expendi possit, vel debeat? Resp. Si vitium aliquod pro Meditatione assumitur, inprimis Memoria illud brevissimè proponit, dein intellectus de illo faciliter, & utiliter considerare, & expendere potest

51. I. *Naturam*, seu *essentiam* illius Vitii, seu in quo consistat, quas partes, & gradus habeat.

52. II. Illius *proprietates*, turpitudinem nempe, malitiam, stultitiam &c. item offensam, & injuriam, quæ irrogatur Deo per tale vitium.

53. III. *Damna*, & *malos effectus* ipsius, quæ in corpore & anima temporalibus, & spiritualibus, directè, vel indirectè ex ipso sequuntur.

54. IV.

54. IV. *Causam*, & *radicem* hujus vitii, unde oritur.

55. V. *Exempla* prava eorum, qui huic vitio dediti erant.

56. VI. Potest etiam considerari *virtus opposita*.

57. VII. Qualiter in eo reus existat; qualiter item, & *quibus mediis* illud vitare, & extirpare velit.

58. Exemplum specificum adducere brevitatis causâ omittimus, præsertim; quia Vitium eodem ferè modo consideratur, quo Virtus, exceptô, quòd locò præstantiæ, utilitatis, necessitatis, æquitatis &c. quæ in virtute considerantur, expendantur in vitio econtra ejusdem turpitudo, malitia, stultitia, damna, offensa Dei &c. quamvìs etiam virtus opposita, indéque ejus proprietates occasione vitii considerari valeant juxta dicta.

59. Quæritur V. Quomodo denique Sententia, Textus, Doctrina aut Principium fidei, vel morum perpendi possit? Resp. Memoria inprimis brevissimè proponit Sententiam, vel Textum, aut Doctrinam &c. v. g. *considerandа ergo, & meditanda nunc verba Evangelii Matth. 16. v. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Dein intellectus statim considerare, & expendere incipit, quod utiliter, & faciliter facere potest, si sequentia considerat.

60. I. *Personam*, quæ hoc dixit, seu hanc Doctrinam dedit; an nempe sit Divina, vel humana.

61. II. *Sensum* talis Textûs; aut doctrinæ, quid secundùm omnia quasi verba significet, quid velit dicere, & quò tendat?

62. III. *Proprietates* illius, æquitatem v. g. veritatem, utilitatem, necessitatem; item, quàm conformis sit rationi &c.

63. IV. *Exempla, fructus*, & *effectus* illorum, qui talem doctrinam secuti sunt; econtra exempla, & *damna* illorum, qui eam secuti non sunt.

64. V. Quomodo tu hactenus eam in praxi secutus fueris? & quomodo imposterum sequi velis, ac debeas?

65. Res clariùs patebit ex brevi supra dictæ sententiæ consideratione. Præmissa præparatione, Memoria brevissimè proponit Materiam, seu Textum v. g. *Si quis vult venire post me, abneget*

neget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Dein intellectus illico considerare incipit cogitandô v. g. I. Quis hoc dicit? „ Christus JEsus, homo, & Deus simul, æterna Veritas, quæ nec fallere, nec falli potest &c. „

66. II. Sed quid significant hæc verba? quid illis vult dicere Christus? qui vult venire post me &c.? „ Vult dicere, qui in hoc mundo adhuc vult me sequi, ac vivere juxta meam doctrinam, & exemplum, finitáque hac vita illuc venire, quò ego perveni, videlicet ad æternam gloriam cœlestem, abneget semetipsum: sed quid est, abneget semetipsum? non sequatur, sed abneget, & mortificet suam perversam naturam, suum amorem proprium, propriámque voluntatem, suas inordinatas passiones; hæ enim omnes contrariæ sunt sequelæ Christi, vitæ, & doctrinæ ejus; ita, ut, qui hanc sequi vult, illas continuò abnegare, & mortificare, ac illis vim inferre necessariò debeat. Unde dixit Apostolus *ad Rom. c. 7. v. 19.* Non quod volo, hoc facio, sed quod nolo, hoc ago, Id est, non illud facio, quod arridet, & placet meæ perversæ naturæ, seu quod vult, desiderat, & cupit mea propria voluntas, aut inordinatæ passiones, sed quod his contrarium est, ac eis displicet, quia ita vult Deus, & placet Deo; qui propterea dicit: sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. *Gen. 4. v. 7.*

67. III. „ Cogita, quàm æquè utilis, & necessaria sit hæc doctrina Christi, ut abnegemus nos; cùm enim per peccatum Adæ natura nostra totaliter sit corrupta, & perversa, ita, ut omnes illius inclinationes, passiones, & desideria tendant ad malum, & aversentur bonum, utique summè rationabile est, ut abnegemus nos, & non sequamur bestiales, & inordinatas nostras, non nisi ad nostram, & aliorum malum, Deíque offensam tendentes passiones, & inclinationes. „

68. „ Summè etiam utilis est. Enimvero si abnegamus nosmetipsos, si non ambulamus secundùm malas nostras passiones, & inordinata naturæ nostræ perversæ desideria, sed eis resistentes, eásque mortificantes vivimus juxta rationem, legémque, & voluntatem Divinam, certè omnia

omnia bona corporis, & animæ, famæ, & fortunæ à DEO, & hominibus, hîc & ibi obvenient. „

69. „ Econtra, si non abnegamus nos, si secundùm carnem, & inordinata desideria ambulamus, si inordinatis passionibus habenas laxamus, omnia mala super nos venient, à Deo, & hominibus odiô habebimur, hîc, & ibi infelices futuri. Solam consideremus inordinatam inclinationem, seu appetitum excellentiæ, seu superbiam, nónne propter eam quis Deo, & hominibus odibilis? nónne superbia radix omnis peccati? „

70. „ Ut proin etiam summè necessarium, ac etiam obligatorium sit, abnegare nosmetipsos, ni velimus Deum, & proximum continuò offendere, omne malum corporis, & animæ, famæ, & fortunæ incurrere, quin & æternùm perire; certum siquidem est, quod S. Paulus dicit *ad Rom. c. 8. v. 13.* Si secundùm carnem (id est, carnalia desideria, & naturæ inordinatas passiones) vixeritis, moriemini. „

71. „ Considera anima mea! exempla eorum, qui semetipsos, & passiones suas abnegaverunt, ac econtra illorum, qui secundùm passiones & desideria cordis sui ambulârunt, & inveniemus, quantas omnes generis utilitates & fructus illi, econtra quanta damna contraxerint isti. Quare statim ab initio mundi, Cain fratricidium commisit, indéque per totam vitam infelix, & profugus fuit? nunquid, quia non abnegavit semetipsum, sed malam suam passionem secutus est? Econtra ô quàm felices, quàm beati, quàm quieti illi, qui semetipsos abnegandô, se, suásque passiones mortificandô, juxta rationem, voluntatémque Divinam ambulàrunt &c. „

72. „ Nec tam difficile, & odiosum, quàm facile, & jucundum est, abnegare semetipsum; quamvìs enim aliqua difficultas sit resistere passioni, eámque mortificare, dum actu insurgit, attamen mox, ac superata est, sequitur ingens consolatio, quies, aliáque temporalia, & spiritualia bona, imò quædam æternùm durantia; ut proin rectè dixerit Christus *Matth. 11. v. 30.* Jugum meum suave est, & onus meum leve. & David Propheta *Psalm. 118.* Leges, & mandata Dei, (abnegationem nostri præcipientia)

entia) esse jucunda, desiderabilia super aurum, & topazion, dulciora super mel, & favum. Dum econtra ij, si se non abnegando passiones inordinatas sequuntur, quasi momentaneam tantùm, eámque falsam solummodo sentiunt delectationem, & lætitiam, quæ statim post se trahit animi amaritudinem, afflictionem, & conscientiæ remorsum, aliáque corporis, & animæ temporalia, & spiritualia mala, diu, & subinde perpetuò durantia: quod bene advertens S. P. Franciscus inter aurea monita posuit: Voluptas brevis, pœna perpetua; modica passio (id est, tolerantia, & difficultas in abnegando semetipso) gloria infinita.„

73. „Vide nunc anima mea! qualiter hucusque sanctissimam hanc, æquissimam, utilem, necessariam, & facilem doctrinam Christi sis secuta? qualiter te abnegaveris? qualiter passionibus inordinatis restiteris? vel obsecuta fueris? & quid imposterum faciendum &c.„

74. Similiter possent dein alia dictæ sententiæ, seu doctrinæ verba expendi, videlicet: *Et tollat crucem suam quotidie.* item illa: *Et sequatur me:* utpote de quibus non minùs, ac de primis considerari potest, quàm conformia sint æquitati, & rationi; quàm utilia, quàm necessaria, quàm facilia &c. & tandem videri, qualiter ea observaverimus, & qualiter imposterum observare velimus, & debeamus.

75. Quæritur VI. Quænam circa debitam considerationem cujuscunque materiæ, & circumstantiarum ejus præcipuè observanda sint? Resp. Sequentia potissimùm esse observanda. I. Ut consideratio, qua intellectus materiam propositam expendit, fiat quietè, & pacatè, tranquillè, & suaviter, id est, ut non fiat nimis vehementi cum conatu, & quasi coactione, nimiáve intensione; item ut non fiat nimis anxiè, & scrupulosè cum reflexione ad regulas meditandi.

76. Errant proin, qui intellectum, præsertim ab initio statim nimis intendunt, & cum aliqua quasi impetuositate considerationem incipiunt; tales enim caput, & pectus lædunt, vires exhauriunt, & tamen nil, vel parùm efficiunt, sed potiùs inhabiles se reddunt ad præsentem, & alias meditationes

tationes rectè, fructuoséque peragendas; ex quo dein æstimationem, & affectum erga meditationem perdunt, econtra horrorem erga illam concipiunt, indéque illam, ubi possunt, declinant, non sinè maximo profectûs spiritualis detrimento, ac præjudicio.

77. Errant præterea magìs, & omnino ineptè agunt, eadémque in absurda deveniunt, qui considerare materiam incipiunt, vel continuant cum nimia non tantùm intellectûs, sed cordis etiam, & animi intensione, ita, ut ipsam etiam considerationem (quæ tamen in meris actibus intellectûs consistit) sensibili statim cum devotione, aut commotione facere, vel hanc in illis habere conentur. Grandis ineptia; cùm intellectus suos actus, & operationes, (qualis est consideratio) non producat cum commotione, affectu, aut devotione sensibili, sed tantùm sit medium ad movendum voluntatem, & animum, ut iste actus, & affectus suos sensibili aliqua cum devotione producere subinde valeat; quamvìs hæc devotio sensibilis nunquam sit necessaria, licèt, si adest aliquando, etiam intellectum, & actus illius afficere videatur.

78. Errant insuper, qui vel ex superflua anxietate, vel nescio qua alia ratione, & reflexione plùs attendunt, ut rectè, & juxta regulas meditentur, quàm ut seriò in meditatione procedant. Oportet quidem præsertim ab initio, & donec debitè meditandi acquiratur habitus, nonnunquam (tranquillè tamen) attendere, ut juxta præcipuas regulas procedamus, &, si in aliquo errore nos versari deprehendimus, ab illo pacatè desistamus; hoc tamen absque omni anxietate, & distractiva reflexione facere debemus. Tempus siquidem cogitandi, an rectè meditemur, vel meditati simus, opportunum ante, & post meditationem est: tunc enim nos bene examinare omnino possumus, & debemus, an in Meditationibus nostris bene procedamus, errorémque, si quem invenimus, corrigere.

79. Verùm hic ultimus error cum tempore, & per gratiam Dei ex seipso penitus evanescit, cùm teste experientia illi, qui in Meditationis exercitio aliquamdiu jam sunt fundati, & practi-

cati, sinè ulla reflexione ad regulas seriò, & attentè considerent consideranda, affectúsque, actus; & bona proposita eliciant.

80. Observandum II. Quòd considerationem materiæ tranquillè quidem & pacatè, non tamen languidè, negligenter, & tepidè, sed simul cum sedula aliqua, & seria intellectûs applicatione facere debeamus, ita, ut non sit nimis intensa, nec nimis remissa, pacata quidem, sed non sinè vigore; tranquilla, sed non sinè vivacitate.

81. Errant contra hoc, qui penitus nullum, vel vix aliquem conatum expendendi meditationis materiam secundùm circumstantias, & alia, adhibentes, nec ullam curam desuper habentes, quasi stupidi, vel otiosi exspectant, donec fortuitò illis aliquid incidat.

82. Errant adhuc magis, qui nullum, vel quasi nullum conatum, aut diligentiam adhibent coërcendi, aut cohibendi intellectum, dum ad inconvenientia, etiam vana, vel profana distrahitur.

83. Observandum III. Nullatenus esse necesse, ut omnes & singulæ circumstantiæ, secundùm quas quælibet ex quatuor supra *Num. 18.* allegatis materiis considerari, ac expendi potest, in una Meditatione considerandæ assumantur, sed sufficere, si secundùm unam, vel alteram, vel per tot expendatur, donec voluntas ad bonos affectus, & actus rationabiliter, & sensibiliter moveatur; bene enim fieri potest, ut subinde voluntas ex consideratione unius circumstantiæ v. g. utilitatis, quæ ex aliqua virtute sequitur, ita moveatur ad bonos affectus, & actus, ut in his totum reliquum Meditationis tempus sinè ulteriori consideratione sanctè transigat.

84. Observandum IV. Quòd in cujuslibet materiæ consideratione abstinere debeamus à curiosis, & inutilibus; ac econtra illas præ aliis considerare circumstantias, quæ magis movent, magísque serviunt ad intentum Meditationis finem, & fructum: quales in materia historiam; aut factum continente plerumque sunt circumstantiæ *quis? quomodo? cur?* In virtute, *præstantia,*

tia, Divinum beneplacitum, utilitas & necessitas. In vitio, *offensa Dei, periculum animæ,* & *alia damna.* In sententia vel doctrina Fidei, aut morum: *verus sensus,* seu *intellectus,* ejúsque *æquitas, utilitas,* & *necessitas.* Esse tamen bene potest, quòd subinde aliæ magìs moveant alios, qui proin eis se accommodent.

85. Observandum V. Quòd intellectus, dum materiam, vel circumstantias illius expendit, & considerat, non obiter tantùm, & superficialiter id faciat, & nescio quibûs levibûs cogitationibûs materiam tantùm percurrat, sed id, quod considerat, bene penetrandi, & sufficienter cognoscendi diligentiam, & conatum aliquem adhibeat, eíque aliquamdiu insistat. Nam, ùt bene advertit S. Bernardus *de Scala claustrali, c. 2. Sedula Meditatio non remanet extra, non hæret in superficie, ulteriùs pedem figit, interiora penetrat, singula rimatur, attentè considerat &c.*

86. Errant proin, qui obiter, & superficialiter tantùm considerandô materiam percurrunt, vel inconstanter hinc inde vagantur, & quasi saltant, nec unquam alicui rei bene considerandæ, & cognoscendæ insistunt. Ex hoc enim errore provenit, quòd, cùm intellectus materiam obiter tantùm consideret, & quasi transeunter aspiciat, nec sufficientem, nec circumstantionatam cognitionem illius acquirat, nec rationes, vel motiva, quibûs ad bonos affectus, & actus moveatur voluntas, inveniat, consequenter Meditatio sinè optato fructu transeat.

87. Observandum VI. Quòd, licèt juxta dicta materiam non obiter, sed exactè considerare oporteat, tamen in consideranda, & expendenda materia non nimiùm nos detinere, sed potissimum tempus Meditationis consumere debeamus in bonis affectibus, virtutum actibus, & bonis propositis, utpote in quibus juxta dicta, & dicenda adhuc, principalis, & maximus consistit fructus, ad quem consequendum consideratio tanquam medium assumitur.

88. Observandum VII. Quòd, si ex consideratione unius circumstantiæ sufficienter movetur voluntas ad unum, vel plures bonos affectus, actus, & proposita, eis statim inhærendum, & tamdiu eisdem immorari consul-

fultum fit, quamdiu devotio, & guftus faltem rationabilis in illis durat. Neque curandum, aut cogitandum, quòd plura adhuc reftent puncta, ac circumftantiæ confiderandæ; fi enim ex confideratione unius, vel alterius obtinetur, & habetur principalis finis, & fructus (qui in præfatis bonis voluntatis actibus confiftit) non eft neceffe, ulteriorem confiderationem tanquam medium pro dicto fine obtinendo ampliùs adhibere, prout fupra *Num. 13.* annotatum jam habetur, & hîc repetere operæ pretium fuit. Si tamen devotio, & guftus circa memoratos bonos affectus, & actus ceffat, confideratio ulteriùs iterum reaffumenda eft, donec rurfus ad tales vel alios bonos voluntatis affectus, actus, ac propofita voluntas moveatur.

89. Obfervandum VIII. Poffe bonos affectus, & actus voluntatis, bonáque propofita elici, vel poft confiderationem cujuslibet circumftantiæ, vel poffe priùs materiam fecundùm plures circumftantias confiderari, & tunc primùm convenientes bonos affectus, & actus elici, prout nempe, & quando movetur voluntas, & animus, vel Spiritus Sanctus dirigit.

90. Pariter poteft circumftantia, qua confideramus, *qualiter in hoc, vel illo nos habuerimus, & impofterum habere velimus*, poft cujuslibet circumftantiæ, aut primùm poft plurium confiderationem affumi; folummodo notandum, quòd, quandocunque hæc circumftantia confideratur, hoc ipfo etiam bonos voluntatis affectus proportionatè elicere debeamus.

91. Obfervandum IX. Quòd, dum quis intellectu materiam confiderandô expendit, difcurfum fuum internum, vel cogitationes poffit dirigere vel ad DEUM, quafi cum ipfo loqueretur, aut ipfum alloqueretur; vel ad feipfum, aut animam fuam, quafi fecum loqueretur, séque alloqueretur; proin jam hoc, jam illo modo uti, prout nempe movetur; aut materia occafionem præbet, vel devotio, aut Spiritus Sanctus dirigit, ita, ut plena in hoc libertas fit.

92. Dicetis forfan, ex dictis facilitari quidem confiderationem materiæ; attamen omnem difficultatem nondum tolli, eò quòd in confiderationibus pro exem-

exemplo supra adductis inveniantur nonnulla, quæ juvenes Religiosi adhuc ignorant, consequenter considerationem ita faciliter facere non possint. Verùm

93. Ad hanc objectionem Resp. I. Verum quidem esse, quòd illi, qui ex lectione spirituali, & in spiritu magis versati rerum spiritualium majorem notitiam, plurésque, & copiosiores de illis species habent, atque in Ascesi, & praxi meditandi jam sunt experti, & practicati, majorem quàm incipientes facilitatem habeant, & consequenter hi comparativè, & respectu illorum aliquam meditandi difficultatem habere meritò dici possint: absolutè tamen loquendô non difficile, sed facile est meditari, ob hactenus dicta, præsertim, si quævis materia secundùm suas circumstantias supra *Num. 19.* allegatas vel saltem secundùm unam aut alteram, quæ juveni Religioso pro modulo suo facilior captu est, consideretur. Probate Charissimi! & sumat quivis pro libitu aliquam materiam obviam ex quatuor assignatis, tentetque, & videat, an non possit illam secundùm unam saltem, vel alteram circumstantiam faciliter, & utiliter considerare, ac expendere. Et certè experientiâ convictus fatebitur quivis vestrûm, id fieri faciliter posse.

94. Resp. II. Pro consolatione vestra certissimum esse, quòd, etsi ab initio aliquam respectivè difficultatem in meditando habeatis, eam cum tempore amissuri, & econtra majorem facilitatem successivè sitis habituri, postquam ex lectione, instructione spirituali & praxi majorem notitiam, & eruditionem rerum spiritualium, simúlque habitum meditandi, aliorúmque exercitiorum spiritualium acquisiveritis: præsertim, quia juxta unanimem Ascetarum perfecta ratio meditandi magìs per praxin, & experientiam, quàm per humanam instructionem addiscitur; dummodo quis ex parte sua nil negligat, sed quantùm est in se, quietè, pacatè & humiliter faciat, simúlque, quod usu, & in exercitio præsertim ab initio quodammodo difficile, & molestum accidit, patienter propter DEUM sustineat, sícque faciendô, & patiendô gratiam, & auxilium obtineat; sinè quo cona-

conatus noster in hoc sancto exercitio frustraneus est.

95. Enimvero debitè & utiliter meditari, non tam ars, quæ studiô, ac labore addiscitur, quàm donum Dei, & Spiritûs Sancti est, quod ille non torpentibus, & negligentibus, sed laborantibus, & quod in se est, facientibus, ac pro illo humiliter, fiducialiter, & perseveranter orantibus benignissimè impertitur, & quidem non uno, sed diverso modo: ut proin, si quis vestrûm per praxin, & experientiam, Sanctíque Spiritûs illustrationem alium modum, & methodum meditandi utilem sibi, & proficuum, deprehendit, liberè illum, ductúmque Spiritûs Sancti sequatur. Præsertim, quia doctrinæ de modo rectè meditandi hucusque traditæ potiùs piæ, & utiles quædam observantiæ, à sanctis, perfectis, & practicis animabus mutuatæ, quàm infallibiles Regulæ cum scrupulosa, vel anxia super illis reflexione strictè observandæ sunt, ut proin per illas præcisè intendamus, errores præcavere, exercitiúmque Meditationis facilitare, & adjuvare, minimè verò Spiritus Sancti ductum impedire.

§. III.

De tertia Meditationis parte, Productione videlicet bonorum affectuum, & propositorum.

96. Quæritur I. In quo consistat, & quantum importet Productio bonorum affectuum, virtutis actuum, & propositorum? Resp. I. Hæc Pars consistit in hoc, ut, postquam intellectus materiam, vel punctum aliquod, partémve illius pacatè, & quietè, simúlque seriò, & attentè consideravit, ac circumstantionatè expendit, voluntas inde rationabiliter mota, vel persuasa convenientes bonos affectus, virtutum actus, & proposita, pro diversitate materiæ, & cognitionis habitæ, gratiæ, & illustrationis Divinæ eliciat; quod semper facile erit, hoc ipso, quia naturale, & quasi necessarium est, ut, quando intellectus

lectus rem aliquam exactiùs considerat, & cognoscit, voluntas ad affectus, & actus pro diversitate cognitionis de re habitæ moveatur, accedente præsertim illustratione, & gratiâ Divinâ.

97. Resp. II. Principalis, potissimus, & quasi totus fructus meditationis consistit in hac productione bonorum affectuum, virtutis actuum, & bonorum præcipuè propositorum. Ratio est; quia, licèt etiam exacta memoria, claráque rerum cognitio, & impressio valde utilis sit, fructúmque magnum producat, attamen in hoc non consistit finis, & principalis fructus meditationis, sed potiùs duntaxat utile, vel necessarium medium est, ad fructum principalem consequendum; ideo enim considerandô conamur acquirere rerum exactam cognitionem, ut per hanc tanquam medium moveatur voluntas, & inducatur ad bonos affectus, & actus, bonáque proposita, quibûs ad sui emendationem, virtutum & perfectionis acquisitionem perveniat.

98. Quæritur II. Quinam, affectus, & virtutum actus, à voluntate elici possint, & debeant? Resp. I. Varios, & diversos, omnísque generis affectus bonos, actúsque virtutum elicere potest voluntas, pro diversitate nempe materiæ, & circumstantiarum, quæ considerantur, & Spiritûs Sancti illustratione, aut directione. Frequentiores esse solent sequentes affectus, & actus, videlicet, Admirationis, Compassionis, Amoris, Timoris, Gaudii spiritualis, Contritionis, & Doloris de peccatis, Humiliationis, Contemptûs, vel Odii proprii, Aversionis, & Odii erga peccata, Spei, & Fiduciæ, multiplicis boni Desiderii, Fervoris, Petitionis, Oblationis, Resignationis, & principaliter bonorum Propositorum, juxta paulo post dicenda *Num. 110.*

99. Resp. II. Non est necesse, in qualibet meditatione omnes istos bonos affectus, & virtutum actus, vel semper plures eorum elicere, sed sufficit, tot, & tales producere, ad quot, & quales pro diversitate materiæ, circumstantiarum consideratarum, & cognitarum, gratiæque Divinæ voluntas dirigitur, & movetur, etiamsi unus tantùm, aut duo essent. Enimvero bene esse potest, quòd ex considera-

tione materiæ voluntas ad unum, aut alium affectum, vel actum v. g. amoris, contritionis, resignationis, gratiarum actionis &c. ita moveatur, ut totum reliquum meditationis (concomitantibûs nonnullîs aliîs necessariò connexîs actibûs) utilissimè & fructuosissimè consumat, si nempe devotio, & gratia circa illum tamdiu durat.

100. Nam bene & repetitò notandum est, quòd, quamdiu devotio, gustus, & gratia circa unum bonum, Deóque magìs gratum, & nobis utilem affectum, aut virtûtis actum durat, eidem inhærendum sit, & immorandum, nec de ulteriori consideratione materiæ adhuc restantis, aut aliorum affectuum elicitione curandum; sufficiens enim, & sat magnus fructus ex meditatione habetur, si vel unus, aut alter hujusmodi bonus voluntatis affectus unà cum proportionato proposito eliciatur.

101. Quæritur III. Quando, & quomodo in praxi boni affectus elici debeant? Resp. I. Possunt elici, vel post cujuslibet circumstantiæ, vel post plurium circumstantiarum consideratio-nem; item in hac meditatione post unius, in alia post plurium circumstantiarum expensionem, prout nempe vel ex consideratione, vel Spiritûs Sancti gratiâ movetur, & dirigitur animus, ac voluntas, aut prout cuivis docente experientia magìs opportunum videtur, & utile. Sancta enim cuivis necessariò relinquitur libertas, hoc ipso, quòd non tantùm materiæ, & circumstantiæ illius, sed etiam ipsæ considerationes, sicut & gratiæ Divinæ, nec non dispositiones meditantium diversìs temporibûs sint diversæ.

102. Resp. II. Circa modum eliciendi præfatos bonos affectus, & actus, varia sunt observanda. *Primò*, quòd circa verba mentis, quibûs Deo colloquimur, seu circa cogitationes, quêis formaliter eliciuntur pii affectus, & virtutum actus, nil certi præscribi possit, sed sancta rursus relinquenda sit libertas, hoc ipso, quòd non tantùm diversi, sed unus, idémque homo quemlibet bonum affectum, & virtutis actum, sicut externìs, ita etiam internìs verbìs, seu cogitationibûs diversimodè formare, elicere, & exercere possit, ac soleat,

soleat, pro diversitate nempe considerationis materiæ, & circumstantiarum, quæ considerantur, aut cognoscuntur, & pro diversitate gratiæ Divinæ illuminantis, excitantis & adjuvantis, nec non pro diversitate dispositionis, quæ in meditante reperitur. Et certè passim patet tam ex libris, quàm propriâ experientiâ, quòd unus, idémque bonus affectus, & virtutis actus, amoris v. g. contritionis, resignationis &c. diversîs modîs, & verbîs elici valeat, & soleat.

103. Hinc nullas certas formulas hujusmodi affectuum, & actuum virtutis hîc vobis præscribimus, nec annectimus: tum ob rationes dictas: tum, quia numerus eorum nimis copiosus esset, & nimis prolixè excresceret: tum, quia eas passim in libris invenietis, ac etiam per decursum hujus Tractatus plures actus virtutum formatos habetis: tum, quia illi actus, qui ex proprio corde, mente, & animo, ac unctione Spiritûs Sancti procedunt, plerumque majori cum devotione, & fervore fiunt.

104. Illud tamen vobis consulimus Charissimi! ut hujusmodi affectuum, & actuum formulas in Meditationum, & aliis libris, attentè legere, præsertim in primis conversionis vestræ annis non omittatis; partim, ut videatis, & discatis, qualiter, & quàm diversimodè elici valeant: partim, ut meliores, ac perfectiores actus, & affectus, Deóque gratiores, & nobis magìs meritorios, ac consolatorios cognoscere, eósque elicere, & practicare noscatis.

105. Quæritur IV. An, quando, & quomodo in meditatione facienda sint bona proposita? Resp. I. Quamvìs juxta dicta in meditatione pii aliqui affectus, & virtutum actus necessariò elici debeant; attamen ad quamlibet meditationem utiliter, & fructuosè peragendam principaliter necessariò requiritur, ut in illa fiant bona, & efficacia proposita, seu bonæ resolutiones. Ratio est; quia, licèt præcipuus fructus meditationis (non enim hîc agimus de contemplatione) consistat in cunctis bonis voluntatis affectibus, actibus, & propositis, quæ in illa producuntur, attamen principalissimè, omnium maximè, ac ultimatè consistit in bonis, & efficacibus propositis; ultimatus enim finis medita-

ditationis est nostra emendatio, & progressus in virtutibus, perfectionéque Christiana, & Religiosa, ad quem finem utique omnium maximè juvant, & necessaria sunt bona, & efficacia proposita; nullus enim seriò se emendabit, nullus hoc, aut illud vitium constanter vitabit, hanc, aut illam virtutem in opere debitè exercebit, nullus passiones suas, prout oportet, mortificabit, & eradicabit, nullus ad debitam perfectionem sufficienter tendet, aut perveniet, nisi priùs bonam ad hæc, & efficacem voluntatem, seu propositum habeat, efficacitérque ad illa se resolvat. Principalissimè itaque instituitur Meditatio ad disponendam, & movendam voluntatem, ut ad præfata, & alia hujusmodi efficaciter se resolvat, seu bona, & efficacia proposita faciat, quòd velit se emendare, & progressum in virtutibus, ac perfectione facere, quòd hoc, vel illud omittere, quòd se in hoc, vel illo mortificare, sibi vim inferre, passionibus resistere, eas eradicare, virtutem hanc, vel illam implantare, necessariáque ad id media assumere; ut proin reliqui pii affectus & virtutum actus, qui à voluntate per considerationem mota eliciuntur, sint quodammodo subordinata media ad principalissimum hunc fructum efficacium propositorum consequendum ordinata. Hinc Charissimi!

106. Colligetis, illam meditationem plerumque esse meliorem, & utiliorem, in qua meliora, & efficaciora fiunt proposita: illam verò minùs bonam, minúsque utilem, in qua vel nulla, vel non nisi tepidè, & languidè proposita fuêre facta; licèt enim hujusmodi Meditatio non sit sinè omni fructu, cùm etiam per illam magna acquiri, & imprimi possit rerum utilis cognitio, & ex hac elici valeant, & eliciantur boni affectus, & interni actus virtutum, consequenter fructus aliquis, & subinde sat magnus jam habeatur; tamen, si bona, & efficacia proposita non junguntur, finis, & fructus principalissimus, & ultimatus, emendatio nempe nostra, & progressus in effectu ex illa nullus, aut modicus sequitur.

107. Resp. II. Circa modum utiliter, & rectè faciendi bona proposita, bene observare oportet *Primò*, non sufficere, quòd quis

quis firmiter faciat bona proposita in genere v. g. quòd velit se emendare, non ampliùs peccare, Deúmque non ampliùs offendere, quòd velit virtutibus studere, DEO perfectè servire &c. sed omnino requiri, ut quis quædam proponat, seu faciat proposita circa hoc, vel illud in specie; & particulari faciendum, omittendum; aut patiendum, ídque non tantùm circa virtutem, & vitium aliquod in specie, sed etiam circa illius modum, tempus, locum, aliásve circumstantias, ita, ut proposita sint quasi particularizata, & circumstantionata v. g. si quis meditatur de charitate fraterna, vel de alia materia, & occasione illius movetur, aut inducitur ad faciendum propositum observandi charitatem fraternam; expedit quidem, sed non sufficit in genere proponere; *Imposterum erga omnes debitam observabo charitatem, nec unquam aliquid faciam charitati fraternæ adversum*, sed debet insuper unum, vel plura facere proposita in particulari, observandi charitatem in hoc, vel illo puncto, exercendi hunc, vel illum actum charitatis, in hoc loco v. g. erga hanc personam, tali tempore &c.

108. *Secundò* observandum est circa proposita facienda, ut, dum fiunt, simul etiam, ubi necesse est, cogitetur de mediis necessariis, aut congruis, fiátque firma de iis applicandis resolutio, ac propositum; quia voluntas, aut propositum tale solùm inefficax, & quasi nullum est, si de mediis ad executionem necessariis non cogitatur; vel si hæc non adhibentur. Plerumque autem necesse, aut valde utile est, proponere, & resolvere, quòd quis attendere, & vigilare, sibíque, & passionibus suis, perversæque naturæ vim inferre velit, ut, quæ proposuit, fiant, aut ne contra illa agendô quid fiat; quia, cùm ferme omne bonum naturæ nostræ perversæ, ejúsque inordinatis passionibus, & inclinationibus contrarium, malum verò eisdem gratum, & acceptum plerumque existat, omnino requiritur, præsertim primìs conversionis annìs, vigilantiam, & vim tanquam necessaria, & optima media adhibere ad proposita nostra executioni mandanda.

109. *Tertiò* observandum, sæpe val-

valde conducere, ut in faciendis particularibus propositis audiatur etiam sensualitas, & perversa natura nostra, quid habeat contra: an, quare & quàm grave seu difficile sibi cadat? tum, ut rationibûs, & motivîs contrariis convincatur: tum, ut ad difficultates nos magis præparare, firmare, & ad eas superandas generosè resolvere, indéque faciliùs subjugare possimus; *Jacula enim prævisa minùs feriunt:* tum, ut cognita difficultate, & resistentia naturæ, resolutio fiat efficacior, DEO gratior & nobis utilior.

110. *Quartò* observandum, ut proposita, quæ facimus, seria, firma, efficacia, non verò tepida, languida, aut ex sola consuetudine fiant. Hujusmodi enim proposita nil valent, & verificatur de illis notorium illud S. Bernardi effatum: Infernus plenus est bona voluntate, seu bonîs propositîs. Econtra inter firma, & seria proposita bene numeranda sunt illa Davidis *Psalm. 118. v. 106. Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Psalm. 76. v. 11. Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi &c.*

111. *Quintò* observandum, ut proposita bene imprimantur memoriæ, quatenus hæc tempore occasionis, aut tentationis illorum utiliter recordetur. Ad quem finem juvat, assumere convenientem aliquam sententiam, vel principium practicum, tanquam tesseram, illámque per diem nonnunqum repetere, quatenus per illam memores reddamur eorum, quæ in meditatione cognovimus, & resolvimus.

112. *Sextò* tandem observandum, ut, quantumvìs firma eliciamus proposita de realiqua, & mediis ad eam necessariis, id tamen cum summa in nos diffidentia, & sola confidentia in Deum, ejúsque auxilium, & gratiam faciamus; ac propterea pro eadem illum humillimè, & confidenter invocemus, quatenus id, quod in nobis operari dignatus est, confirmet, & gratiam exequendi tribuat. Hæc siquidem tria, videlicet sui diffidentia, confidentia in Deum, & oratio, seu invocatio gratiæ, seu auxilii Divini, ad omnia, præsertim ad proposita firmanda, & exequenda summè necessaria sunt.

113. Quæ-

113. Quæritur V. Quomodo concludi debeat Meditatio? Ante Responsionem notandum, plures conclusionem meditationis pro quarta meditationis parte statuere, eámque *Colloquium* nominare. Verùm, quia dicta conclusio consistit ex solis voluntatis, & virtutum actibus, utì statim dicetur, hinc, ne absque necessitate multiplicentur entia, & ex pluralitate partium caveatur apprehensio majoris difficultatis, illam ad tertiam meditationis partem, utpote quæ omnes bonos affectus, virtutum actus, bonáque proposita, aliósque voluntatis actus includit, meritò reducimus. Neque ex Colloquio distinctam meditationis partem facimus, eò quòd non tantùm in fine meditationis, sed etiam in principio, & medio illius fieri possit, & soleat Colloquium, cùm non solùm in fine meditationis, sed etiam per totum decursum illius per varios actus, & affectus conversemur, & loquamur cum Deo, consequenter Colloquium cum ipso habeamus. Hoc notato

114. Resp. Ordinariè loquendô, valde bonum, & utile est, ad finem meditationis sequentes exercere actus, videlicet I. Deo gratias agere, tum quòd ad audientiam, & conversationem suam nos admittere dignatus sit: tum pro luminibus, & gratiis in ea nobis collatis.

II. Veniam rogare de defectibus in ea commissis.

III. Se, suáque proposita Deo adhuc semel humillimè offerre.

IV. Ipsum denuo pro gratia exequendi proposita invocare.

V. Potest etiam pro aliis fieri brevis oratio ad varia præsertim magìs necessaria, & utilia; cùm enim tempore meditationis magna sit inter DEUM, & hominem conjunctio, & unio, sanctáque familiaritas, & amicitia, efficacior etiam tunc temporis pro se, & aliis est oratio.

115. Dixi in Responsione notanter: *Ordinariè*; quia subinde bene contingere potest, quòd quis tempore Meditationis ita sit immersus, vel tantopere, & tam attentè, aut devotè occupatus in bonis affectibus, vel virtutum actibus, vel bonis propositis, vel aliis voluntatis bonis actibus, ut finem temporis ad Meditationem præfixi neutiquam advertat, consequenter in præfatis actibus, donec ad aliud

aliud vocet obedientia, pergat; tunc enim, ſicut non poteſt, ita neque neceſſe eſt aliam concluſionem facere, vel de illa omiſſa ſolicitum eſſe, eò quòd optimè concludatur, ſi præfatô modô ſine advertentia elabentis temporis finitur. Poteſt tamen poſtea Meditationis concluſio, ſi tempus, & occaſio patitur, breviter fieri.

116. Porro allegata Meditationis concluſio per ſupra dictos actus in praxi bene fieri poteſt ſequentî, aut ſimilî modô.

Praxis per convenientes actus finiendi Meditationem.

„ O Amandiſſime Domine, Deus meus, & omnia! humillimas, & reverentialiſſimas gratias tibi ago, pro infinita tua bonitate, & benignitate, qua me indigniſſimum ad Divinam tuam audientiam, & converſationem admittere, in eáque Divinîs tuîs inſpirationibûs, & gratiîs illuminare, atque ad bonos affectus, & actus, bonáque propoſita excitare, & juvare dignatus es. Quidquid in, & ex hac meditatione bonum, à te, & tuum eſt; quidquid malum, & defectuoſum, à me, & meum eſt. „

;, Hinc de omni bono tibi ſoli gloriam & honorem tribuo, de malo autem, & defectu quocunque (ſi ſpecialem ſcis, illum nomina dicendô: præſertim verò de N. N.) culpam meam agnoſco, cordéque contrito, & humiliato veniam precor, ac emendare firmiter propono. „

„ Humillimè etiam tibi denuo me, meáque cuncta, ſpecialiter verò exigua mea pia deſideria, & bona propoſita per tuam gratiam concepta, ad tuam laudem, gloriam, honorem, & ſervitium offero, per infinitam tuam bonitatem, per merita, & Nomen JESU Chriſti, ejusdémque Beatiſſimæ Matris Mariæ, & omnium Sanctorum humillimè, & fiducialiter rogans, ut confirmare, & in effectum deducere digneris, quod in me operari non es dedignatus. „

„ Eandem infinitam tuam bonitatem per merita, & Nomen JESU Chriſti &c. inſuper ſuppliciter rogo pro N. N. „ Specifica aliqua, pro quibus ſpecialiter rogare vis.

117. *Secundò* obſervandum, quòd ſicut conſideratio, ita & boni affectus, actúsque virtutum, & bona propoſita non cur-

cursim, & obiter, vel superficialiter, & transeunter elicienda sint, sed in eis maturè, & tractim manendum, illísque tamdiu inhærendum sit, quamdiu devotio, & gustus saltem rationabilis durat, & donec nobis satisfecerimus; etsi subinde ex speciali devotione, aut fervore totum reliquum Meditationis tempus unico simili actu consumeretur.

118. *Tertiò* observandum, quòd, licèt in eadem meditatione possint, & plerumque soleant plures boni affectus, & virtutum actus elici, tamen piè, & tranquillè conandum sit, ut præcipuè tales eliciantur, qui magìs sunt ad propositum, & intentum nostrum, fructúmque quasi prævisum, utpote nobis magìs utilem, magísque necessarium; salva tamen semper sancta aliqua spiritûs libertate, salvóque illo, quod ad alios actus, affectus, vel proposita nos magìs illuminanti, & excitanti Spiritui Sancto, ejúsque gratiæ nos accommodare possimus, ac debeamus.

119. *Quartò* observandum, vel potiùs cavendum, ne unquam cogamus nos, vel astringamus, & quasi vim nobis inferamus, ineptè conandô, ut bonos affectus, & virtutum actus cum devotione, vel consolatione sensibili eliciamus; vel hanc in illis habeamus, aut sentiamus. Ratio est; quia hujusmodi devotio sensibilis ad memoratos affectus, & actus perfectè eliciendos prorsus non est necessaria, imò nullatenus est in potestate nostra, ut proin frustra, & inutiliter, imò et am nocivè quis se fatiget, & cogat pro illa propriis viribûs acquirenda, cùm tali coactione, & inepto conatu cor, caput, & natura lædatur, & debilitetur. Accedit, quòd Deus à nobis penitus non exigat illam, utpote in arbitrio, & viribus nostris non consistentem; síntque boni affectus, & actus nostri sinè illa, imò summa cum ariditate, bona tamen cum voluntate, & advertente ratione pacatè, tranquillè, & humiliter eliciti, æquè, imò plerumque Deo magìs grati, nobísque meritorii, & utiles, quàm nescio qua cum devotione sensibili producti.

120. Cæterùm devotio ista & consolatio sensibilis est gratuitum donum Spiritûs Sancti, qui illud aliquibus sæpe, aliquibus raró, aliis ferè nunquam dat, quibus nempe, quando, &

quomodo vult, ac cognoscit, illam conducere pro sua gloria, & accipientis salute. Hinc, si quando alicui id tribuit Divina Bonitas, illud cum gratiarum actione acceptare, eóque humiliter ac discretè uti oportet; quia multis utile, ac subinde necessarium est, ut præveniantur, vel excitentur, vel confirmentur benedictionibûs dulcedinis, & consolationis spiritualis sensibilis. Si verò illud denegat, vel subtrahit, nullus se contristare, sed humiliare, & consolatione, qua Deus servos suos afficere subinde solet, indignum se reputare, simúlque in Divinam voluntatem resignare, ac pro substantiali consolatione animæ habere debet, quòd pro voluntate, consolatione, beneplacito, & gustu Divino ipse sinè consolatione agere, pati, & vivere possit; præsertim, quia actiones, & passiones solatiô carentis ab amore, & interesse proprio puriores, indéque Deo gratiores, & homini utiliores sunt, hoc ipso, quòd, licèt in eo, quod agit, vel patitur, penitus nullam consolationem, vel gaudium, sed difficultatem, & aversionem habeat, illud nihilominus perfectè, exactéque agere, & pati conetur, præcisè, quia cognoscit, ita placere Deo, quod utique ex vero, eóque puro erga DEUM amore, consequenter perfectissimè agere, & pati est. Atque hoc Charissimi specialiter notate; quia ex defectu hujus notitiæ multi deficiente devotione, & consolatione sensibili inordinatè tristati, & afflicti, pia sua exercitia vel dereliquerunt, vel tepidè, languidè, imperfectè, & cum tædio peregerunt, non sinè magno profectus spiritualis præjudicio.

121. *Quintò* observandum, ut, quando meditationem nostram ob distractiones, sive voluntarias, sive involuntarias, sive ob alias causas, vel defectus minùs bene successisse advertimus, defectum saltem circa finem resarcire studeamus per bonos actus, & quædam specialia proposita illo die certè servanda; præcipuè verò, ut eò magìs illa die nos mortificare, & cum majori in omnibus operibus diligentia, ac circumspectione ambulare, & quodvis peccatum cautissimè vitare studeamus. Talì enim modô defectus omnes resarciemus, & non sinè maximo fructu à meditatione discedemus.

§. IV.

§. IV.

De causis impedientibus, & mediis promoventibus Meditationem.

122. Quæritur I. Quænam sint potiora impedimenta, & causæ, ob quas imperfectè & minùs utiliter Meditatio peragitur? Resp. Esse potissimùm sequentes. *Prima* causa est, defectus debitæ instructionis, lectionis, & studii circa bonum, utilem, & facilem modum meditandi, ac circa ea, quæ pro meditatione ritè instituenda scire oportet. Ex horum enim ignorantia non potest non imperfecta sequi meditatio. Nemo enim perfectè exercere potest id, quod exercere nunquam didicit, & consequenter exercere nescit; vel circa quod in falsis suppositis, aut erroribus est, prout ordinariè sunt, qui debitum, & utilem modum meditandi nec aliena instructione, nec propria diligenti lectione, serióque studio, ac labore didicerunt. Licèt enim meditari ex se sit facile juxta dicta; attamen, si nec per alium, nec propriô studiô necessaria notitia illius acquiratur, debitè exerceri plerumque nequit. Multa ex se sunt, & essent facilia, utpote dependentia à levi aliqua, & facili scientia, vel notitia, tamen, si nemo illam ostendit, vel si quis illius notitiam propriâ industriâ non acquirit, ea, quæ etiam de se facilia essent, defectu notitiæ perfectè agere non poterit.

123. Accedit, quòd, licèt perfectè meditari, usu potiùs, & exercitiô, Sanctíque Spiritûs illustratione, quàm humana instructione, arte, & studio addiscatur, (ùt satis jam dictum est) attamen velit Deus, ut nostrum faciamus, & ea, quæ naturaliter, & humanitus requiruntur, debita cum diligentia, ac labore adhibeamus, consequenter vel instructione aliena, vel, ubi hæc deficit, propriô studiô, labore, & lectione debitam, & sufficientem notitiam rectè, & utiliter meditandi comparare pro viribus conemur. Quòd si quis pro exequenda Divina voluntate diligenter facit, quod est in se, assistentem Deum certò habebit,

bebit, gratiámque rectè, & utiliter meditandi suo tempore infallibiliter obtinebit, quia facientem, quantum est in se, Deus non deserit, sed opportuno, & suo tempore certissimè juvat, & exaudit.

124. *Secunda* causa, quæ debitè faciendam Meditationem impedit, sunt malæ nostræ passiones, inordinatíque appetitus, & desideria. Hæc enim, quamdiu in homine vigent, continuò menti occurrunt, & distrahunt, bonósque affectus impediunt, ac minuunt; affectus enim nostri magis ad illa feruntur, quæ magis appetimus, & desideramus juxta illud Evangelii *Matth. 6. v. 21. Ubi est thesaurus tuus* (id est, quod quasi thesaurum amamus, vel desideramus) *ibi est & cor tuum.* Verùm ad tollendum hoc impedimentum ipsa etiam frequens Meditatio optimum remedium est; quamvis & alia media ad passiones, & inordinatos appetitus eradicandos adhibere, & eis, tempore Meditationis pro viribus resistere debeamus. Cæterùm hæc causa incipientes præcipuè infestat, hoc ipso. quòd primùm à sæculo conversi, passionibus, & inordinatis appetitibus ordinariè adhuc valde subjecti sint.

125. *Tertia* causa est nimia curiositas sensuum, & intellectûs; cùm enim per hanc phantasia, & memoria terrenîs, & profanîs nimis impleatur speciebûs, hæ etiam in meditatione frequenter occurrunt, & distrahunt, bonásque cogitationes, & affectus impediunt.

126. *Quarta* causa est nimia, & inordinata cura ac solicitudo de externis quibuscunque, item nimia effusio ad illa; ídque ob rationem duobûs præcedentibûs numerîs dictam.

127. *Quinta* causa est excessus in cibo, & potu, utpote per quem corpus gravatur, hebetantur, & obfuscantur intellectus, ac memoria, & ad meditandum minùs apta efficiuntur; simúlque facit, quòd lumina, & gratiæ Divinæ nobis utpote indignis, & ineptis, vel non dentur, vel parciùs dentur, vel nil operentur.

128. *Sexta* causa sunt peccata, quæ committimus; nam (ùt bene advertit Abbas Nilus) sicut Deus in Meditatione per specialem assistentiam, inspirationes, & consolationes Divinas præ-

præmiare solet, quando per diem in re aliqua nos mortificamus, aut superamus, vel durum, & asperum quidpiam amore ipsius toleramus; ita etiam in Meditatione per subtractionem gratiarum spiritualium, & inspirationum plerumque puniri solet, quando per diem magis delinquimus.

129. Quæritur II. Quibus viis, & mediis adjuvetur, & facilitetur Meditatio? Resp. Præter ea, quæ hactenus prolixè dicta sunt, sequentia potissimum sunt, quæ Meditationem juvant, & facilitant. *Primum* est debita, solidáque, & studiosa instructio circa methodum rectè, & faciliter meditandi. In quo puncto vos valde felices estis Charissimi, utpote qui circa orationem mentalem non tantùm debitè informamini, verùm etiam per quotidianam Meditationem in actu exercito haustam doctrinam indies magis, magísque perficitis, & firmatis.

130. *Secundum* est frequens lectio, sicut etiam discursus de rebus spiritualibus, & ad Ascesin spectantibus. Ratio est; quia exinde semper acquiritur major notitia, & cognitio, multiplicantúrque, & magis firmantur species de rebus, quarum cognitio, & memoria ad bene meditandum vel necessaria est, vel plurimùm conducit.

131. *Tertium* est animus à malis passionibus, & inordinatis desideriis liber. Experientiâ aliquando suo tempore videbitis Charissimi, quòd longè faciliùs, & perfectiùs meditari valeat ille, qui ab inordinatis desideriis, & passionibus liber, nil ampliùs præter DEUM, & quæ DEI sunt, quærit, quàm ille, qui iisdem adhuc subjectus seipsum, variásque vanitates, & voluptates inordinatè adhuc quærit, & appetit. Accedit, quòd cor ab amore proprio, & inordinatis desideriis liberum sit capacissimum, & aptissimum receptaculum luminis, & gratiarum cœlestium, Diviníque amoris, & aliorum bonorum affectuum.

132. *Quartum* est custodia quinque sensuum, & mortificatio intellectûs circa curiositatem.

133. *Quintum* est abstinentia, & sobrietas.

134. *Sextum* est studium, & diligentia in acquirenda virtute, & perfectione, & multò magis ipsa

ipsa virtuosa, & pia vita, utpote intuitu cujus Deus gratias perfectè non tantùm meditandi, sed & contemplandi etiam simplicibus, & rudibus tribuit.

135. *Septimum* est studiosa, & debita præparatio non tantùm proxima, sed etiam, & vel maximè remota.

136. *Octavum* est frequens praxis, & exercitium Meditationis. Mediante isto octavo Meditationis adminiculo quivis cum tempore perfectè, & faciliter meditari discit; & imaginarias difficultates, quas priùs habebat, ac timebat, facilè vincit; dummodo, quæ ex parte sua sunt, non omittat: prout experientiâ didicit S. Theresia, maximam difficultatem & tædium primis annis in Meditatione passa, postea facta præstantissima Magistra.

137. *Nonum* est humilis, frequens, & fiducialis oratio pro gratia meditandi; cùm enim rectè, & debitè meditari sit speciale donum Dei, vult Deus, ut pro illo etiam specialiter ipsum invocemus, simúlque, quæ ex parte nostra sunt, faciamus.

138. Quæritur III. Quomodo quis practicè se habeat tempore distractionum sub Meditatione? Ante Responsionem notandum, distractiones inter orationem tam mentalem, seu meditationem, quàm vocalem nobis obvenire subinde ex nostra, subinde sinè nostra culpa.

139. *Ex nostra culpa* obveniunt distractiones, quando eis culpabiliter præbemus causas vel remotas, vel proximas. Causæ distractionum *remotæ* sunt variæ, præcipuè verò sequentes; videlicet I. Malæ nostræ passiones & inordinata ad rem aliquam desideria, & appetitus.

II. Nimia liberas quinque sensuum.

III. Nimia curiositas intellectûs circa legendas, & indagandas, materias, & objecta statui minùs convenientia.

IV. Nimia, & inordinata cura, aut solicitudo de munere, aut negotiis suis peragendis.

V. Nimia effusio ad externa.

140. *Proximæ* causæ sunt I. Præparationis remotæ omissio. II. Præsentiæ Divinæ culpabilis oblivio. III. Libera mentis evagatio, vel saltem resistendi, & expellendi distractiones ignavia.

141. *Sinè nostra culpa* obveniunt distractiones I. Ex miseria cor-

corruptæ nostræ naturæ, seu naturali levitate, vivacitate, & inconstantia phantasiæ, animi, & intellectus nostri, qui ex natura sua curiosus, vagus, & scire cupiens considerationi unius materiæ debitè, & constanter inhærere non vult, indéque ab una in alteram quasi saltitare, & jam de hoc, jam de illo cogitare gestit.

142. II. Ex speciali permissione Divina.

143. III. Et quidem ordinariè, ac potissimùm ex malitia, invidia, & tentatione dæmonis; cùm enim nequissimus hostis optimè sciat, nil esse, quo Deo magis placere, nobis prodesse, & ei nocere possumus, quàm per orationem, eam tanquam sui accerrimum tormentum, & flagellum implacabilì odiô prosequitur, & omnibûs, quibûs potest, viribûs, & quantùm potest, impedire, & impugnare satagit, adeò, ut testibûs SS. Patribûs, nullam virtutem, virtutísque exercitium, ac nullum mortificationis opus tantopere infestet, ac orationem: quapropter etiam Ecclesia Catholica (ùt docent S. Thomas, Abulensis, & alii) providè, & saluberrimè statuit, ut singulis Horis Canonicis præmitteretur ille Versiculus, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*, quo Deus pro celeri, constantíque auxilio, & assistentia contra dæmones, orationem jugiter impugnantes, humillimè invocetur. Hoc notato

144. Resp. I. Quando sub Meditatione distractiones ingruunt, quædam facere, quædam cavere debemus. Et quidem ex quacunque causa, sive cum, sive sinè nostra culpa proveniant distractiones, præprimis seriò conari debemus, ut ab iisdem liberemur. Quod fieri potest

145. *Primò.* Si, quamprimum advertimus (non rarò enim inadvertenter aliquamdiu inhæremus) alienis, ac impertinentibûs cogitationibûs nos occupari, ac distrahi, illas statim simpliciter, & absque alio actu iterum dimittamus, animúmque nostrum ad DEUM præsentem convertentes rursus pergamus in eo, à quo per distractiones fuimus avulsi, minimè indagantes, & scrutantes, unde, & qua occasione in has distractiones devenerimus; hoc enim, qui inda-

indagant, novas distractiones sibi causant. Et hic resistendi modus facilis, & utilis est, sæpéque magis servit, quàm multæ protestationes, vel alii actus, quibûs distractiones repellere conamur. Unde etiam sæpiùs in eadem Meditatione adhiberi potest, si in illa distractiones sæpiùs occurrunt.

146. *Secundò*. Si distractiones magis infestant, aut præfatô modô minus efficitur (prout contingit, si in cogitationibus, & distractionibus aliquem affectum; & inclinationem, interesse, vel curiositatem habemus, aut eis accedat ignavia nostra) tunc majori cum conatu eis se opponere quis debet; quod facilè præstabit, si seriò cogitat, & recordetur.

I. Se esse coram Deo, & loqui Divinæ Majestati.

II. Magnam esse irreverentiam, magnúmque Dei contemptum, relinquere ipsum ob nugas, & quisquilias tractandas.

III. Cùm Majestas illa immensa tantæ bonitatis erga nos sit, ut ne momentô quidem oculos suos à nobis avertat, æquissimum sanè esse, ut nostros quoque ab ipso minimè avertamus, saltem pro illa hora, qua ipsum oramus.

147. Resp. II. Si distractiones ex nostra culpa proveniant, ob unam ex remotis, vel proximis causis antea allegatis, debemus corde contrito, & humiliato culpam nostram agnoscere, veniam rogare, emendationem proponere, &, si causa distractionum proxima, & culpabilis statim removibilis est, illam illico tollere.

148. Resp. III. Tempore distractionum sub oratione cavere debemus. I. Ne liberè, & voluntariè eis inhæreamus; *id enim* qui facit, semper venialiter peccat, & injuriam præsenti Majestati Divinæ, cui loquitur, irrogat, ac ulteriorem subtractionem Divinarum gratiarum meretur.

149. II. Ut non cum ignavia, tepiditate, & negligentia, sed seriò, & statim opponamus, & eliciamus actum pium, quo mentem aliò distractam recolligimus, ídque, quamprimum distractionem advertimus.

150. III. Cavere debemus, ne ob distractiones Meditationem unquam omittamus, vel abbreviemus, sed potiùs id faciamus,

quod

quod tempore ariditatis fieri oportet, juxta mox dicenda.

151. Quæritur IV. Quid in praxi observandum, dum quis ariditatem & derelictionem in Meditatione patitur? Ante Responsionem Notandum I. Quòd in statu ariditatis, siccitatis, & derelictionis spiritualis esse dicatur ille, qui sinè lumine, & illustratione Divina nec bonas cogitationes, nec attentionem in Meditatione habere, nec cum gustu, vel affectu, nec cum consolatione, devotione, aut fervore sensibili, affectum vel virtutis actum producere potest, sed totum quasi meditationis tempus cum fastidio, & sterilitate inter meras distractiones, vel laboriosos, & fastidiosos conatus, quasi derelictus à Deo, transigere debet.

152. Notandum II. Quòd sicut distractiones, ita etiam ariditas, siccitas vel derelictio subinde ex nostra, subinde sinè nostra culpa proveniat. *Ex nostra culpa* provenire potest ob aliquam ex paulò ante allegatis causis distractionum; præsertim verò ob omissionem debitæ præparationis remotæ; item ob priores voluntarias evagationes, & distractiones, vel ignaviam, negligentias, & irreverentias in oratione mentali, ceu in conversatione cum infinita illa Majestate commissas: nec non ob alia peccata nostra &c.

153. *Sinè nostra culpa* autem provenire potest *Primò* ex dispositione, & causa naturali v. g. revolutione humorum corporis, temporis, & immutationis aëris, aliísque dispositionibus, & concurrentiis naturalibus.

154. *Secundò* accidere potest, & persæpe accidit ex speciali dispositione, & permissione Dei, qui eam quandoque ob varios, & sanctissimos fines ad sui gloriam, & nostram utilitatem immittit e. g. in expiationem nostrorum peccatorum, vel ad nostram humiliationem, & cognitionem infirmitatis, ac impotentiæ nostræ, ut videlicet cognoscamus, nos nil posse, & devotionem, bonósque, & ferventes affectus, & actus, claras cognitiones, profundas considerationes &c. quas subinde habemus, non à nobis, nec à nostra industria, sed à sola bonitate, & gratia Divina provenire; vel ut nos in fidelitate probet; vel ut occasionem habeamus, varios

Deo gratissimos actus virtutum, præsertim patientiæ, humilitatis, resignationis, constantiæ &c. exercendi, indéque Deo singulariter placendi, ab eóque ampliores gratias, & merita obtinendi; vel tandem, ut discamus eidem servire nuda fide, & pura mente, ac puro corde, puráque intentione sinè ulla nostra consolatione. Hìs notatìs

155. Resp. I. Quando cognoscimus, vel advertimus ariditatem, & derelictionem ex nostra causa, & inde provenire, quòd e.g. per aliquod peccatum, vel notabiliorem defectum, causam, & ansam dederimus, ut nos hìc & nunc derelinquat Deus, lumina, devotionis, & consolationis gratias subtrahat, præfatáque ariditate nos affligat, sequentia observare oportet: videlicet debemus nos coram Divina Majestate profundissimè humiliare, nostrámque culpam agnoscere, & fateri, dignum, & justum esse, ut in pœnam iniquitatis nostræ Deus faciem suam à nobis abscondat, lumina, gratias, omnémque consolationem subtrahat; & econtra tenebris, cæcitate, & ariditate nos percutiat. Item debemus coram Deo nos profundissimè humiliare, de culpa dolere, ac pœnitere, & emendationem efficaciter proponere, & promittere, veniámque, & misericordiam humillimè rogare, ac, quantum in nobis est, statim facere, quod ex parte nostra requiritur, præsertim verò voluntarias distractiones, & evagationes mentis, aliósque pro tunc actuales defectus vitare.

156. Resp. II. Quando ex parte nostra nullam culpam, aut culpabilem causam, ex qua ariditas proveniat, agnoscimus, possumus nihilominus, & debemus credere, & fateri, DEUM ob peccata nostra, iniquitatem, & ingratitudinem præteritam justissimè nobis subtrahere devotionis, & consolationis spiritualis gratiam, pœnáque ariditatis nos affligere. Item debemus nos humiliare, & indignos reputare Divina illustratione, consolatione, aliísque gratiìs, ac charismatibûs, quæ dilectis, & fidelibus servis suis elargiri solet.

157. Juvat tamen etiam, & expedit ad DEUM humiliter, & fiducialiter clamare, ipsúmque rogare pro devotionis spiritu, Divinóque lumine, & gratia; quæ oratio fieri debet plena cum resi-

resignatione in Divinam voluntatem, ita, ut, etiamsi per plures annos non auferat hujusmodi ariditatem, sed in ea nos semper relinquat, eam summa cum humilitate, patientia, & resignatione acceptare, & pati debeamus, sola voluntate, & beneplacito Divino contenti juxta dicta *num. 108.*

158. Resp. III. Sive ariditas ex nostra culpa, sive sinè illa proveniat, prætereà cavenda, quæ Quæsito præcedente adduximus, summopere cavere debemus, ne ob ariditatem & derelictiones, quas in meditando sentimus, aditum concedamus inordinatæ tristitiæ, pusillanimitati, aut desperationi, quasi impossibile nobis esset, bene, & rectè meditari: & ne propterea, vel alia simili falsa causa sub prætextu v. g. tempus utiliùs alia ratione impendendi, meditationem solitam omittamus, vel abbreviemus, sed potiùs humili, patienti, & resignatô animô constanter perseveremus usque ad finem, ac interea, quantum in nobis est, faciamus, & ingruentibus distractionibus resistamus. Ita enim nos habendô, Meditatio nostra æquè, imò plerumque magis grata erit Deo, & nobis fructuosa, quàm alia, quæ nescio qua devotione, consolatione, dulcedine, affectu, & fervore spirituali sensibili peragitur: etiamsi in illa arida, & sicca nil aliud ageremus, quàm quòd quasi continuò distractionibus, vel aliis meditationi contrariis defectibus resisteremus. Ratio est; quia illa meditatio Deo gratior, & nobis fructuosior est, quæ fit modô, quo vult Deus; vult autem Deus, ut tempore ariditatis ab ipso nobis immissæ, præfatô modô nos in meditatione habeamus, & omni dulcedine, & consolatione spirituali sensibili careamus: ergo.

159. Caventes igitur præfata, optimè agimus, si unum, aut plures ex sequentibus, aut similibus eliciamus actibus.

„ Domine, quantùm mea culpa est, summè doleo, & pœnitet me, nec non occasionis, & causæ, quam ex parte mea dedi, ob quod humillimè veniam peto: at in quantum tua voluntas est, quæ vel præterita peccata mea commissa, vel præsentes negligentias, & imperfectiones meas justè castigat, vel ex Divino amore, & providentia me exer-

exercet, me humillimè resigno, & libentissimè accepto, qualiter, quantum, & quamdiu vis; sit consolatio mea pro te, & propter te sinè omni consolatione agere, & pati. „

Vel: „ Domine sicut vis, & tibi placet, ita fiat: multum saltem est, quòd Divina Majestas tua in præsentia sua me toleret, & me miserum, & derelictum respicere, & audire non dedignetur. „

Vel: „ Domine neutiquam sum dignus illa Divina consolatione, illustratione, favore, & visitatione, qua fideles servos tuos recreas; sufficit mihi Divina voluntas & beneplacitum tuum, tantùm non projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me, sed gratiam præbe, ut in hoc statu agam, & patiar, prout tibi placet. „

160. Per hujusmodi, & similes humilitatis, patientiæ, poenitentiæ, resignationis &c. actus, meditationem (quæ cæteroquin summè sicca, & sterilis est) reddimus DEO plurimùm acceptam, & nobis fructuosam; imò teste Avila, & communi Ascetarum, si tempore ariditatis, & derelictionis in Meditatione perseveremus, &, quantum in nobis est, faciamus, miscentes subinde unum, aut alterum ex præfatis actibus, plùs placemus Deo, majorémque fructum, & gratiam reportamus, quàm ex nescio qua profunda Meditatione, aut Contemplatione.

§. V.

Compendiosa Recapitulatio hactenus dictorum de Meditatione, unà cum Principiis practicis circa illam.

Ponitur præsens Paragraphus, ut, quæ in hoc toto, ac præcedente Capite de Meditatione copiosè dicta sunt, in brevi etiam compendio succinctè contracta habeantur, adnotandô tamen pro majori commoditate citationes, ut, quæ in hoc Paragrapho compendiatè habentur, suis in locis fusiùs inveniri possint.

161. Quæritur I. Quid in compendio sit Meditatio, & quas habeat partes? Resp. I. Loquendô de Me-

Meditatione, quæ ordinatè & certo ad eam designato tempore fit, bene describitur dicendô: *Meditatio est attenta, & seria aliqua alicujus rei, vel materiæ priùs jam determinatæ, & præparatæ, & postea per memoriam proposita consideratio, ad hoc, ut bene cognoscatur, & imprimatur, indéque voluntas moveatur ad varios pios affectus, & actus virtutum, petitionum, & propositorum, pro diversitate rei consideratæ, gratiæq; Divinæ illuminantis, & moventis producendos:* prout ampliùs explicatur *Cap. XIII. à num. 5.*

162. Resp. II. Meditatio (præsupposita præparatione) habet tres partes juxta tres facultates, seu potentias animæ, per quas operatur. *Prima* pars est materiæ, seu rei meditandæ repræsentatio, seu propositio, quæ fit per memoriam, quæ rei illius, de qua meditari quis statuit, breviter recordatur, & sic recordandô eam exhibet, seu proponit intellectui, juxta declarata in hoc *Capite* §. *I.*

163. *Secunda* pars est Consideratio, quæ fit per intellectum, utpote qui materiam à memoria breviter propositam attentè, & seriò secundùm naturam illius, proprietates, vel circumstantias, causas, effectus &c. considerat, & magìs expendit juxta dicta §. *II.* per totum.

164. *Tertia* pars est bonorum affectuum, virtutis actuum, petitionum, & propositorum productio, quæ fit per voluntatem; quando enim intellectus materiam à memoria propositam attentè, circumstantionatè, & exactè considerat, acquirit majorem illius cognitionem, vel priùs habitam iterum renovat, magísque imprimit, & auget; ex cognitione autem quasi necessariò movetur voluntas ad convenientes actus, resolutiones, & proposita pro diversitate materiæ consideratæ, & cognitionis inde haustæ. Voluntas siquidem dirigitur, & movetur circa res, prout ab intellectu cognoscuntur, seu prout hic res illi proponit, juxta ampliùs dicta supra §. *III.*

165. Quæritur II. Quàm præstans, utilis, ac necessaria sit Meditatio? Resp. I. Est præstantissima, & utilissima; cùm enim sit orationis nobilissima species, est inprimis Deo gratissima, & acceptissima, habétque maximas prærogativas, & optimos fructus, ac effectus cuivis orationi communes.

munes. Dein ulteriùs specialissimè, & efficacissimè servit (prout *Cap. XIII. à num. 17.* fusiùs declaratum habetur) I. Ad acquirendam, augendam, & firmandam rerum Divinarum, & aliarum scitu utilium, aut necessariarum cognitionem, accedente præsertim Divino lumine, & illustratione, quæ in meditatione magìs, quàm alibi datur, & obtinetur.

166. II. Ad frequentiorem, faciliorem, utilem, ac necessariam earundem rerum memoriam.

167. III. Servit ad hoc, ut discamus, & assuescamus Deo uniri, cum eóque loqui, & conversari, ac reciprocè ipsum, ejúsque inspirationes cognoscere, & sequi.

168. IV. In, & ex eadem meditatione discimus, & assuescimus elicere varios bonos affectus, virtutúmque, petitionum, & bonorum propositorum actus ingenti cum beneplacito Divino, nostróque merito, & fructu, emendationis præsertim, & progressûs in virtute, ac perfectione.

169. V. Ob præfatas quatuor utilitates, sicut & ob plures alias rationes specialissimè, & efficacissimè servit ad cognoscendas, & superandas dæmonis tentationes, & insidias.

170. VI. Ad extirpanda quævis vitia, & pravos habitus.

171. VII. Ad superandas, & patienter tolerandas omnis generis afflictiones, persecutiones, & infirmitates &c.

172. VIII. Ad devotionis spiritum, & quasvis virtutes acquirendas, vitámque nostram perfectè instituendam.

173. Resp. II. Ad malas passiones, & inordinatos affectus edomandos, & eradicandos, ad solidas virtutes acquirendas, ad perfectionem sive Christianam, sive Religiosam obtinendam meditatio omnino, & absolutè necessaria est, prout ampliùs dicitur, & probatur supra *Cap. XIII. à num. 27.*

174. Quæritur III. Quomodo breviter ostendi possit, qualiter practicè fieri queat Meditatio? Resp. Id compendiosè & clarè sequenti practica instructione ostendi.

Pridie ante Meditationem (si hanc post mediam noctem, aut de manè instituis) præpara te ad illam, id est, præmissa bona intentione,

tione, & invocatione Divinæ gratiæ, lege attentè, & considerate, vel ex libro formatas meditationes continente, vel ex alio materiam, de qua meditari vis, eámque in duas, vel tres partes, seu puncta divide, & fructum, id est, bonos affectus, virtutúmque actus, & bona proposita, quæ pro principali intento, seu fine tuo (quem in quavis meditatione habere convenit) extirpationem v. g. certi vitii, vel implantationem certæ virtutis &c. circiter elicere poteris, jam tunc aliqualiter ob oculos habe, & prævide, salva tamen semper libertate spiritûs, juxta sæpiùs dicta. Quòd si ex causa rationabili à lectione impediris, vel legere nolis, utpote meditaturus de materia, cujus lectione non indiges, saltem materiam determina, eámque in puncta divide, & ùt supra fructum aliqualiter prævide.

175. Dein, quando altera die imminet tempus Meditationis, breviter cogita adesse jam felicissimam horam audientiæ, & conversationis Divinæ; estóque memor immensi, & præsentissimi Dei, & coram eodem maximâ, qua potes, humilitate, & reverentia attentè, ac devotè, pacatè, & quietè, cum fide, & fiducia elice illos virtutum, & petitionum actus, in quibus Præparatio proxima consistit, juxta dicta *Cap. XIII. à num. 17.*

176. Hìs finitìs, illico breviter recordare materiæ, de qua meditari vis, imaginandô tibi eandem (si in facto consistit) quasi esses in loco, ubi fit, vel facta est, vel quasi fieret, aut contingeret coram oculis tuis, in loco, ubi es. Vel poteris absque simili imaginatione de eadem simpliciter cogitare conformiter dictis supra *à num. 8.* quod etiam semper facies, si de vitio, aut virtute, vel sententia, aut doctrina Fidei, vel morum meditari vis.

177. Postea statim per intellectum materiam ordinatè secundùm puncta, seu partes pacatè, & tranquillè expendere incipe, considerandô illam (si in facto consistit) secundùm unam, vel plures circumstantias; *Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* Item juxta effectus inde provenientes: & qualiter tu factum hoc imiteris, vel ab eo deficias juxta dicta supra *à num. 19.*

178. Vel, si de virtute meditaris,

ris, considerandô ejus naturam; id est, in quo consistat, partes, vel gradus, proprietates v. g. præstantiam, utilitatem, necessitatem, effectus &c. & exempla eorum, qui eam coluêre, & illorum, qui contrarium fecêre: item quomodo tu in illa te habeas, & imposterum habere velis, juxta dicta *à num. 32.*

179. Vel, si de vitio meditaris, considerandô etiam ejus naturam, partes, proprietates v. g. malitiam, iniquitatem, turpitudinem, offensam, & injuriam Dei: damna, & malos effectus illius, radicem, & causas ejusdem: exempla, & damna illorum, qui huic vitio dediti erant &c. Item quomodo tu in illo te habeas, & habere velis, juxta dicta *num. 50.*

180. Vel, si de sententia, textu, principio, vel doctrina Fidei, aut morum meditari vis, considerandô personam, quæ eam locuta est: proprietates ejusdem v. g. æquitatem, veritatem, utilitatem, necessitatem &c. exempla aliorum, qui eam observârunt, & illorum, qui illam neglexerunt: quomodo tu circa illa te habeas, & habere velis conformiter dictis *à num. 59.* Et ita considerandô habes secundam Meditationis partem, videlicet materiæ Considerationem, quæ fit per intellectum.

181. Ut autem bene, ac fructuosè hanc Considerationem perficias, sequentia partim caveas, partim observes, oportet, de quacunque tandem materia mediteris, prout ampliùs revidere poteris supra *à num. 75. usque ad num. 91.*

182. I. Cave, ut, dum materiam per intellectum expendis, & consideras, id non nimis vehementi cum conatu, & quasi coactione, sed pacatè, quietè, tranquillè, & suaviter, seriò tamen, & attentè facias.

183. II. Observa, non esse necesse, ut materiam secundùm omnes circumstantias, vel proprietates supra allegatas expendas; sed sufficere, si secundùm unam, vel alteram, aut per tot eam consideres, donec voluntas ad bonos affectus, virtutum actus, & proposita moveatur.

184. III. Observa, ut in consideratione à curiosis, & inutilibus abstinens, materiam juxta illas circumstantias consideres, quæ magìs serviunt ad intentum, fructum, & finem meditationis; idque non leviter tantùm, & cur-

cursim transeundô, sed attentè, ac tractim, & aliquando inhærendô, ac ruminandô expendas.

185. IV. Cave tamen, ne majus temporis spatium in Consideratione, sed potiùs in producendis bonis affectibus, virtutum actibus, & bonis propositis (utpote in quibus potissimus Meditationis fructus consistit) insumas.

186. V. Observa, quòd, si ex consideratione unius, vel alterius circumstantiæ sufficienter movetur voluntas ad unum, vel plures bonos affectus, virtutum actus, aut bona proposita, eis statim inhæreas, & tamdiu prosequaris, quamdiu affectus, gustus, vel devotio rationabilis durat: nec curandum, quòd plura adhuc puncta, vel circumstantiæ restent meditandæ. Cessante autem devotione, circa unum, aut plures tales bonos voluntatis affectus, vel actus, considerationem iterum assume, donec rursus moveatur voluntas.

187. VI. Observa, quòd, dum materiam consideras, discursum tuum internum, & cogitationes dirigere possis vel ad DEUM, quasi ipsi loquereris, vel ad te ipsum, vel ad aliam creaturam, vel simpliciter.

188. Postquam observatis observandis materiam, vel circumstantiam illius sufficienter considerâsti, & expendisti; sequitur quasi necessariò, consequenter faciliter, etiam tertia pars meditationis, productio videlicet bonorum affectuum, virtutis actuum, petitionum, & bonorum propositorum, quam facit voluntas; utpote quæ ex natura sua afficitur, & movetur erga, vel contra aliquid, prout intellectus illud cognoscit, & cognitum proponit.

189. Hinc, quamprimum ex Consideratione ad unum, vel plures bonos affectus, virtutum actus, vel proposita moveri te advertis, eis, juxta jam dicta, statim te accomoda, illos elice, sive immediatè post primam, sive post plures consideratas circumstantias ad illos moveatur voluntas.

190. Porro, ut circa tertiam hanc, eámque principalem Meditationis partem rectè, & fructuosè procedas, aliqua cavenda, aliqua observanda habes, prout supra *à num. 102.* fusiùs est annotatum.

191. I. Cave, ut bonos affectus, virtutum actus, petitiones, & proposita non cursim, & superficialiter, sed maturè, & tractim elicias, eisque tamdiu inhæreas, quamdiu devotio durat.

192. II. Cave, ne unquam te cogas, vel astringas, & quasi vim tibi inferas, vel ineptè coneris, ut præfatos affectus, vel actus cum devotione, consolatione, aut fervore sensibili elicias.

193. III. Observa, quòd, licèt varii boni affectus, & virtutum actus elici queant, prout nempe pro diversitate materiæ considerat, & cognitionis habitæ, vel gratiæ Divinæ movetur voluntas, tamen bonum, & tranquillè conandum sit, ut præcipuè eliciantur tales, qui magìs ad nostrum intentum sunt, salva tamen semper spiritûs, & gratiæ Divinæ libertate.

194. IV. Observa, ut in omni Meditatione unum; vel plura præsertim ad intentum tuum elicias proposita (utpote in quibus fructus meditationis omnium maximè consistit) eáque non tantùm in genere, sed etiam in specie, ac particulari, & quidem non tepidè, vel languidè, sed efficaciter, proponendô etiam hunc in finem applicationem mediorum necessariorum aut utilium, idque totum plena cum tui diffidentia, ac confidentia in Deum, humili ac fiduciali invocatione gratiæ, & auxilii Divini.

195. Tandem appropinquante fine temporis ad meditandum præfixi Meditationem conclude I. Gratias agendô pro audientia Divina, concessis luminibus, & gratiis collatis.

II. Veniam rogandô de commissis defectibus.

III. Te, tuáque proposita adhuc semel offerendô.

IV. Denuo invocandô Deum pro gratia ea exequendi.

V. Pro te, & aliis orandô, quales actus pro praxi reperies supra *num. 121.*

196. Quæritur IV. Quænam in compendio juvent, vel impediant Meditationem? Resp. I. Loquendô in compendio (quæ prolixiùs in præcedente §. declarata sunt) hanc impediunt I. Defectus debitæ instructionis, vel lectionis, & studii proprii circa utilem, & facilem methodum meditandi.

II. Immortificatæ malæ nostræ.

stræ passiones, & inordinati affectus, ac desideria.

III. Nimia curiositas quinque sensuum; item nimia cura, & sollicitudo de externis.

IV. Excessus in cibo, & potu.

V. Peccata nostra.

VI. Omissio præparationis remotæ.

197. Resp. II. Meditationem juvant, ac facilitant I. Debita instructio, & studiosa lectio circa modum bene meditandi.

II. Frequens lectio spiritualis.

III. Animus à malis passionibus, inordinatísque desideriis, & affectibus liber.

IV. Custodia quinque sensuum, & mortificatio intellectûs circa curiositatem.

V. Temperantia.

VI. Studium virtutis.

VII. Studiosa, & debita ad meditationem præparatio non tantùm proxima, sed vel maximè remota.

VIII. Frequens, & sedula praxis, ac exercitium Meditationis.

IX. Humilis, frequens, ac fiducialis invocatio DEI pro dono, seu gratia rectè meditandi.

Appendix
De
Principiis Practicis circa Meditationem.

Principium I.

198. MAgnam semper habere æstimationem de Meditatione, ejúsque utilitate, & necessitate.

Principium II.

199. CErtò credere, & supponere, quòd sinè frequenti Meditationis exercitio, nulla constans, & solida virtus, multò minùs vera perfectio, sive Religiosa, sive Christiana acquiri valeat: adeóque nolle frequentare Meditationem, idem esse, ac nolle tendere ad virtutem, & perfectionem.

Principium III.

200. MEditationem summopere amare; & sedulò frequentare.

Principium IV.

201. FIrmissimum, ac inviolabile habere propositum, ad Meditationem, & Recolle-

ctionem quotidianam juxta Statutorum & Constitutionum tenorem diligenter semper, & tempestivè comparendi, nisi obedientia, vel alia verè legitima causa impediat.

Principium V.

202. EX frivolis & fictis causis, vel negotiis nunquam omittere Meditationem, vel Recollectionem, aut ab ea se subtrahere, vel eam abbreviare, vel serò venire ad eandem: sed negotia sua ita disponere, ut, quantùm possibile est, Meditatio, & Recollectio non negligantur.

Principium VI.

203. QUando quis cũ tempore vi officii à Meditatione, quæ certo in loco, ac fixâ horâ à tota Communitate peragitur, exemptus erit, firmum habere, & servare propositum, diligenter, & tempestivè quotidie privatim instituendi de manè aliquam Meditationem, & proptera divisionem temporis ita faciendi, ut Meditatio suum determinatum tempus habeat; præsertim, cùm per eam quis non perdat, sed lucretur tempus pro officii sui negotiis, ob majorem gratiam, & assistentiam Divinam.

Principium VII.

204. ETiam, dum ad alia loca quis proficiscitur, Meditationem in via quoque (quantum fieri potest) quotidie peragere.

Principium VIII.

205. DE Meditatione, & modo debitè meditandi sæpiùs, & tam diu legere, & indagare, donec quis cuncta perfectè capiat, & memoriæ sufficienter impressa habeat, accedentéque gratia Divina in praxin deducere sciat.

Principium IX.

206. FIrmiter credere, & indubitatè confidere, quòd, etsi ab initio Meditatio difficilis appareat, & modicam utilitatem nobis afferre videatur, successu tamen temporis, si quis, quantum est in se, humiliter, ac pacatè facere, & Meditationem quotidie frequentare non cessat, facilis, ac non rarò summè delectabilis, summéque consolatoria sit evasura.

Principium X.

207. TEmpore ariditatis; desolationis, & tentationis Meditationem non omittere, sed cum patientia, & resignatione humiliter, & pacatè facere, quod quis potest, certóque confidere, talem, etsi ex integro aridam, siccam, & involuntariè distractam, cum patientia tamen, & resignatione ad finem usque humiliter continuatam Meditationem, DEO æquè, imò magis gratam, & nobis meritoriam esse, quàm altissimam, & dulcissimam contemplationem.

Principium XI.

208. DEUM pro gratia rectè meditandi sæpiùs, humiliter, & fiducialiter invocare.



CAPUT XV.

De Precibus, seu Orationibus Jaculatoriis.

MEritò post orationem vocalem & mentalem agimus nunc de orationibus jaculatoriis; tum, quia sunt una nobilissima orationis species; tum, quia subinde corde & ore simul, subinde verò sola mente fiunt, indéque de utraque oratione, vocali scilicet & mentali quodammodo participant; tum denique, quia iis potissimùm frequentiori, & faciliori usui sunt, qui in Meditatione jam magis sunt exercitati, in quibus maximum causant fructum, eósque ad contemplationem, & vitam unitivam mirè disponunt, ac compendiosè deducunt, in eáque fovent: unde etiam existentibus in via illuminativa, & unitiva, seu proficientibus, & perfectis magis propriæ sunt; quàm incipientibus, & existentibus in via purgativa; ita tamen, ut his quoque maximè prosint, & serviant, quamvìs frequens earum exercitium eisdem ab initio tam facile non sit. Hoc prælibato ponitur

§. I. De

§. I.

De Præstantia & utilitate Aspirationum sive Precum jaculatoriarum.

1. QUæritur I. Quid, & quàm utiles sint Orationes, seu Preces jaculatoriæ, sive piæ Aspirationes? Resp. I. Sunt brevissimæ quædam orationes, vel virtutum actus, subinde solà mente, subinde corde & ore simul facti, quibûs quivis facilè potest, & animæ devotæ frequenter solent in quovis loco & tempore, die ac nocte, domi & foris, in quovis negotio & occupatione, mentem ad Deum, vel ad Cœlites erigere, disponendô ascensiones in corde suo, & manifestandô pios affectus animi sui, atque desideria & proposita, petitionésque innuendô. Patet Descriptio ex terminis: vocantur autem preces, seu orationes jaculatoriæ; quia instar jaculorum, & sagittarum brevissimè emittuntur, velocissimè transeunt nubes, & tendunt ad scopum, Cor nempe Divinum, indéque dona cœlestia nobis referunt. Vocantur etiam *piæ Aspirationes*, & *Preces aspirativæ*; quia illis aspiramus ad Deum, & per eas aspirat Deus conatibus nostris: dúmque ita ad Deum spiramus, non nisi Deum spiramus, indéque fit, ut eìsdem fervor charitatis erga Deum ferè æquè, ac vita corporis aspiratione aëris, sustentetur. Vocantur insuper *Motus anagogici*, id est, sursum ducentes; quia per eas à rebus terrenis abducimur, ad superna levamur, & ad dulcissimam cum Deo unionem evehimur. *Affectus pii* denique nuncupantur; quia sunt cordis affectiones, & desideria, voluntatísque proposita.

2. Resp. II. Preces, seu orationes istæ jaculatoriæ præstantissimæ sunt, & utilissimæ ad cujusvis generis dona & bona tam temporalia, quàm spiritualia consequenda, præsertim verò ad perfectam DEI cognitionem, amorem, & unionem obtinendam, & conservandam, adeò, ut à Perfectionis Magistris meritò vocentur *Via Compendii ad Deum.* Probatur Responsio inprimis ex eo, quòd sint vera & propria species

cies

cies orationis; consequenter etiam eisdem omnia conveniant prærogativa, quæ de præstantia & utilitate orationis diximus supra *Cap. XII.* & *XIII.*

3. Probatur ulteriùs communi, imò unanimi sensu SS. Patrum & Ascetarum; nam, ùt ait Cardinalis Bona *Cap. 6. Via compendii ad Deum. Tanti momenti est, ad assequendam brevi tempore Perfectionem, hoc exercitium* (orationum videlicet jaculatoriarum) *ut illud semper plurimi æstimârint, quotquot fuerunt Viri, doctrinâ & sanctitate conspicui.* Celeberrimus Asceta, & sanctitate conspicuus Vir, Joannes à JESU Maria, *in Theologia mystica. cap. 3.* ait: *Concors omnium, quos legerim, sententia est, ad altissimam Dei cognitionem, & sensum, seu experimentum Aspirationum exercitiò ita animam erigi, ut sic hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum, frequenter plurimùm proficiat; habet enim tam egregiam vim exstimulandi, & Divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, & virtutum studio armatum, ad summam Christianæ vitæ perfectionem & puritatem corda nostra perducat.* Similibûs, & adhuc majoribûs SS. Patrum, de maxima orationum jaculatoriarum utilitate, & præstantia, testimoniis plures latè implere possemus paginas, præsertim, si adducere vellemus, quæ mira de illis scribit S. Bonaventura in *Theologia mystica.*

4. Nec tantùm verbis, sed factô etiam & exemplô suô docuerunt, & commendârunt hoc præstantissimum orationum jaculatoriarum, & piarum Aspirationum frequens exercitium omnes, quotquot fuêre Sancti, præeunte Sancto Sanctorum Christo JESU; in horto enim iterabat Orationem illam brevem jaculatoriam: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Matth. 26. v. 39.* In cruce etiam inter acerbissimos dolores aliquam subinde Aspirationem, & orationem jaculatoriam hujusmodi ad Patrem ardentissimo fervore emisit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Lucæ 23. v. 34.* Item: *Deus meus, Deus meus, ùt quid dereliquisti me. Matth. 27. v. 46.* simili jaculatoria aspiratione sanctissimam finivit vitam, dicens: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Lucæ 23. v. 46.* Christi perfectus imitator fuit S. P. N. Franciscus aspiratio-

nes & preces jaculatorias in continuo quasi usu habens, adeò, ut in elicienda, & repetenda sola illa: *Deus meus & omnia!* integram consumpserit noctem. Idem frequentissimum Aspirationum, & orationum Jaculatoriarum exercitium, omnes omnino Sancti & perfecti viri, maximo cum fructu suo habuêre, prout ad longum enarrat Card. Bona *loc. cit. à num. 3.*

5. Ratio autem, cur tantæ utilitatis & præstantiæ sint Aspirationes, & Preces jaculatoriæ, præter eas, quæ pro quavis oratione militant, insuper triplex est. I. Quia hoc ipso, quòd breves sint, sinè ulla distractione fiunt, & ordinariè ex corde fervidè, & devotè eliciuntur, consequenter Cor Divinum illico penetrant, & magnum semper fructum generant.

6. II. Quia frequentî Aspirationum, & Precum jaculatoriarum exercitiô jugiter renovatur, fovetur, & augetur necessarius fervoris, & devotionis spiritus, qui aliàs sinè illis inter tot distractionum, negotiorum, & tentationum discrimina facilè dissipatur, diminuitur, aut subinde omnino extinguitur. In lege veteri Mandatum Divinum erat, ut in altari semper & perpetuò arderet ignis, quem Sacerdotes subjiciendô ligna fovere debebant. *Levit. 6. v. 12. Ignis in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna.* Ignis hic præfigurabat ignem Divini amoris, quem in altari cordis semper ardere vult Deus: ad quem ignem conservandum, fovendum, & augendum omnino necessaria sunt ligna orationis, quæ manè quotidie copiosiùs subjiciantur per longiorem orationem mentalem, seu Meditationem; interdiu verò identidem adjiciantur per crebras breves Aspirationes, seu orationes jaculatorias; quia, nisi hæc meditationis & Aspirationum ligna adhibeantur, ignis amoris, & devotionis spiritus conservari planè non possunt.

7. III. Quia Aspirationes, seu preces jaculatoriæ istæ ad acquirendam cum Deo unionem, habendô cum illo sanctam, & familiarem conversationem, omnium maximè serviunt, simúlque ad vincendas omnis generis tentationes, repellendas dæmonis insidias, obtinendas gratias, & lumina Divina mirè conducunt. Paucîs earum effectum

&

& fructum comprehendit Card. Bona *loc. cit. num 5.* illis verbis. *Hoc enim tanquam igne in cordibus nostris accenso, consumuntur omnia peccata, vitia omnia destruuntur. Tollit id à nobis, quidquid est terrenæ adhæsionis, quidquid deformitatis, quidquid dissimiles nos facit Deo, & sanctam cum illo unionem impedit. Eo mediante vincuntur tentationes, acquiruntur virtutes, perficiuntur operationes, cœlesti lumine imbuitur intellectus, exercentur actus supernaturales, purificatur intentio, erigitur affectus, inflammatur voluntas, disponitur mens ad contemplationem, & totus homo in Deum transfunditur.*

8. Quæritur II. Quid in praxi observandum sit circa exercitium & frequentiam orationum jaculatoriarum? Resp. I. Observanda esse sequentia. *Primò*, ut, dum aliquam quis elicit, id non negligenter, festinanter, aut perfunctoriè, vel ex sola tepida consuetudine, sed cum attentione, advertentia, & matura aliqua serenitate, ac sinceritate faciat, ita, ut ab interiori homine proficiscatur: ad quem finem, eandem subinde aliquoties repetere, vel ei immorari conducit, si devotio, & affectus id suggerit, tempúsque & occasio patitur; plus enim apud Deum valet unica aspiratio bene elicita, quàm centum languidè productæ.

9. *Secundò* observandum, ut aspirationes, seu preces istæ jaculatoriæ cum memoria præsentiæ Divinæ, seu Deo præsenti fiant; si enim ejusdem præsentiæ recordamur, debita cum attentione, & devotione, reverentia & humilitate, amore & fiducia, facilè eas elicimus. Unde mutuò se juvant exercitium aspirationis, & memoria præsentiæ DEI, ita, ut, sicut frequens exercitium piarum aspirationum valde conducit ad habendam & continuandam præsentiam Dei, sic econtra præsentia Dei multùm facilitat exercitium orationum jaculatoriarum.

10. *Tertiò* observandum, vel potiùs cavendum, ne exercitium aspirationum seu precum jaculatoriarum cum impetu, violentia, vel anxietate, aut indiscreto ad devotionem sensibili conatu, aut coactione, aliáve simili caput lædente modo fiat, sed potiùs pacatè, quietè, humiliter, & liberè, prout in simili diximus su-

pra *Cap. praced.* §. *III.* de eliciendis bonis affectibus tempore meditationis.

11. *Quartò* observandum, quòd cum profunda humilitate, suíque diffidentia & confidentia in Deum, is sæpe implorandus sit pro dono & gratia aspirationum, seu precum jaculatoriarum; nam, ùt bene ait S. Chrysost. *Serm. 2. de Oratione. Impossibile est homini Divinam conversationem absque operatione Spiritûs adesse; quoniam loqui Deo opus est, ut ingressa in nos Spiritûs gratia solidet, & fiduciam præstet, doceátque bonoris magnitudinem.*

12. Resp. II. Illis, qui in oratione mentali jam magis sunt exercitati, atque ab inordinatis desideriis, malísque passionibus, curis & speciebus terrenis magis liberi, summè conducit, eas valde frequenter elicere, ut non tantùm ulla dies, sed ordinariè nec hora prætereat, nec aliquod negotium fiat, cui non inferatur aliqua pia ad Deum aspiratio, vel brevis oratio jaculatoria. Ita docent, & suadent SS. Patres & Ascetæ ob maximum fructum, & beneplacitum Divinum inde surgens, putántque aliqui, tali modô impleri illud: *Oportet semper orare, & non deficere.* Inter quos ad propositum ita loquitur S. Ephrem *De orando Deum. Bonum igitur semper orare, & nunquam deficere, quemadmodum ait Dominus &c. quare, sive opereris, sive dormias, sive iter facias, sive comedas, sive bibas, sive decumbas, cave, orationem tuam intermiseris: sive in Ecclesia fueris, sive domi tuæ, sive in agro; & si oves pascas, & si ædificia construas, & si in symposio verseris, ab oratione* (jaculatoria nempe) *cave desistas* subinde videlicet intermiscenda.

13. Resp. III. Quamvis incipientes, & ij, qui inordinatis passionibus, curis, & desideriis terrenis multùm adhuc subjacent, formísque, & imaginibûs, ac speciebûs creaturarum recentibùs satis repletam adhuc habent phantasiam, debeant uti discretione circa frequentiam piarum aspirationum; nihilominus & ipsi quietè, & discretè conari debent, ut pias aspirationes, & preces jaculatorias frequenter elicere successivè assuescant, & inprimis unam, vel plures earum in sequentibus saltem producere satagant.

I. Quamprimum evigilant.

II. Ante quodvis opus, seu occu-

occupationem, saltem notabilem.

III. In, seu sub ipso opere magis durante.

IV. Post opus quodlibet.

V. Singulis horis ad sonum campanæ.

VI. Tempore tentationis, afflictionis, & difficultatis.

VII. Specialiter sub spirituali lectione.

VIII. In conversando cum hominibus, ne Dei penitus immemores peccaminosè loquantur, præsertim, cùm in lingua ferè omnes, plerumque aliqualiter delinquamus.

IX. Inter comedendum, ne ibi fiat excessus.

§. II.

De variis Precibus jaculatoriis in specie, unà cum Principiis practicis de eisdem.

14. Quæritur. Quænam Preces jaculatoriæ in specie sint in praxi eliciendæ? Resp. I. Licèt nulla certa præscribi possit regula, quænam, vel quales aspirationes in specie sint eliciendæ, sed plena relinquenda sit spiritui libertas, cùm illæ sint optimæ, quæ operante gratia Divina verè ab intus seriò proveniunt; nihilominus cæteris paribûs meliores, & efficaciores sunt, quæ ex Scriptura Sacra, præsertim ex Psalmis, qui illis pleni sunt, desumuntur, eò quòd verba Scripturæ, utpote à Spiritu Sancto dictata, mirabilem, & longè majorem, quàm alia vim habeant, & efficaciam.

15. Resp. II. In gratiam & consolationem Juvenum Religiosorũ, & ad facilitandum aspirationum, seu orationum jaculatoriarum exercitium, quæ pro quavis occasione applicandæ deserviunt, in specie ex Sacris Literis subjunguntur sequentes.

Aspirationes, seu Orationes Jaculatoriæ quædam in specie, ex Sacra Scriptura desumptæ pro Actionibus quotidianis.

Quando surgendum ad Matutinum.

16. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde cor tuum sicut aquam

 ante

ante conspectum Domini. *Thren. 2. v. 19.*

Domine Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ meæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. *Isa. 26. v. 8. & 9.*

Media nocte nunc surgam, ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ. *Psalm. 118. v. 62.*

Memor esse volo etiam nocte Nominis tui Domine, & custodiam legem tuam. *Psalm. 118. v. 55.*

Quando pulsatur ad Chorum, cunctis sepositis illico vade, & cogita.

17. Hoc signum magni Regis est, vocantis te ad laudem suam. Surge, propera.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam. *Psalm. 107. v. 2.*

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. *Psalm. 70. v. 8.*

Eundō ad Chorum.

18. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus. *Psalm. 102. v. 1.*

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. *v. 2.*

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. *v. 3.*

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. *v. 4.*

Qui replet in bonis desiderium tuum. *v. 5.*

Ingrediendō Chorum.

19. Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, in timore tuo. *Psalm. 5. v. 8* & confitebor Nomini tuo, in conspectu Angelorum psallam tibi. *Psalm. 137. v. 1.*

20. Porro pro consolatione vestra, & ut libentiùs surgatis ad Matutinum, nocturnásque laudes magìs æstimetis, præter dicta, subinde etiam cogitare debetis illud Spiritus Sancti.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. *Psalm. 41. v. 9.* Item illud *Psalm. 133. v. 2.* In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Eundô ad Cellam.

21. Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Psalm. 114. v. 7.*

Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibûs diebûs vitæ meæ. *Psalm. 26. v. 4.*

Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo, quoniam elegi eam. *Psalm. 131. v. 14.*

Ad Lotionem.

22. Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sinè pollutione mentis & corporis valeam tibi servire. *Eccl.*

Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. *Psalm. 50. v. 12.*

Ante Lectionem spiritualem, vel Studium Asceticum.

23. Loquere Domine, quia audit servus tuus. *1. Reg. 3. v. 10.*

Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. *Psalm. 118. v. 145.*

Doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es tu. *Psalm. 142. v. 10.*

Ante Studium Literarum.

24. Da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, & noli me reprobare à pueris tuis; quoniam servus tuus sum ego, & filius Ancillæ tuæ. *Sap. 9. v. 4. & 10.*

Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut sciam, quid acceptum sit apud te. *ibid. v. 10.*

25. Ante laborem manualem, & quodvis opus aliud, præter bonam intentionem, & invocationem gratiæ, seu Divini auxilii saltem breviorem per modum aspirationis jaculatoriæ facere oportet. Ejusmodi valde præstans, & ad omnia serviens, est illa cum sui diffidentia, & in DEUM confidentia humiliter prolata.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. *Psalm. 69. v. 2.*

Actiones nostras quæsumus Domine aspirandô præveni. *Eccl.*

Vel: Domine JESU, da, peragam opus istud & tuam gloriam, meam, & aliorum salutem, sicut tibi beneplacitum est; quia sinè te nihil possum, quàm errare, & peccare.

Pro

Pro Excitatione nostra ad Opus perfectè agendum.

Quodcunque facitis, ex animo operamini. *ad Coloss. 3. v. 23.*

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. *Jerem. 48. v. 10.*

Dum tempus habemus, operemur bonum. *ad Galat. 6. v. 10.*

Bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. *ibid. v. 9.*

Sub labore, præsertim, qui molestior accidit.

27. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. *Psalm. 24. v. 18.*

Labores manuum tuarum quia manducabis, & bene tibi erit. *Psalm. 127. v. 2.*

Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. *Psalm. 125. v. 5. & 6.*

Post Opus quodlibet.

28. Domine Deus gratias tibi ago pro omni gratia & auxilio ad opus istud peragendum collato; quod bonum in eo, à te est; quod malum, à me: quapropter tibi soli honor & gloria, mihi verò contemptus, & confusio: supple, quod deest, & corrige, quod malum est in eo, illúdque suscipe in unione operum JESU Christi ad tuam gloriam, meam, aliorúmque salutem, & propitius esto mihi peccatori.

Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. *Apoc. 7. v. 12.*

Deo Gratias, Deo Gratias. *vel:* Soli Deo honor & gloria. *1. Timoth. 1. v. 17.*

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Psalm. 113. v. 9.*

Cellam egrediendô.

29. Domine deduc me in justitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam. *Psalm. 5. v. 9.*

Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. *Psalm. 118. v. 5.*

Ad mensam comedendô.

30. Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. *Eccli. 37. v. 32.*

In

In multis escis erit infirmitas, qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccli. 37. v. 33. & 34.*

Propter crapulam multi obierunt. *Eccli. 37. v. 34.*

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. *Joan. 4. v. 34.*

Servus Christi non vivit, ut comedat, sed comedit, ut vivat, & serviat Christo.

Sobrii estote, & vigilate; quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. *1. Petri, cap. 5. v. 8.*

Discurrendō, & loquendō cum proximo.

31. Spiritûs Sancti Gratia illuminet sensus & corda nostra. *Ecclesia.*

Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet os meum in verba malitiæ. *Eccl.*

Domine JESU, per sanctissimam conversationem tuam adjuva me, ut non delinquam in lingua mea.

Plurimùm etiam juvat, ante, & in discursu breviter invocare Angelum Custodem proprium, & illius, cui conversamur, ut quivis ad bonum finem intentum illuminetur, moveatur, & dirigatur, atque à malo quovis, præsertim linguæ, custodiatur.

Dum Superior loquitur tibi, cogita.

32. Qui vos audit, me audit. *Luc. 10. v. 16.*

Loquere Domine, quia audit servus tuus. *1. Reg. 3. v. 10.*

Si adversi aliquid tibi contingit, aut pati debes, cavens murmurationem & impatientiam, humiliter, & patienter dic unum, aut plura ex sequentibus.

33. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. *Job. 1. v. 21.*

Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus. *Job. 2. v. 10.*

Momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2 Corinth. 4. v. 17.*

Modica passio, gloria infinita. *S. P. Franc.*

Nónne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? *Luc. 24. v. 26.*

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat cru-

crucem suam quotidie,& sequatur me. *Luc. 9. v. 23.*

Si erit malum in civitate,quod Dominus non fecerit. *Amos. cap. 3. v. 6.*

Obmutui, & non aperui os meum,quoniam tu fecisti. *Psalm. 38. v. 10.*

Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. *Act. 14. v. 21.*

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *ad Rom. 8. v. 18.*

Si humiliaris, postponeris &c.

34. Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliâsti me. *Psalm. 118. v. 75.*

Priusquam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. *Psalm. 118. v. 67.*

Si propter veritatem, justitiam, aliâmve virtutem pateris.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth. 5. v. 10.*

Omnes, qui piè volunt vivere in Christo JEsu, persecutionem patientur. *2. Timoth. 3. v. 12.*

Beati estis, cùm maledixerint vobis, & dixerint omne malum adversùm vos, gaudete,& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis. *Matth. 5. v. 11. & 12.*

Non est servus major Dominô suô; si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Joan. 15. v. 20.*

Ibant (Apostoli) gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt,pro nomine JESU contumeliam pati. *Act. 5. v. 41.*

Quando nimiùm affligi, & periclitari te putas, ad Deum clamare poteris.

36. Quot sunt dies servi tui? quando facies de persequentibus me judicium? *Psalm. 118. v. 84.*

Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. *Ibid. v. 134.*

Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. *Matth. 26. v. 39.*

Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis. *1. Cor. 10. v. 13.*

Contra quascunque Tentationes ad peccatum.

37. Deus in adjutorium meum in-

intende, Domine ad adjuvandum me festina. *Psalm. 69. v. 2.*

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. *Matth. 6. v. 13.*

Tuus sum ego, salvum me fac. *Psalm. 118. v. 94.*

Adjuva me, & salvus ero. *ibid. v. 117.*

Si Tentationes magis urgent, & difficiles superatu sunt.

38. Non coronatur, nisi qui legitimè certaverit. *2. Tim. 2. v. 5.*

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11. v. 12.*

Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius. *Gen. 4. v. 7.*

Tantùm proficies, quantùm tibi ipsi vim intuleris. *Thom. Kemp. L. 1. c. 25.*

Domine vim patior, responde pro me. *Isa. 38. v. 14.*

Domine Deus, volo potiùs mori, vel omne malum subire, & sustinere, omníque bonô privari, & carere, quàm te offendere.

Detestor, abominor omne peccatum, & protestor contra omnem in illud consensum.

Nolo ô JESU! nolo: id solum, quod tu vis, mi Deus! volo; & quod non vis, hoc nolo.

Contra Tentationes superbiæ, & in odium illius.

39. Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia. *Eccli. 10. v. 7.*

Qui se exaltat humiliabitur. *Luc. 14. v. 11.*

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *1. Petri, 5. v. 5.*

Initium omnis peccati est superbia; qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem. *Eccli. 10. v. 15.*

Abominatio Domini est omnis arrogans. *Prov. 16. v. 5.*

Dies Domini super omnem superbum, & excelsum, est arrogantem, & humiliabitur. *Isa. 2. v. 12.*

Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. *Prov. 11. v. 2.*

Quid superbit terra & cinis? *Eccli. 10. v. 9.*

Non veniat mihi pes superbiæ. *Psalm. 35. v. 12.*

Contra Jactantiam, superbiæ filiam.

40. Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti,

 quid

quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. *Cor. 4. v. 7.*

Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nôsse me. *Jer. 9. v. 23. & 24.*

Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua. *Prov. 27. v. 2.*

Melior est, qui abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane. *Eccli. 10. v. 30.*

Contra vanam Gloriam.

41. Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam. *Psalm. 113. v. 9.*

Soli Deo honor & gloria. 1. *Tim. 1. v. 17.*

Væ! qui sapientes estis in oculis vestris. *Isa. 5. v. 21.*

Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. *Matth. 6. v. 2.*

Tibi Domine justitia, nobis autem confusio. *Daniel. 9. v. 7.*

Contra Desiderium & curam placendi hominibus, ac timorem eis displicendi.

42. Si hominibus placerem, Christi servus non essem. *Gal. 1. v. 10.*

Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. *Psalm. 52. v. 6.*

Nolite conformari huic sæculo. *Rom. 12. v. 2.*

Nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. *Jacob. 4. v. 4.*

Nemo potest duobus dominis servire. *Matth. 6. v. 24.*

Obedite in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Domino, & non hominibus. *Ephes. 6. v. 5. & 6.*

Contra Suspiciones, & judicia temeraria.

43. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit. *Rom. 14. v. 4.*

Nolite ante tempus judicare, quousque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo. 1. *Cor. 4. v. 5.*

Si

Si contra te insurgunt malæ suspiciones, & judicia temeraria.

44. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. *1. Cor. 4. v. 3.*

Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *2. Cor. 1. v 12.*

Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. *Matth. 6. v. 6.*

Reddet unicuique secundùm opera ejus. *Matth. 16. v. 27.*

Unusquisque, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino. *Ephes. 6. v. 8.*

Semel locutus est Deus, duo hæc audivi: quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia; quia tu reddes unicuique juxta opera sua. *Psalm. 61. v. 12. & 13.*

Contra Avaritiam.

45. Avarô nihil est scelestius. *Eccli. 10. v. 9.*

Beatius est magìs dare, quàm accipere. *Act. 20. v. 35.*

Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parâsti, cujus erunt? *Luc. 12. v. 20.*

Contra Invidiam.

46. Putredo ossium invidia. *Prov. 14. v. 30.*

Qui ruinâ lætatur alterius, non erit impunitus. *Prov. 17. v. 5.*

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. *Gal. 5. v. 26.*

Contra Iracundiam.

47. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccle. 7. v. 10.*

Ira viri justitiam Dei non operatur. *Jacob 1. v. 20.*

Contra Tentationes vindictæ.

48. Non vosmetipsos defendentes Charissimi! sed date locum iræ: scriptum est enim; mihi vindicta, ego retribuam. *Rom. 12. v. 19.*

Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. *Matth. 5. v. 44. & 45.*

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. *Psalm. 7. v. 5.*

Domine ne statuas illis hoc peccatum. *Act 7. v. 59.*

Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. *Luc. 23. v. 34.*

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis. *Ephes. 4. v. 31.*

Zelus & iracundia minuunt dies. *Eccli. 30. v. 26.*

Sol non occidat super iracundiam vestram. *Ephes. 4. v. 26.*

Ira & indignatio in se, & in aliis impediunt Charitatem. *Reg. c. 7.*

Contra Luxuriam.

49. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos. *Ephes. 5. v. 3.*

Induimini Dominum JEsum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. *Rom. 13. v. 14.*

In Occursu Mulierum, vel Conversatione cum illis.

50. Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. *Job. 31. v. 1.*

Contra Gulam.

51. Non est enim Regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. *Rom. 14. v. 17.*

Noli propter escam destruere opus Dei. *ibid. v. 20.*

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. *Joan. 4. v. 34.*

Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. *Eccli. 37. v. 32.*

In multis escis erit infirmitas. *v. 33.* propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *v. 34.*

Contra Acediam, pigritiam, tepiditatem, & otium.

52. Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. *Jerem. 48. v. 10.*

Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc. 3. v. 15. & 16.*

Dum tempus habemus, operemur bonum. *Gal 6. v. 10.*

Reddet unicuique secundùm opera ejus. *Matth. 16. v. 27.*

Contra Multiloquium & alia vitia Linguæ.

53. In multiloquio non deerit peccatum. *Prov. 10. v. 19.*

Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Prov. 21. v. 23.*

Mors & vita in manu linguæ. *Prov 18. v 21.*

Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent ratio-

rationem de eo in die judicii. *Matth.* 12. *v.* 36.

Si quis putat se Religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est Religio. *Jacob.* 1. *v.* 26.

Verbum dulce multiplicat amicos. *Eccli* 6. *v.* 5.

Respondete obsecro absque contentione. *Job.* 6. *v.* 29.

Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. *Prov.* 13. *v.* 3.

Contra Detractionem.

54. Audîsti verbum adversùs proximum tuum, commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet. *Eccli.* 19. *v.* 10.

Remove à te os pravum, & detrahentia labia sint procul à te. *Prov.* 4. *v.* 24.

Abominatio hominum detractor. *Prov.* 24. *v.* 9.

Detractores DEO odibiles. *Rom.* 1 *v.* 30.

A detractione parcite linguæ. *Sap.* 1. *v.* 11.

Sequuntur Preces & Affectus Jaculatorii de Virtutibus.

De Fide.

55. Sinè fide impossibile est placere Deo. *Hebr.* 1. *v.* 6.

Justus ex fide vivit. *Rom.* 1. *v.* 17.

Fides sinè operibus mortua est. *Jacob.* 2. *v.* 20.

Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. *Marci.* 9. *v.* 22.

Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. *ibid. v.* 23.

Adauge nobis fidem. *Luc.* 17. *v.* 5.

De Spe in Deum

Theologica, seu Desiderio habendi Deum, eóque fruendi.

56. ET nunc quæ est expectatio mea? nónne Dominus? *Psalm.* 38. *v.* 8.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Psalm.* 41. *v.* 2.

Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? *Psalm.* 72. *v.* 25.

Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum. *ibid. v.* 26.

Clamavi ad te Domine, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Psal.* 141. *v.* 6.

Deus meus & omnia; Deus meus & omnia. *S. P. Franc.*

Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. *Phil.* 1. *v.* 23.

De

De spe, & fiducia in DEI Misericordiam.

57. MIserator, & misericors Dominus, longanimis, & multùm misericors. *Psalm.* 102. *v.* 8.

Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum. *ibid. v.* 17.

Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus. *Psal.* 144. *v.* 9.

Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat. *Ezech.* 33. *v.* 11.

Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentiâ. *Luc.* 15. v. 7.

Non veni vocare justos, sed peccatores. *Matth.* 9. *v.* 13.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se; quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. *Psal.* 102. *v.* 13. & 14.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. *Psal.* 41. *v.* 12.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. *Psal.* 24. *v.* 11.

Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. *Psal.* 16. *v.* 7.

Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit. *Psalm.* 31. *v.* 10.

In te Domine speravi, non confundar in æternum. *Psalm.* 30. *v.* 2.

Tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. *Psalm.* 85. *v.* 5.

De Fiducia, seu Confidentia purè in Deum.

58. Beatus vir, cujus est Nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. *Psalm.* 39. *v.* 5.

Qui sperat in Domino, beatus est. *Prov.* 16. *v.* 20.

Respicite filii nationes hominum, & scitote; quia nullus speravit in Domino, & confusus est. *Eccli.* 2. *v.* 11.

Non est confusio confidentibus in te. *Daniel.* 3. *v* 40.

Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. *Psalm.* 36. *v.* 5.

Nolite omittere confidentiam,

tiam, quæ magnam habet remunerationem. *Hebr.* 10. *v.* 35.

Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus. *Psalm.* 146. *v.* 11.

Cùm exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo. *Psalm.* 2. *v.* 13.

Domine virtutum, beatus vir, qui sperat in te. *Psalm.* 83. *v.* 13.

Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Psal.* 141. *v.* 6.

Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ab omnibus persequentibus me, & libera me. *Psal.* 7. *v* 2.

Domine spes mea tu in die afflictionis. *Jerem.* 17. *v.* 17.

In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est. *Psal.* 61. *v* 8.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Job.* 13. *v.* 15.

Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. *Jerem* 17. *v.* 7.

De Amore Dei.

59. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. *Matth.* 22. *v.* 37.

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans. Et si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. *Cor.* 13. *v.* 1. *& seqq.*

Super omnia autem charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis. *Coloss* 3. *v.* 14.

Filioli mei, non diligamus verbô, neque linguâ, sed opere & veritate. 1. *Joan.* 3. *v* 18.

Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. 1. *Joan.* 5. *v.* 3.

Si diligitis me, mandata mea servate. *Joan.* 14. *v.* 15.

Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. *Joan.* 14. *v.* 21.

Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. *Rom.* 8. *v.* 28.

Diligam te Domine fortitudo mea. *Psalm.* 17. *v.* 2.

Domine tu scis, quia amo te. *Joan.* 21. *v.* 15.

De Dilectione Proximi.

60. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. *Matth.* 22. *v.* 39.

Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum. 1. *Petri.* 4. *v.* 8.

Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. *Matth.* 4. *v.* 12.

Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias. *Tob.* 4. *v.* 16.

Qui diligit proximum, legem implevit; plenitudo ergo legis est dilectio. *Rom.* 13. *v.* 8. & 10.

Diligere proximum sicut seipsum, majus est omnibûs holocautomatibûs, & sacrificiis. *Marci.* 12. *v.* 33.

Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. *Psalm.* 132. *v.* 1.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Gal.* 6. *v* 2.

De Dilectione Inimicorum.

61. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. *Matth.* 5. *v.* 23.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones congeres super caput ejus. *Rom.* 12. *v.* 20.

Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. *v.* 21.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccli.* 28. *v.* 2.

De Dolore & Contritione ob Peccata nostra.

62. Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc.* 15. *v.* 21.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. *Psalm.* 50. *v* 3.

Quoniam iniquitatem cognosco, & peccatum meum contra me est semper. *v.* 5.

Circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem: multiplicatæ sunt super capillos capitis, & cor meum dereliquit me. *Psalm.* 39. *v.* 13.

Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domine ad adjuvandum me respice. *v.* 14.

Pec-

Peccavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui; quia stultè egi nimis. 2. *Reg.* 24. *v.* 10.

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, *Jerem.* 9. *v.* 1. ut defleam peccata mea, die ac nocte.

Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. *Psalm.* 50. *v.* 13.

Si iniquitates meas observaveris Domine; Domine quis sustinebit? *Psalm.* 129. *v* 3.

Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo. *Psalm.* 18. *v.* 13. & 14.

Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. *Psalm.* 24. *v.* 7.

Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc.* 18. *v.* 13.

Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. *Psalm.* 50. *v* 19.

Parce Domine, parce populo tuo. *Joël.* 2. *v.* 17.

Loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo, noli me condemnare. *Job.* 10. *v.* 1. & 2.

Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Psalm.* 40. *v.* 5.

Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. *Thren.* 3. *v.* 22.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum; quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori. *Psalm.* 85. *v.* 12. & 13.

De Resignatione in Divinam voluntatem.

63. Dominus est quod bonum est in oculis suis, faciat. 1. *Reg.* 3. *v.* 18.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach.* 3. *v* 60.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti. *Psalm.* 38. *v* 10.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. *Job* 1. *v.* 21.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra. *Matth.* 6. *v.* 10.

Justus es Domine, & rectum judicium tuum. *Psalm.* 118. *v.* 137.

Pro speciali Consolatione justorum, & Deum timentium.

64. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis. *Psalm.* 111. *v.* 1.

 Gloria

Gloria & divitiæ in domo ejus. *Psalm*. 111. *v*. 3.

Omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur. *Psalm*. 1. *v*. 3.

Timete Dominum, quoniam non est inopia timentibus eum. *Psalm*. 33. *v*. 10.

Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omnî bonô. *Psalm*. 33. *v*. 11.

Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas. *Psalm*. 36. *v* 16.

Justus ùt palma florebit. *Psalm*. 91. *v*. 13.

Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. *Sap*. 3. *v* 1.

Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis. *Eccli*. 33. *v*. 1.

Dicite justo, quoniam bene. *Isa*. 3. *v*. 10.

Deus voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos. *Psalm*. 144. *v*. 19.

Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum. *Eccli* 1. *v*. 12.

Timenti Dominum bene erit in extremis. *v*. 13.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Psalm*. 115. *v*. 15.

Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. *Psal*. 36. *v*. 35.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. *Psalm*. 30. *v*. 20.

Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. *Psalm*. 118. *v* 103.

Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. *v*. 651.

Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum. *Rom*. 8. *v*. 28.

Pro sancto Timore, qui malè vivunt, ac motivo emendationis eorum.

65. Injusti punientur, & semen impiorum peribit; justi autem hæreditabunt terram. *Psalm*. 36. *v*. 28. & 29.

Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum, vultus autē Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum. *Psalm*. 33. *v*. 16. & 17.

Odio

Odio sunt Deo impius, & impietas ejus. *Sap.* 14. *v.* 9.

Abominatio est Domino via impii. *Prov.* 15. *v.* 9.

Egestas à Domino in domo impii. *Prov.* 3. *v.* 33.

Memoria justi cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. *Prov.* 10. *v.*7.

Impii replebuntur malô. *Prov.* 12. *v.* 21.

Non est pax impiis, dicit Dominus. *Isa.* 57. *v.* 21.

Longè à peccatoribus salus; quia justificationes tuas non exquisierunt. *Psal.* 118. *v.* 155.

DEUS dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod cœperant. *Job.* 5. *v* 12.

Hæc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Job.* 20. *v.* 4. & 5.

Si ascenderit usque ad cœlum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, &, qui eum viderant, dicent, ubi est? *v.* 6. & 7.

Inimici Domini, mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient. *Psalm.* 36. *v.* 20.

Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; transivi, & ecce non erat. *v.* 35. & 36.

Injusti punientur, & semen impiorum peribit. *v.* 28.

Etiamsi dixero justo, quòd vitâ vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. *Ezech.* 33. *v.* 13.

Pro Consolatione eorum, qui convertunt se, & agunt pœnitentiam.

66. Si impius egerit pœnitentiã ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor. *Ezech.* 18. *v.* 21.

Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. *Ezech.* 33. *v.* 12.

Si dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, & in mandatis meis ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum, vitâ vivet, & non morietur. *v.* 14. & 15.

Similes preces, affectus, & sententias jaculatorias innumeras passim in Scriptura, præsertim in Psalmis invenietis, & observabitis Charissimi, si devotè, & attentè vestrum Officium Divinum persolvitis.

Appendix
De
Principiis Practicis circa Preces Jaculatorias.

Principium I.

67. QUamvìs preces & affectus jaculatorii frequentiores, ferventiores esse debeant apud eos, qui sunt in via unitiva, vel magìs jam ab inordinatis passionibus, & affectibus liberi, magísque in virtutibus exercitati, tamen summè utile, & conducens est, ad illas statim à novitiatu se assuescere, & primìs conversionis suæ annìs, per frequentatos actus habitum, illas devotè exercendi, acquirere.

Principium II.

68. SEdulò conari, ut certas aliquas preces, seu affectus jaculatorios, præsertim illos, qui magìs sunt pro devotione, aut gustu nostro spirituali, aut qui à Magistro, vel Directore spirituali præscribuntur, pro certis occasionibus, & actionibus, successivè memoriter discamus, nobísque familiares reddamus.

Principium III.

69. QUotidie unam vel alteram materiam assumere, & determinare in *meditatione*, illámque de die sæpiùs revolvere per breves aspirationes hunc in finem selectas.

Principium IV.

70. SPecialiter assuescere preces jaculatorias pro facienda, repetenda, & continuanda bona intentione.



CAPUT

CAPUT XVI.

De Lectione Spirituali.

NOn immeritò post Meditationem, seu Orationem mentalem & vocalem, nec non preces jaculatorias agitur de Lectione spirituali; quia præter plurimos effectus & fructus, etiam illum producit, quòd meditationem, ac orationem quamlibet mirè facilitet, & adjuvet, prout patebit ex dicendis.

§. I.

De Præstantia & Utilitate Lectionis Spiritualis.

1. QUæritur I. Quid, & quotuplex sit Lectio spiritualis? Resp. I. Lectio spiritualis est, & dicitur illa Lectio, qua Sacram Scripturam, vel Sanctos Patres, vel Doctores, vel Scriptores de materia ascetica tractantes ritè legimus, ut DEUM, vel voluntatem ipsius, bonúmque, & malum in cunctis debitè cognoscamus, cognitámque Dei voluntatem, & bonum amemus, ac faciamus; malum verò odiô habeamus, & declinemus. Patet descriptio ex terminis, & adhuc magìs patebit ex dicendis. Solùm interea ex hac descriptione collige, finem lectionis spiritualis non in hoc solo consistere, ut ea, quæ legimus, sciamus, & bene cognoscamus, sed etiam, & principaliter, ut juxta cognitionem acquisitam operemur, voluntatémque Divinam cognitam, amandô, & prosequendô bonum, ac odiendô, & fugiendô malum cognitum, faciamus.

2. Resp. II. Lectio spiritualis præcipuè dividitur in ordinariam, & extraordinariam. *Ordinaria* est, quæ juxta propriam divisionem temporis, vel Superiorum, aut Statutorum ordinationem quotidie à quolibet virtutis, & perfectionis amante, per ali-

aliquod temporis-spatium fieri solet, ac debet. *Extraordinaria* est, quæ præter ordinariam, ob speciales causas, & rationes, certísque in occasionibus, & temporibus instituitur; ac plerumque diutiùs continuatur; prout fieri solet, si aliqua adversitas, tribulatio, vel tentatio id exigit, dum remedium, vel consolationem in lectione quærimus: item, si hîc, & nunc scitu magìs necessaria materia ascetica, virtutis, v. g. vel vitii, modi aut praxis orandi, meditandi, pugnandi &c. talem Lectionem requirit: item tempore Exercitiorum annuorum, vel diebûs Festivìs, quibûs ab alio labore & occupatione, magìs vacare, piísque actibus, ac lectioni sacræ magìs incumbere convenit.

3. Quæritur II. An, & quàm præstans, & utilis sit Lectio spiritualis? Resp. Lectio spiritualis summæ præstantiæ, summæque, ac tantæ utilitatis est, ut omnes SS. Patres & Ascetæ eam tanquam summè utilem, quin & necessariam cuivis summopere commendent, præcedente in hoc Spiritu Sancto per Apostolum Paulum Timotheo, & cuivis alteri suadente *1. ad Timoth. 4. v. 13. & 14. Attende Lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est*, per occasionem *legendi à DEO oblatam*; nam *omnis scriptura Divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum &c. 2. Tim. 3. v. 16.*

4. Ratio multiplex, & quidem *Prima* est, quòd Lectio spiritualis post orationem præstantissimum Remedium sit acquirendi summè utilem, ac necessariam cognitionem Dei, & Divinorum, boni, & mali, aliorúmque ad vitia extirpanda, ad amorem Dei, virtutésque; & perfectionem assequendam. Ex qua cognitione ad boni amorem, & prosecutionem, mali verò odium & fugam dirigimur; cùm enim voluntas ex se cæca dependeat à cognitione prævia, palàm est, quòd, si intellectus mediante Lectione debitam præfatorum cognitionem acquirat, voluntatíque proponat, hæc pro diversitate cognitionis ad actus proportionatos facilè moveatur, bonum amet, & prosequatur: malum autem odiô habeat, ac fugiat, & quidem eò magìs, quo majorem cujusvis cognitionem legendô acquirit.

5. *Secunda* Ratio est; quia tol-

lit non tantùm ignorantiam, sed corrigit etiam nostram à peccato originali corruptam, falsísque diaboli, mundi, & carnis persuasionibûs deceptam phantasiam, aufértque ab eo summè nocivos errores, & falsas opiniones, clarè nobis remonstrandô Dei mandata & præcepta, quæ priùs observatu difficilia putabamus, esse revera facilia, & jucunda, juxta illud Christi *Matth. 11. v. 30. Jugum meum suave est, & onus meum leve*: viam quoque virtutis, ac perfectionis, quam fortè hactenus tristem, melancholicam, & tædiosam opinabamur, & ùt talem aversabamur, esse verâ lætitiâ & consolatione plenam, ita, ut legens plenus admiratione, & consolatione priorem errorem, falsámque imaginationem non tam agnoscere, quàm palpare, & in veritate fateri debeat, nunc exclamandô cum Propheta *Psalm. 118. v. 103. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super meli ori meo. Psalm. 30. v. 20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Planè *Psalm. 118. v. 165. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* certè *Judicia tua jucunda. ibid. v. 39.* quàm verè dicis: *Jugum meum suave & onus meum leve*, & quàm verum est illud: *Dicite justo, quoniam bene. Isa. 3. v. 10.* præsertim, quia *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 9. v. 28. Bonum mihi Lex oris tui super millia auri & argenti. Psal 118. v. 72. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. v. 14. Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas. Psalm. 36. v. 16.* atque debitè legendô hæc semper magìs cognoscet, & penetrabit.

6. Quia (quod pro *tertia* ratione stat) dum spiritualia ritè legimus, nobiscum loquitur Deus, & specialia impertitur lumina, variísque gratiis, & instinctibûs ad omne bonum legentem movet, & excitat; nam juxta communem SS. Patrum & Ascetarum, *Cùm oramus, cum DEO loquimur; cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur*: uti docet S. Isidorus *de summo Bono. Lib. 3. cap. 8. Illum alloquimur, cùm oramus, illum audimus, dum Divina legimus oracula*, inquit S. Ambros. *Lib. 1. Offic. c. 20.* & S. Hieron. *ad Eustochium. Ep. 22. cap.* 11. *Oras? loqueris ad sponsum. Legis? ille tibi loquitur.* & S. Climacus *Grad. 27. Solet lectio non mediocriter illuminare, atque colligere*

mentem; verba enim sunt Sancti Spiritus, accedentésque ad se omnino dirigunt, & moderantur.

7. *Quarta* Ratio est; quia Lectio spiritualis ad Meditationem ritè, & fructuosè instituendam specialiter juvat, eámque plurimùm facilitat. Hoc ipso enim, quòd juxta paulò ante dicta mediante Lectione spirituali cunctarum rerum spiritualium notitiam semper magìs, ac magìs acquiramus, atque memoria, & phantasia bonîs speciebûs, cogitationibúsque de rebus spiritualibus, & ad meditandum scitu necessariis, aut valde conducentibus imbuatur, facile exinde est intellectui, de iisdem meditari, ac discurrere, voluntatíque rationes, motiva, principia, media, aliáque ad movendum utilia, ac necessaria proponere, quibûs voluntas faciliùs movetur, ut convenientes actus producat, proposita, & resolutiones faciat. Dum econtra, ubi ex defectu lectionis spiritualis intellectus nullam, vel modicam, minúsque sufficientem rerum spiritualium notitiam habet, memoria insuper & phantasia paucîs, iísque debilibûs, & minimè sufficientibûs bonîs speciebûs, & cogitationibûs pollet, malîs verò aut profanîs, ac inutilibûs repleta abundat, utique difficile erit intellectui de Divinis, & spiritualibus rebus meditari, & discurrere, ipsáque voluntas ad bonos actus, & effectus, resolutiones & proposita minùs apta apparebit, aut disposita, cùm intellectus sufficienter non sciat, nec habeat, quæ meditandô, & discutiendô voluntati proponat, aut quibûs ipsam ad præfatos actus moveat.

8. Et hæc est una ex causis principalibus, quare Novitii, aliíque Tyrones, ac Juvenes Religiosi ab initio plerumque satìs magnam in meditando experiuntur difficultatem, & sterilitatem; quæ postmodum paulatim minuitur, & successivè tollitur, dum per quotidianam Lectionem spiritualem, & studium Asceticum, semper major notitia rerum spiritualium acquiritur, & deletîs, aut diminutîs, vel debilitatîs speciebûs terrenîs phantasia, & memoria spiritualibûs repletur, aut saltem sufficientibûs imbuitur: quod ipsum in vita sua fatetur S. Theresia dicens, se ob defectum sufficientis rerum spiritualium notitiæ, maximam ab initio

tio

tio sensisse difficultatem, quæ tandem diminuta, & sublata est, dum quotidiana lectione sufficientem rerum spiritualium notitiam successivè acquisivit.

9. Ob has itaque, & similes rationes SS. Patres, & Ascetæ lectionem spiritualem summis laudibus extulerunt, eámque quotidianam cuivis summopere suaserunt, & commendârunt, adeò, ut textibus, & sententiis illorum, quibus Lectionem spiritualem commendant, integrum librum implere possemus. Juvat hìc aliquot saltem adducere.

10. S. Joan. Damascenus *Lib. 4. Orthod. Fid. cap. 18.* ait: *Nihil animarum saluti conducibilius est, quàm Divinas Scripturas perscrutari.* S. Hieron. *ad Demetriadem Virg. Ep. 8. cap. 5. Unum illud tibi, præq; omnibus unum prædicam; & repetens iterúmque, iterúmque monebo, ut animum tuum sacræ Lectionis amore occupes.* Idem ad Rusticum Monachum *Ep. 4. cap. 5. Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber, & animus Lectione saturetur: ama scientiam, & carnis vitia non amabis.* Nam, ùt ad propositum ait S. Isidorus supra *n. 6.* citatus: *Omnis profectus ex lectione procedit, quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ autem didicimus, meditationibus conservamus.* S. Chrysost. *Homil. 31. in Joan.* inquit: *Perspicuum est, spirituali Lectione animam sanctificari, & gratiam Spiritûs S. affatim affundi.* S. Augustinus *Epist. 3. ad Volusianum. Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximò otiô, summô studiô, meliore ingenio conarer addiscere.* Plura similia partim invenies, præsertim *in Pharetra* S. Bonaventuræ *Lib. 4. cap. 32. de Lectione.*

11. Demonstratur ulteriùs, & confirmatur grandis præstantia, & utilitas Lectionis spiritualis per optimos effectus, & fructus, quos in cunctis viris sanctis, & perfectis producit, ac teste experientiâ in quovis ritè legente etiamnum ubique producit. Omissis aliis, unum, alterúmve videamus exemplum.

12. S. Gregorius Nazianzenus *Orat. 20 n. 99.* fatetur, se ex lectione scriptorum asceticorum S. Basilii in alium planè mutatum esse Virum; ait enim, *Cùm orationes eas, quas de moribus, & benè vivendi ratione scripsit, in manus accipio, animo, & corpore purgor, templúmque Dei capax efficior, atque*

instrumentum musicum à Spiritu S. pulsatum, Divinámque gloriam & potentiam canens. Per eas corrigor, & concinnor, atque Divina quadam immutatione alius ex alio efficior.

13. S. Augustinus ex unica lectione Epistolæ S. Pauli potissimùm conversus fuisse fertur; quin de se ipso testatur *Lib. 8. Confess. cap. 12.* cùm enim in hortulum secedens, de proxima domo vocem quasi pueri ad se clamantis audîsset: *Tolle, lege, tolle, lege.* hoc sibi divinitus dictum credens statim surrexit, arripuítque Sacram Scripturam, & legit in ea, quod primò se obtulit, illud nempe ex Epistola S. Pauli *ad Rom. 13. v. 13. & 14. Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis &c. sed induimini JEsum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis:* & mox quasi luce serenitatis cordi infusa omnis dubitationis tenebras sensit diffugere.

14. De S. P. N. Francisco ex Ordinis Chronicis scimus, quòd, cùm ex libro Evangelii trina vice aperto legisset *Matth. 19. v. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus:* resolverit se vitam Evangelicam juxta vitam, & doctrinam JESU Christi inchoare.

15. Notum est etiam de S. Ignatio Loiola, quòd ex fortuita piorum Librorum Lectione occasione vulneris, in propugnatione Pampelonensi accepti, ad Christi, Sanctorúmque sectanda vestigia, & serviendum soli DEO ita fuerit accensus, ut resolutionibûs heroicîs factis Societatem Jesu instituerit.

16. De S. Theresia meminit Breviarium, quòd, cùm tenera adhuc ætate Sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeò S. Spiritûs ignis in ea exarserit, ut domo aufugiens in Africam trajiceret, ubi vitam pro gloria JESU Christi, & animarum salute profundere in votis erat.

17. Similia exempla de ingenti, & mirabili fructu ex Lectione spirituali hausto, plurima passim inveniuntur, à quibus recensendis brevitatis causâ, ac ideo etiam supersedemus; quia quivis, etiam ex vobis Charissimi vel jam nunc, vel brevi tempore experientiâ doctus fatebitur, quòd ex lectione sacra ritè instituta plerumque, vel saltem sæpe, magnum, ac subinde etiam majorem;

rem, quàm ex Meditatione reportaverit fructum.

18. Hinc in omnibus ferè sacris Religionibus (utì ex Regulis vel Statutis ipsarum patet) sancitum habetur, ut quivis Religiosus singulîs diebûs certo aliquo tempore lectioni spirituali sedulò vacet.

§. II.

De praxi fructuose, & debitè instituendi Lectionem Spiritualem.

19. QUæritur I. Quomodo in praxi ritè instituenda sit Lectio spiritualis: seu, quid observandum in praxi, ut debitè, & desiderato cum fructu Lectio spiritualis fiat? Ante responsionem notate Charissimi causam, ob quam multi ex lectione spirituali sæpe vel nullum, vel modicum hauriunt fructum, indéque eam vel parùm, vel nihili æstimant, ac propterea illam quasi inutilem minùs frequentant, facilè negligunt, vel omnino etiam nauseant, potissimùm in hoc consistere, quòd lectionem spiritualem modô debitô non instituant, pro quo edocendo

20. Resp. Ad Lectionem spiritualem ritè, & fructuosè instituendam, quædam in praxi sunt observandæ conditiones & regulæ ante lectionem, aliquæ sub illa, & aliquæ post illam.

21. *Ante Lectionem* sequentes sunt observandæ. *Prima est* recta intentio; sicut enim ad omne aliud bonum opus, ita etiam ad lectionem spiritualem, ut bonum, Deóque gratum, & nobis utile opus sit, recta, seu bona requiritur intentio, quæ præter illam universalem, videlicet, *Quia Deus vult, quia placet Deo &c.* specialiter in hoc consistit, ut debitam & sufficientem Dei, ejúsque voluntatis, Divinarúmque legum, nec non aliarum rerum, ad virtutes, & perfectionem assequendas, Deóque perfectè serviendum scitu necessariam, aut conducentem notitiam acquiramus, & firmemus, simúlque ad Deum amandum, voluntatémque ipsius, omne bonum cogni-

tum faciendum, malum autem declinandum, seu ad Deo perfectè serviendum moveamur, ac inducamur, sícque instructi conformiter operemur: ut proin finis, & motivum Lectionis spiritualis non solùm sit scire, quomodo Deum cognitum amare, eíque servire, & voluntatem ipsius adimplere, à malo declinare, & bonum facere possimus, & debeamus; sed etiam, ut ad hæc in opere præstanda juxta cognitionem haustam moveamur, eáque re ipsâ adimpleamus.

22. *Secunda est.* Bonum desiderium, & aviditas, seu fames quædam spiritualis acquirendi in cunctis necessariam, & proficuam notitiam ex Lectione spirituali, & ex illa proficiendi, cum bona voluntate, & proposito juxta cognitionem Lectione spirituali acquisitam operandi, & vivendi: nam, *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth. 5. v. 6.* dum econtra fastidiosi dimittuntur, & relinquuntur inanes: unde de cœlesti sapientia, rerúmque Divinarum, & spiritualium cognitione dicitur *Sap. 6. v. 13. 14. & 18. Facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat: initium enim illius verissima est disciplina concupiscentia.* Hinc ad Danielem Prophetam, cupidum scire, & cognoscere mysteria Divina, præsertim verò circa Messiam venturum, Angelus missus ait: *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Dan. 9. v. 23.*

23. Contra utramque conditionem hanc errant, indéque ex lectione spirituali nullum, vel exiguum fructum hauriunt, qui absque supradicta bona intentione, & bono desiderio, ac proposito libros etiam optimos, & sanctissimos legunt ex tepida consuetudine, coacta necessitate, vel ex sola curiositate, magis scire, quàm juxta ea, quæ legerunt, operari avidi, vel qui cum tædio, & fastidio, solâ temporis fallendi gratiâ libros asceticos volvunt, & perlustrant.

24. *Tertia Conditio* est prævia, & intermedia devota, & humilis, ac fiducialis cum totali sui diffidentia, & confidentia in Deum brevis oratio, seu invocatio gratiæ, & auxilii Divini; sicut enim ad cuncta alia ritè, & perfectè agenda præstantissimum, quin & necessarium medium est oratio,

tio, ita & ad Lectionem spiritualem.

25. Errant proin I. Qui vel curiositate, vel ex inordinato affectu citò lectionem inchoandi, vel ne tempus aliquod perdant, aut ex mala consuetudine lectionem spiritualem absque ulla, vel non nisi cum tepida, distracta, & perfunctoria oratione, seu invocatione prævia Divini auxilii Lectionem peragunt.

26. Errant II. adhuc magìs, qui ideo orationem præviam omittunt, quia in se, suisque talentis, & ingenio confidentes, cuncta sibi & intellectu, & captu facilia æstimant, non attendentes, quòd nec minimum, imò prorsus nihil, utì oportet, facere possimus sinè Dei gratia, juxta illud: *Sinè me nihil potestis facere. Joan. 15. v. 5.*

27. Errant III. & quidem maximè, qui superbô, & elatô, fastidiosô, vel certè minùs humilì animô spiritualia legunt, authorem vel stylum, aut methodum spernendô, vel vilipendendô, vel seipsos doctiores, & rem magìs intelligentes reputandô, indéque cogitandô, se ab isto authore, vel libro, sibi præscripto parùm, vel nihil fructûs haurire, aut discere posse: cùm potiùs quivis humiliter de se credere posset, ac deberet, se plura adhuc ignorare, & ex quovis, præsertim ex dispositione Divina, & Superiorum sibi designato libro aliquid discere posse, eò quòd Deus nunquam uni soli omnia dona tribuat, ita, ut pro majori humilitate unus ab alio edoceri, & discere non embescat.

28. Cæterùm elati hujusmodi de se præsumentes, & doctrinæ aliorum contemptores, hoc ipso, quòd illam nôn æstiment, ex Lectione spirituali nullum fructum reportant; præcipuè, quia etiam Deus illis tanquam superbis resistit, & tam donum illuminationis ex parte intellectûs, quàm efficacis motionis, & impulsûs ex parte voluntatis inter legendum eis deneget, ut videntes non videant, & legentes, vel legi audientes non intelligant: unde Christus *Matth. 11. v. 25. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

29. *Inter legendum* sequentes conditiones & regulæ sunt observandæ. *Prima* est, ut attentè, & tractim legatur, ídque, quod legi-

legitur, bene expendatur, & quasi ruminetur, ac propterea subinde aliqua (præsertim, quæ magìs ad propositum serviunt, utiliora, aut magìs penetrantia videntur) denuo, & reflexè relegantur, indéq; non multa simul, sed modica legantur, ut sic lecta non tantùm capiantur, & penetrentur, sed memoriæ magìs imprimantur, quatenus data occasione ex utiliter lectis instrui, & moveri valeamus; quia prolixa lectio fatigat potiùs, quàm reficit memoriam, & tædium magìs, quàm pium affectum producit in animo, ùt bene advertit S. Bernardus *de inter. dom. cap. 50. dicens: Prolixa lectio, longitudinis causâ, memoriam legentis obliterat.* & S. Isidorus *Lib. 3. de summo Bono. c. 14. Brevìs sit, submotóque librò sententia retractetur in animo, & ea, quæ lecta sunt, recolendô memoriâ minimè excidunt.* Docent SS. Patres, & Ascetæ, in legendo nos debere imitari gallinam, vel columbam, quæ, pauculìs guttulìs attractìs, caput in altum elevare, &, quod hausit, voluptuosè degustare, & dimittere, ac demum iterum bibere solet.

30. Errant contra hanc conditionem, indéque modicum fructum ex lectione reportant, qui vel festinanter, cursim, obiter, & perfunctoriè legunt, vel qui ex curiositate, aut inordinato affectu omnia, quæ in libro continentur, citò cognoscere cupientes, in uno continuo nimium legunt, ut citò librum absolvant; vel qui totam suam felicitatem, & fructum in multa lectione, multorúmque librorum evolutione collocare videntur, non attendentes, quòd sicut copiosa, ac nimia, præsertim festinanter, ac sinè masticatione facta ciborum ingestio corpus non reficit, nec recreat, sed aggravat, sic etiam nimia in uno continuo, præsertim festinanter, & sinè ruminatione, & perpensione intermedia, instituta lectio memoriam, & animum non reficiat, sed obruat, & aggravet; dum econtra, quemadmodum modica, & bene masticata ciborum sumptio corpori, ita bene ruminata lectio animæ optatum effectum, & fructum afferat, adeò, ut longè melius, ac utilius sit, pauca v. g. unicum, vel alterum folium bene, & considerate legere, quàm integra prolixa capita, aut medios tractatus in uno continuo absolvere.

31. *Secunda*, & valde notanda conditio est, ut inter legendum boni subinde fiant affectus, & actus, precésque immisceantur jaculatoriæ, & bona eliciantur proposita, prout nempe ipsa requirit, vel ansam præbet materia; præsertim ubi, & quando majus lumen Divinum, inspiratio, & gratia Divina adesse, mentémque nostram magìs illuminare, vel movere censentur. *Havriendus est sæpe*, ait S. Bernardus *Epist. ad Fratres de monte Dei. de lectionis serie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non impediat interrumpendò, quàm puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis restituat.* & *in speculo Mon. Nec semper ad oratorium est eundem, sed in ipsa lectione poterit contemplari, & orare.* Cùm enim juxta dicta, dum legimus, Deus loquatur nobiscum, ac præter illam doctrinam, & instructionem, quam mediante libro nobis communicat, ritè, ac, prout decet, legentibus magna subinde lumina immittere, Divináque inspiratione, & gratia piè nos movere, & excitare soleat, utique per convenientes affectus, & actus correspondere oportet, & decet; præsertim, cùm exinde talis piis affectibûs, & actibûs, boníque propositis permixta spiritualis lectio meditationi, seu orationi mentali plurimùm assimiletur, & juxta dicta sæpe æqualem, imò subinde majorem, quàm illa afferat fructum, prout quotidianâ experientiâ patet, qua constat, quòd plurimi nonnunquam ex aliqua lectione ritè instituta ita illuminentur, & moveantur, ut præter optimos affectus ad heroicos actus, & specialissima proposita se resolvant, indéque ad magnam virtutem & perfectionem perveniant.

32. *Post Lectionem spiritualem* sequentes servandæ sunt conditiones. *Prima est*, ut finita lectione nos parùm reflectamus, & recolligamus, tum super lectis, tum super propositis nostris, ut sic illa magìs memoriæ imprimamus, & conformiter operemur.

33. *Secunda conditio est*, ut de materia lecta saltem aliquid, præsertim illud, quod scitu, & operatu magìs necessarium, magìsque utile videtur, memoriæ fixè mandemus, illudque aliquoties per diem mente revolvamus; tum, ut mentem interdiu ab alienis abstrahamus; tum, ut memoria successivè piis speciebûs im-

imbuatur, & repleatur, quæ tam in meditatione, quàm in alia opportuna occasione virtutis exercendæ, tentationis superandæ, aut passionis mortificandæ illuminent, instruant, & moveant. Hanc conditionem specialiter etiam S. Bonaventura, nec non & S. Bernardus *cit. Epist. ad Fratres de monte Dei.* commendat scribens: *Sed & de quotidiana lectione aliquid in ventrem memoriæ dimittendum est, quod fideliùs digeratur, & rursum revocatum crebriùs ruminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.*

34. *Tertia conditio est*, ut pro doctrina, Divino lumine, & gratiis, quæ nobis clementissimus Deus, & Magister noster mediante lectione spirituali tribuere dignatus est, humillimas eidem gratias agamus, ipsúmque fiducialiter rogemus, quatenus confirmare dignetur, quod mediante sacra lectione in nobis operari dignatus est: quia gratiarum actio pro donis acceptis DEO gratissima, acceptorum conservativa, & novorum adductiva est.

35. *Quarta conditio est*, ut ea, quæ inter legendum notatu digniora occurrerint, excerpantur, & in libello ad hoc destinato scriptis annotentur, juxta eum modum, quem Magister, sive Director spiritualis præscripserit.

36. Quæritur II. Quinam libri præ cæteris præcipuè legendi sint? Resp. I. Quamvìs omnes libri spirituales plurimùm æstimandi sint, & ex quovis eorum fructum, & utilitatem haurire possimus, nam *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. 2. ad Timoth. 3. v. 16.* præsertim, cùm Deus uni soli cuncta dona non dederit, sed ea in diversos distribuerit, ut à quovis discere valeamus; nihilominus certum est, unum librum præstantiorem, & utiliorem esse alio, magísque servire ad finem lectionis spiritualis; indéque unum præ alio, si habetur, pro lectione spirituali meritò assumendum esse.

37. Resp. II. In seligendis, & assumendis pro lectione spirituali libris, sequens vobis instructio servire potest. *Inprimis* optimus semper, & utilissimus, consequenter pro tempore præ aliis semper assumendus, & legendus est ille liber, vel libri materia spiritualis, quam pro illo tempore legen-

legendam præscribit Magister aut Director spiritualis. Ratio est; quia, licèt subinde alii libri, præsertim Scriptura Sacra in se longè sint præstantiores, quàm liber aliquis pro tempore à Superiore præscriptus; quia tamen Superioris, consequenter DEI voluntas est, ut hìc & nunc iste liber, vel hæc materia præ alia legatur, procul dubio Deo longè gratius, & legenti utilius erit, ejusmodi præscriptum librum, vel materiam præ alia, licèt cæteroquin secundùm se præstantiori, & utiliori legere; tum, quia universaliter loquendô, semper & in omnibus *Obedientia melior est, quàm victima;* tum, quia legenti librum, vel materiam à Superiore præscriptam, Deus magis assistit, majúsque lumen, majorem cognitionem, ac copiosiores, & efficaciores gratias largiri solet, ita, ut taliter legens ex simplici, aut minùs æstimato libro, vel materia, majorem fructum hauriat, quàm legens librum in se præstantissimum, ex propria tamen devotione, inclinatione, aut æstimatione, sinè obedientiæ præscripto assumptum: tum etiam, quia, etsi subinde ex lectione libri, aut materiæ ab obedientia præscriptæ modicum, vel nullum fructum se haurire, vel hausisse quis putet, tamen certum est, quòd præter speciale meritum, quod legenti ex obedientia obvenit, Deus diversas occultas, & tales suìs temporibûs, & occasionibûs tribuat gratias, ac lumina, quæ longè magìs prosunt animæ, quàm nescio quis putatitius fructus ex lectione alterius libri, vel materiæ, propria voluntate, ac devotione assumptæ.

38. *Secundò.* Post materiam à Superioribus præscriptam, primum locum obtinet, & omnium præstantissima, & utilissima lectionis spiritualis materia est Sacra Scriptura. Ita unanimis omnium SS. Patrum, & Ascetarum, qui propterea frequentem, & sedulam S. Scripturæ lectionem mirè commendant, ad oculum demonstrandô, lectionem spiritualem S. Scripturæ sinè comparatione utiliorem esse, quàm lectionem cujusvis, etsi cæteroquin omnibûs numerîs absoluti libri, aut selectissimæ materiæ. Ratio est; quia cuncta ibi contenta merum, & purum sunt verbum Dei, & doctrina Divina; utpote vel ab ipso Filio

Dei tanquam æternâ Sapientiâ tradita, vel à Spiritu Sancto Prophetis, & Apostolis inspirata, & dictata, consequenter infallibilis, certissima, sanctissima, & efficacissima. *Scriptura Sacra*, inquit S. Gregorius *Lib. 4. Epist. cap. 84. est quadam Epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam.* & S. August. *Lib. 11 Confess. cap. 2. Sint castæ deliciæ meæ Scripturæ tuæ: nec fallar in eis, nec fallam ex eis.* Accedit, quòd verba Sacræ Scripturæ, utpote Divina, miram occultam habeant energiam, vim, & efficaciam illuminandi, & movendi, adeò, ut testibûs SS. Patribûs, & quotidianâ experientiâ, unius Scripturæ sensus, vel textus ritè, & prout decet, lectus, & perpensus majorem habeat vim, & virtutem illustrandi, voluntatémque, & animum movendi, quàm integra Sanctorum Patrum, vel Ascetarum volumina.

39. Nec mirum; sicut enim Author Scripturæ Sacræ, DEUS nempe, omnes alios librorum authores, utpote infirmas creaturas, in omni genere infinitè excedit, ita etiam illius verba, & doctrina, in omni genere excedunt doctrinam aliorum, etsi doctissimorum Patrum. Unde dicit S. Hieron. *in cap. 23. Matth. Quod de Sacris Scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.*

40. Præclarissima SS. Patrum elogia de utilitate, præstantia, & necessitate lectionis Sacræ Scripturæ effecerunt, quòd in pluribus Religionibus statutum sit, ut quivis saltem quid modicum ex S. Paginis quotidie attentè, & devotè legat. Unde Charissimi! ut quotidianam S. Scripturæ lectionem, quantùm tempus, & negotia permiserint, præ omnibus vobis commendatam habeatis, totámque Scripturam tempore vitæ vestræ non semel tantùm, sed sæpiùs consideratè legendô evolvatis, seriò admonemini; & experientia vos docebit, quò sæpiùs legitis, majus eandem legendi desiderium habituri, majorémque fructum haufturi sitis.

41. *Tertiò.* Post lectionem Sacræ Scripturæ utilior præ cæteris est lectio Regulæ, & Statutorum Ordinis, ut pote quæ Professionis nostræ obligationem, & Superiorum, consequenter DEI certam voluntatem nobis manifestant.

42. *Quartò locô* sunt Libri, & Doctri-

Doctrinæ SS. Patrum, inter quos pro ascesi plurimùm serviunt.

S. Augustini Libri Confessionum, Meditationes, Soliloquia, Manuale &c.

S. Basilii Ascetica, & Regulæ.

S. Bernardi varia Opuscula.

S. Bonaventuræ item, &

S. Ephrem Opuscula.

D. Joannis Climaci Scala Paradisi &c.

43. *Quintò loco* Religiosis omnibus, præsertim tyronibus lectu utilissimi, imò & necessarii sunt etiam alii Ascetæ, seu Libri spirituales; inter quos ex antiquis semper æstimati sunt.

Liber Aureus de imitatione Christi.

Opera Ludovici Blosii.

David ab Augusta.

Alphonsus Madriliensis.

Opuscula Dionysii Carthusiani.

Ludolphus de Saxonia de vita Christi.

Didacus Stella de Contemptu Mundi.

Laurentius Scupulus &c.

De Recentioribus verò.

44. Alphonsus Rodriquez de Perfectione.

Jacobus Alvarez.

Opera Cardinalis Bonæ.

Opera Hieremiæ Drexelii.

Opera Joan. Bapt. Saint-Jure.

Praxis Justitiæ Christianæ.

Opera Pauli Segneri.

Opera P. Suffren.

Opuscula Eusebii Nierenbergii.

Hieronymi Plati.

Lucæ Pinelli.

Nicolai Lancicii.

Casparis Druzbicki &c.

Appendix

De Principiis Practicis circa Lectionem Spiritualem.

Principium I.

45. Firmum, & constans propositum habere, quotidie per aliquod temporis spatium, lectionem instituendi spiritualem.

Principium II.

46. IN divisione temporis determinare, ut sicut reliqua, sic præcipuè etiam Lectio spiritualis proportionatum, & accommodum habeat spatium.

Principium III.

47. IN lectione spirituali assuescere, ut non obiter, & per-

perfunctoriè, nec multa simul indiscriminatim, sed juxta regulas bene legendi, superiùs allegatas, attentè & tractim legantur.

Principium IV.

48. EA, quæ in lectione spirituali notatu digniora inventa sunt, interdiu aliquoties animô revolvere, & utiliter ruminare.

Principium V.

49. QUin etiam juxta modum à Directore vel Magistro traditum, eadem, ne memoriam facilè fugiant, annotare.

Principium VI.

50. ILlos libros, illámque materiam præ cæteris legere, quam Superiores, vel animæ Directores præscribunt, & suadent.

Principium VII.

51. DE aliis libris illos, & ex his eas materias legendas assumere, quæ nobis hìc & nunc lectu, & scitu magìs necessaria videntur, respiciendô subinde etiam virtutem, vel vitium, super quo examen particulare defacto facimus.



CAPUT XVII.

De Examine Conscientiæ: ubi etiam de modo religiosè concedendi cubitum.

§. I.

De Examine Conscientiæ Generali.

NOtandum, duplex esse conscientiæ Examen, *generale* videlicet, & *particulare*. Priùs de generali, postea de particulari agemus. Itaque

1. Quæritur I. Quid, & quàm utile sit Examen conscientiæ generale?

nerale? Reſp. I. Examen conſcientiæ generale ad propoſitum nil aliud eſt, quàm quotidiana vitæ noſtræ, & omnium actionum ab uno examine ad aliud ritè inſtituta expenſio, ſeu examinatio ad hoc, ut expendendô, & diſcutiendô deprehenſæ culpæ, defectus, & imperfectiones, earúmque radices contritione, & propoſito de præſenti deleantur, & in futurum emendentur. Explicatur Definitio. Dicitur primò: *Quotidiana;* tum ad indicandum, eam quotidie debere fieri; tum ad diſtinctionem examinis, quo conſcientiam examinamus ante Confeſſionem Sacramentalem.

2. Dicitur ſecundò: *Vita noſtra, & omnium actionum noſtrarum,* quibûs verbîs differt ab Examine particulari, vi cujus non ſuper omnes actiones, ſed circa unam duntaxat actionum ſpeciem, certum videlicet vitium, vel virtutem nos examinamus: dum econtra per Examen generale perpendimus, quomodo totam diei vitam noſtram agendô, & omittendô tranſegerimus, & qualiter in cunctis actionibus noſtris, verbô, cogitatione, & opere nos habuerimus. Additur: *Ab uno examine ad aliud*, ad innuendum, quòd per hoc examen principaliter, & ordinariè non niſi ab uno examine ad aliud vitam, & actiones perpendamus.

3. Dicitur tertiò: *Ritè inſtituta expenſio*; quia Examen generale habet certa puncta, & regulas, quæ, ut ritè fiant, obſervari debent, de quibus infra *à num. 13.*

4. Dicitur quartò: *Ad hoc, ut deprehenſæ culpæ, defectus, & imperfectiones contritione, & efficaci propoſito deleantur, & emendentur:* quibûs verbîs indicatur duplex finis Examinis generalis: quorum *Primus* eſt, ne unquam in aliqua culpa, præſertim (quam Deus à quovis Religioſo in æternum avertat) mortali maneamus, vel cubitum eamus, ſed brevì, & quotidie per pœnitentiam, & contritionem deleamus, ac in gratiam Divinam, ſi forſan eâ excidimus, iterum redeamus, quin & maculas culparum, ſeu peccatorum etiam venialium, ac imperfectionum aboleamus, eorúmque veniam impetremus. *Alter* finis eſt, ut culpas, & imperfectiones emendemus, vel emendare firmiter, & efficaciter proponamus.

5. Dicitur autem notanter: *Culpæ,*

Culpa, defectus, & imperfectiones, earúmque radices; quia per Examen generale non solùm peccata, & culpas, sed etiam imperfectiones, & radices earum in actionibus nostris indagare, & eradicare oportet, ùt infra magìs dicetur.

6. Resp. II. Examen conscientiæ generale magnæ utilitatis, & præstantiæ, atque ad nostram, defectuúmque nostrorum cognitionem, & extirpationem ferè necessarium est. Ita testantur non solùm SS. Patres, & Ascetæ, sed quotidiana docet experientia, qua constat, eos, qui huic examini sedulò quotidie incumbunt, in propria sui, defectuúmque suorum cognitione, & emendatione multùm proficere; illos verò, qui in eodem negligentes existunt, sui, & defectuum suorum ignaros, aut obliviosos, vix unquam vitium aliquod penitus eradicare, sed potiùs in dies habituari, & magìs implicari.

7. Hinc SS. Patres & Ascetæ illud omnibus suadent. *Elapso jam die* (inquit S. Basilius *Serm. Ascet.* qui incipit *Homo*) *& quovis opere diurno, seu corporali, seu spirituali ad finem deducto, ante quietem conscientiam suam quisque in corde suo examinare debet.* & *Serm. de Renunciat. Unoquoque die, quid operatus sis, considerans Superiori confer, & adnitere, ut semper meliora facias.*

8. Et S. Dorotheus *Doctr. 11.* ait, se modum examinandi quotidie conscientiam, à Majoribus suis, & Patribus antiquis accepisse; „ Docuerunt enim, ait, sæpe nos Majores nostri, quo pacto purgemus nos ipsos per singulos dies, ut scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum, quomodo transactam diem exegerimus &c. deberétque unusquisque nostrûm à se ipso tanquam Judex rationem cujuslibet facti extorquere. „

9. Ratio autem, ob quam tam utile, & ferè necessarium sit examen generale, conformiter dictis multiplex assignari potest, inter quas *Prima* est, quòd illo mediante veniamus ad nostram cognitionem, & magìs cognoscamus vitia, peccata, & defectus nostros, causásque & radices eorum, quæ cognitio summè nobis necessaria, & emendationis nostræ primus necessarius gradus est, adeò, ut sinè illa nunquam nos emendare possimus.

10. Se-

10. *Secunda.* Quia usu quotidiani examinis impediuntur defectus, & vitia nostra, ne profundas radices agere, & in pravos habitus abire facilè queant, hoc ipso, quòd pœnitentiâ, odio, & aversione quotidianâ tollantur, & per repetita efficacia proposita impediantur, ne tam facilè, & tam intensè, vel tam frequenter perpetrentur; sed potiùs ipsæmet radices defectuum è medio tollantur: dum econtra, si quotidianum examen negligitur, anima ad instar inculti agri, vel vineæ sylvescit, bonóque fructu carens, vepribus, & infelici loliô omnis generis imperfectionum, ac vitiorum repletur. Sterilis námque terra corruptæ nostræ naturæ ex se nunquam non noxias, & malas herbas, urticas, & zizania vel germinat, vel germinare nititur, adeò, ut, nisi examen conscientiæ, ceu sarculum quotidie ad manus habeamus, statim abundent, & altas radices agant, necesse sit.

11. *Tertia.* Quia examen conscientiæ ad inordinatas passiones, & habitus pravos jam radicatos eradicandos medium efficacissimum est; utpote per quod pravus habitus, & actus illius quotidie odiô habentur: & econtra actus contrarii, quibûs habitus pravi successivè expelluntur, producuntur, simúlque occasiones, causæ externæ, & radices malorum actuum avertuntur: qualiter utique habitus pravus brevì extirpatur.

12. *Quarta.* Quia mediante examine conscientiæ plures producuntur actus virtutum, puta, gratitudinis, orationis, humilitatis, contritionis, & boni propositi, quibûs Deus specialiter honoratur, & delectatur, atque homo in merito, & gratia sanctificante non modicè crescit, simúlque id quotidie habet, quòd semper optimâ fiduciâ de statu gratiæ, & à mortali liberæ conscientiæ, utpote contritus dormire valeat.

13. Quæritur II. Quot partes, seu puncta habeat Examen conscientiæ generale? Resp. I. Quinque communiter assignari, videlicet: *Primò.* Gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Secundò.* Petitionem luminis, & gratiæ Divinæ, ut in actionibus nostris peccata, defectus, & imperfectiones nostras, causásque & radices earum debitè cognoscere, & emendare valeamus.

Tertiò. Est ipsa conscientiæ, & cunctarum actionum nostrarum ab ultimo examine discussio, seu examinatio. *Quartò*. Est Contritio & dolor de peccatis, & defectibus commissis. *Quintò*. Est firmum, & efficax emendationis propositum. Ex quibus duo prima puncta non tam sunt partes examinis, quàm dispositiones ad illud ritè faciendum; quamvis ordinariè partes nominentur. Ut autem sciatis Charissimi! quare, & quomodo quævis ex dictis partibus ritè fieri debeat, ampliùs de qualibet illarum dicemus, & postea praxin ipsam subjungemus.

14. Itaque *Prima Pars*, seu *Gratiarum actio pro beneficiis acceptis*, duplici præcipuè ex causa præmittitur: tum, quia est actus Deo gratissimus, & nobis utilissimus (utpote optima dispositio ad nova dona à Deo recipienda) quem summa æquitas exigit. Æquum siquidem, & justum est, ut ei quotidie gratias agamus, à quo quotidie, imò omni momentô innumera beneficia recipimus. *Quisque nostrùm*, inquit S. Chrysost. *Homil. 72. ad Populum. si fieri potest, per singulos dies intra se computet, non tantùm communia beneficia, verùm & propriè sibi collata, non promulgata, & omnibus manifesta, sed etiam peculiaria, multósque latentia, sic enim continuam gratiarum actionem Domino poterit exhibere.* tùm, ut ex memoria multitudinis, & magnitudinis beneficiorum magìs cognoscamus, & apprehendamus gravitatem, & fœditatem peccatorum, ac enormem nostram erga DEUM ingratitudinem, indéque magis ad peccatorum nostrorum detestationem, & firmum emendandi propositum moveamur.

15. Debet autem hæc gratiarum actio inprimis universaliter fieri pro omnibus communiter beneficiis per totam vitam acceptis, dein pro quibusdam etiam in specie, præsertim illa die receptis, juxta infra *num. 59.* positam, vel aliam ei similem formam, prout bene suasit S. Chrys. *num. præc.* citatus, & S. Bernardus *Serm. 51. in Cantica. Disce in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis, disce ad singula dona gratias agere: diligenter considera, quæ tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla.*

16. Ad quem finem suadent Ascetæ,

Aſcetæ, ut tempore examinis generalis non tantùm præmittamus præfatam univerſalem, & ſpeciálem gratiarum actionem, ſed etiam (quod bene notandum eſt) brevis aliquoties gratiarum actio in ſpecie fiat ſub tertia examinis parte, ſeu ſub ipſa conſcientiæ, & actionum diſcuſſione; quoties nempe ſub ipſa aliquod beneficium à Deo nobis hodie collatum, vel bonum aliquod à nobis factum, invenimus; quæ gratiarum actio breviſſimè fieri poteſt (niſi forſan ſpeciale beneficium ſpecialem, & longiorem gratiarum actionem requireret) v.g. hîs aut ſimilibûs verbîs: *Tibi ago gratias humillimas, & infinitas benigniſſime DEUS; tibi ſoli honor & gloria.*

17. *Secunda pars, ſeu Petitio luminis, & gratiæ Divinæ,* meritò ideo præmittitur; quia, ſicut absque ea in cunctis aliis prorſus nihil poſſumus, ſic præcipuè, & principaliter peccata, defectus, & imperfectiones noſtras debitè cognoſcere, & emendare ex nobis non valemus. Tanta námque in dignoſcendis propriis defectibus noſtris eſt cæcitas, ut, licèt aliorum defectus etiam minimos acutiſſimè videamus, noſtros tamen etiam majores frequenter non cognoſcamus, idque non tantùm, ſi interni, & occulti, ſed etiam externi, & omnium oculis manifeſti ſint, adeò, ut, dum eos pro peccaminoſis, vel reprehenſibilibus omnes meritò æſtimant, nos pro talibus eos neutiquam habeamus, quin laudem, & inanem gloriam quæramus, ac propterea ægrè feramus, injuriæque locò accipiamus, ſi ab aliquo etiam Superiore in iis corrigimur, & admonemur; quapropter meritò profunda cum humilitate lumen, & gratia Divina invocanda, pro cognoſcendis occultis etiam defectibus, dicendô cum Propheta: *Quantas habeo iniquitates, & peccata, ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi: Deus meus illumina tenebras meas, illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversùs eum.*

18. *Tertia pars,* ſive ipſa *conſcientiæ diſcuſſio* (quæ propria pars examinis eſt; imò ipſum examen) in hoc conſiſtit, ut reflectamus nos ſuper vita, & actionibus noſtris à tempore ultimi exa-

examinis, & videamus, qualiter in iis contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ, Regulæ, aut Superiorum, vel etiam contra proposita nostra peccaverimus. In qua discussione varii varios tradunt modos: inter quos optimus videtur, quo quis ab ultimo examine totum tempus ab hora ad horam ordinatè percurrit, expendendô, quomodo quavis hora, & horæ partibûs se habuerit, ubi? & cum quibus fuerit? quid? & quomodo operatus, & locutus fuerit? quid cogitaverit? quid omiserit? seu quomodo in verbis, cogitatione, & opere se gesserit.

19. *Quarta pars*, seu *Dolor de peccatis*, ut perfectiùs & utiliùs fiat, is non solummodo de peccatis per examen cognitis, sed & de occultis, imò in genere, & universaliter de omnibus per totam vitam commissis fiat, & quidem meritò ex motivo amoris, & charitatis erga Deum eliciendus, quatenus vera contritio evadat, indéque hominem, (si forsan ob occultum aliquod, vel cognitum peccatum mortale in statu gratiæ non esset) in illum vî talis contritionis restitueret. Eundem de peccatis dolorem meritò comitari debent etiam petitio veniæ, suíque contemptus, humiliatio, & confusio: quis enim se ipsum non contemnat, humiliet, sibíque displiceat, si se in propositis suis tam inconstantem, & in malis tam perseverantem, & ferè in cunctis adhuc imperfectum, ac defectuosum agnoscit.

20. *Quinta pars*, sive *Propositum emendationis*, ut fructuosè, & efficaciter fiat, non tantùm in genere elici debet, dicendô v.g. vel cogitandô: *Emendabo me, non ampliùs peccabo, non ampliùs offendam Deum &c.* nec solummodo nudè, ac simpliciter circa peccatum aliquod in specie v.g. *Vitabo hoc, aut illud peccatum; observabo hoc, aut illud præceptum:* sed debet esse particularizatum, & circumstantionatum, prout in simili diximus supra de Meditatione *Cap. XIV. §. III.* ita videlicet, ut se extendat etiam ad particulares circumstantias hujus vel illius loci, personæ, causæ, radicis, occasionis &c. Ratio horum est; quia proposita genericè tantùm, & nudè concepta plerumque nullum, aut exiguum producunt effectum; dum autem elicitur propositum, fieri debet cum humilli-

millima sui diffidentia, & firma confidentia in DEUM, addita humili, & fiduciali brevi invocatione gratiæ Divinæ.

21. Juvat etiam plurimùm ad efficaciam propositi, proponere subinde etiam specialem lectionem, meditationem, & examen particulare circa unum, vel alterum vitium magìs infestum, & nocivum evitandum.

22. Quòd si cunctìs adhibitìs nullus, aut modicus adhuc sentitur fructus, & effectus propositorum, examen propterea, vel proposita hujusmodi nequaquam imposterum omittere quis debet, aut pusillanimis, tristis, vel perturbatus fieri, sed constanter in majori semper sui diffidentia, majoríque confidentia in solam gratiam Divinam, necessaria tamen cum vigilantia & attentione peragere debet; præsertim, cùm ex continuis suis lapsibus saltem id fructûs habeat, quòd interea in sui cognitione, contemptu, & odio, consequenter in humilitate proficere valeat: id quod Deus sæpe intendit, dum nos specialibûs suìs gratiis destitutos in uno vel altero levi vitio diu hærere, vel in aliud cadere permittit.

23. Porro in ritè, & exactè eliciendis ultimis his duabus examinis partibus, dolore videlicet de peccatis, & emendationis proposito, potissimus, & principaliter intentus fructus examinis consistit, ut proin juxta SS. Patrum, & Ascetarum doctrinam in iis eliciendis potissimum examinis tempus, &, ut bene, perfectéque eliciantur, potissima cura adhiberi debeant. Hinc causa, cur examen apud multos nullum, aut modicum fructum affert, una ex præcipuis est, quòd totum ferè tempus in discussione conscientiæ, & perquirendis peccatis, aut defectibus impendant, ac propterea fine temporis ad examen præfixi imminente, vel jam præsente, principalia duo puncta, dolorem nempe de peccatis, & emendationis propositum, brevissimè tantùm, & obiter peragant. Ex quo venit, quòd in eosdem defectus continuò relabantur, quod utiq; non fieret, si de peccatis, & defectibus per examen cognitis, verè doleremus, & illos vero ex corde efficaciter detestaremur, cum firmo proposito illos, & præcipuè usque ad futurum examen non ampliùs perpetrandi.

24. Probate hòc Charissimi! & fatebimini, rem planè ita se habere. Observate,& notate distinctionem inter tempora, quibûs in examine dolorem, & propositum tepidè, & obiter tantùm, ac econtra, quibûs eam ritè, ac prout decet, fecistis, & apertè videbitis distinctionem inter effectum utriusque, disparémque fructum.

25. Denique circa allegatas duas ultimas partes examinis, dolorem scilicet, de peccatis, & propositum, insuper est notandum, quòd, cùm difficile sit de omnibus, & singulis defectibus quotidianis tam seriò dolere, támque singulariter, efficaciter, & circumstantionatè emendationem proponere, semper eò connitendum sit, ut saltem de uno vel altero puncto, quod Deo magìs adversum; nobis nocivum, ac aliorum causam, ac radicem esse cognoscimus, id faciamus; imò præstat ordinariè, ut circa unum vel alterum hujusmodi in particulari efficacem dolorem, & singulare propositum eliciamus. Ita enim faciendô faciliùs, & certiùs effectum obtinebimus, & defectus nostros vitabimus.

26. Quæritur III. Quoties, quo, & quanto tempore examen conscientiæ generale fieri debeat? Resp. I. Illud quotidie saltem semel, antequam cubitum eamus, fieri debere. Ita námque suadent SS. Patres & Ascetæ, habétque praxis omnium, non tantùm verè ordinatarum Religionum, sed etiam usus timentium DEUM, salutísque suæ, & perfectioni Christianæ incumbentium in sæculo.

27. Dicitur notantur: *saltem semel;* quia utique longè utilius, & efficacius foret, si illud bis in die fieret, utì examen *particulare*, & quidem eodem tempore, quo istud fit, & simul cum illo, videlicet quadrante ante sumptionem prandii, & post cœnam ante somnum, ita, ut præfato tempore semper præmittatur, seu priùs fiat examen generale, & immediatè subsequatur particulare, prout in nonnullis Religionibus laudabilissimè fit. Quòd si subin id ante prandium facere, negotia, & impedimenta prohiberent (utì sæpe fit apud Sacerdotes, tunc temporis vel celebrantes, vel in Confessionali sedentes) post sumptum prandium suppleri poterit. Imò tempus

pus immediatè post prandium, vel post horam concessi discursus, multis pro tempore ordinario servire poterit ad examen generale, & particulare; præsertim, quia illud tempus ordinariè impedimentô vacat, & ad notandos in libello defectus apprimè commodum videtur.

28. Resp. II. Si semel tantùm fit examen generale, meritò communiter præscribitur tempus post cœnam, immediatè ante somnum, quatenus sic super vita, & cunctis actionibus totius diei institui valeat, si enim bis fit, tunc solùm instituitur à tempore unius examinis usque ad aliud.

29. Cæterùm, quicunque cum tempore ob negotia, vel alias rationes ita impeditum se agnoscit, ut examen generale bis in die facere ei non vacet, vel expediat, illi omnimode consulitur, ut saltem semel singulìs diebûs facere non omittat, quoties enim quis illud omittit, magnum aliquod salutis suæ negotium omittit.

30. Resp. III. Spatium temporis, ad faciendum examen generale unà cum *particulari*, Ascetæ communiter præscribunt circiter quadrantem horæ: & meritò; quia hoc spatium sufficere, & requiri videtur. Audiuntur fortassis aliqui, qui conqueruntur, quòd modico illo tempore se de cunctis totius diei actionibus non satìs examinare valeant; verùm tales observent, non esse necesse, ut prorsus omnes & singulæ actiones, ac circumstantiæ examinentur, sed sufficere, si potiores, & illæ discutiantur, in quibus defectus commissi Deo magìs displicent, virtuti, & perfectioni magìs obsunt, vel sunt radices aliorum defectuum. Item actiones, à quarum perfecta persolutione profectus in virtute magis dependet. e. g.

31. I. Quando, & quomodo ad matutinum de noctu & manè surrexeris? an non plus somno indulseris, quàm naturæ necessitas exigit, vel Statuta, & Superiores præscribunt? an primæ cogitationes, & actus statim fuerint directi ad DEUM, & quo fervore? an, & qualiter reliqui actus, & preces matutinæ (præsertim speciale firmum & efficax propositum circa materiam examinis particularis) fuerint peractæ?

32. II.

32. II. An, & quomodo sacra Meditatio fuerit facta? an debita præparatio præmissa? an nullæ in eadem distractiones, somnolentiæ, & tepiditates admissæ? an non decurtata &c. Cùm enim debitus meditationis usus non tantùm summè utilis, sed etiam ad perfectionem assequendam omnino necessarius sit, procul dubio præprimis expedit, quotidie examinare, quomodo in ea nos habeamus, ut defectus deprehensos emendemus.

33. Circa horas Canonicas: num omnes hac die integrè persolutæ? (nam ad hoc sub mortali tenemur, consequenter de earum persolutione, sicut etiam de aliis obligatoriis actibus, vel operibus v. g. ex voto debitis meritò quotidie fit discussio) item, an prævia cum præparatione, & quali? an attentè, devotè, reverenter? an non præcipitanter, aut truncatis verbis? an in præsentia Dei, debito tempore, & ordine? quia enim, qui *bene novit orare, bene novit vivere,* omnino per Examen eò collimandum, ne in oratione admittantur defectus, néve mali contrahantur habitus, sed potiùs evitentur, & extirpentur, & sanctus orandi habitus implantetur.

34. Porro, si ad Chorum quis obligatus est, examinet, an tempestivè juxta præscripta Statutorum accesserit? an non fictis, vel frivolis sub prætextibus illum frequentare omiserit, vel ab eo discesserit? an debita cum reverentia, debitáque cum pausa, & elatione vocis ex toto corde *in conspectu Angelorum laudaverit* ibi Deum? an verò cum tædio, somnolenter, tepidè, præcipitanter, vagabundus in oculis, nimis pigra, vel indecenti inclinatione, remissa voce, cum inordinato desiderio finis, & impatientia erga debitè psallentes, laudem Divinam persolverit? quia enim debita laudis Divinæ in Choro persolutio unus ex principalibus, Deo gratissimis, Religioni maximè proficuis, & cuivis Religioso summè meritoriis, ac consolatoriis actibus est, meritò instituitur examen, qualiter Religiosus in hoc puncto se habuerit.

35. IV. Circa Missæ Sacrificii celebrationem, si quis est Sacerdos.

36. V. Circa tempus antemeri-

meridianum, quomodo de hora ad horam sit impensum? an non otiô, vel inutili labore &c. consumptum?

37. VI. Qua intentione, & perfectione opera nostra sint peracta?

38. VII. An, & quomodo factum sit examen particulare? an annotatio defectuum, qui deprehensi sunt, diligenter fuerit facta?

39. VIII. Circa mensam, an plus, quàm natura exigit, vel nimis avidè, solam sensualitatem attendentes, comederimus? qua cum modestia, religiositate, & frugalitate in mensa nos habuerimus?

40. IX. Circa conversationem, & discursum mensæ, recreationis, & alio tempore, an non in lingua offenderimus, contra charitatem, mansuetudinem, modestiam, veritatem, taciturnitatem, silentium &c. detrahendô v. g. murmurandô, pungendô, nimis clamorosè, dissolutè, iracundè, impatienter, indignanter loquendô, vel jactandô, & gloriandô, sive mentiendô, aut hyperbolicè, vel per multiloquium excessivè loquendô?

41. X. An, & quoties contra silentium religiosum fuerit actum.

42. XI. Circa tempus pomeridianum, quomodo impensum? an non otiô, garritu, tædio, aut aliàs inutiliter pars aliqua fuerit consumpta?

43. Advertendum tamen est, quod non sit necesse, semper omnia præfata puncta percurrere, sed possit quis subinde invento uno, vel altero speciali defectu magìs nocivo, aut radice aliorum, ab ulteriori examine desistere, ac sola seria detestatione, & aversione illius, sui confusione, & contemptu, veniæ precatione, efficacíque, & singularizatô propositô reliquum tempus insumere, quatenus talî modô saltem unus, vel alter similis nocivus defectus, aut peccatum certiùs, & efficaciùs caveatur, quod longè utilius est, quàm si multum temporis, discutiendô omnes actiones, insumatur, & econtra detestatio peccatorum, & emendationis propositum obiter duntaxat eliciantur.

44. Juvat etiam ad facilitandam, & tempestivè absolvendam discussionem conscientiæ, si (quod plures Sancti, & viri per-

tera *Gulam*. In tertia *Jactantiam*. In quarta *Inobedientiam &c.* dein ad latus ponat literam diei, ut D quæ denotat *Dominicam*. dein infra L diem *Lunæ*. M diem *Martis &c.* & ab hac ducat duas lineas transversas pro quavis die (si bis in die Examen Generale facit) quatenus una pro defectibus temporis matutini, altera pro defectibus temporis pomeridiani servire possit; vel unam lineam transversam, si semel tantùm instituitur Examen Generale, una tamen linea transversa ab altera ita competenter distet, ut sufficiens spatium pro notandis cujusvis diei defectibus adsit, prout Schemata *num. 49. & 50.* clariùs exhibent.

47. Si quis timet, ne fortè talis libellus deperdatur, & ipse ob occultos suos defectus confundatur, poterit ad initium cujusvis cellulæ solam aliquam literam, aut certum signum ponere, quo certam aliquam speciem peccati clam sibi soli notam, indicare intendit: ad quem finem in alia distincta & separata charta potest habere quasi clavem, & explicationem talis literæ, aut signi, ne obliviscatur, quam privatam, ac distinctam chartam potest in aliquo occulto loco, & ita asservare, ut vel non facilè inveniatur, vel ex inventa nemo errores, & peccata nostra, utpote ibidem non notata, colligere possit.

48. Porro, quia lapsus, & defectus nostri subinde cum advertentia plena, subinde cum semiplena duntaxat, & subinde inadvertenter fiunt, expedit omnes, etiam cum inadvertentia commissos errores distinctis signis notare, tribuendô e. g. defectibus cum advertentia plena lineolam oblongam | cum semiplena breviorem ı sine advertentia aliquod punctum. ut sic ad perfectam nostri, defectuúmque nostrorum, & malorum habituum (qui plerumque ex actibus etiam inadvertenter commissis gignuntur) deveniamus notitiam. Poterit etiam finitâ septimanâ saltem numerus Summarius errorum, & defectuum illâ septimanâ commissorum poni (si non cuivis diei subjungitur) & quidem triplex, unus videlicet pro defectibus plena & sufficienti advertentia admissis; alter pro illis, qui cum semiplena, vel aliquali duntaxat fiunt advertentia; & unus pro

factis ex inadvertentia, ut sic plena, & compendiosa cognitio profectûs, & defectûs de die in diem, ac de septimana in septimanam haberi queat. Res faciliùs capietur in sequenti Schemate.

Schema Annotationis defectuum, si Examen generale fit bis in die.

49.

	Gula.	Jactantia.	Impatientia.	Inobedientia.	Fractio silentii.
D	ǀ ǀ	ǀ ··			
	ǀǀ ·	ǀǀ ǀ	·	ǀ	ǀǀ ·
L	ǀ	ǀ ·	ǀ		ǀ
	ǀ ·	ǀ	··	·	ǀ ··
M				·	
	·				ǀ
M			·		ǀ
	ǀ ·				ǀǀǀ ··
I		ǀǀǀǀ ···	··		ǀǀǀǀǀ ····
	ǀǀǀ ··	ǀǀǀ	ǀǀ :		ǀǀǀǀ ··
V					·
					··
S					
	·	··	··		ǀǀ ·
Summa.	6.6.7.	6.7.8.	1.2.9.	1. 1.	10.11.15.

Schema Annotationis, si Examen generale semel in die fit.

<table>
<tr><th>50.</th><th>Mendacium.</th><th>Adulatio.</th><th>Detractio.</th><th>Otium.</th></tr>
<tr><td>D</td><td>||| ...</td><td>| || .</td><td>|| ...</td><td>|| ||| ..</td></tr>
<tr><td>L</td><td>| || ..</td><td>| ..</td><td></td><td>| ||</td></tr>
<tr><td>M</td><td>| ..</td><td>.</td><td>|| .</td><td></td></tr>
<tr><td>M</td><td>| .</td><td>|</td><td>| ..</td><td>|</td></tr>
<tr><td>I</td><td>|</td><td>.</td><td>|</td><td>||</td></tr>
<tr><td>V</td><td></td><td></td><td>| .</td><td></td></tr>
<tr><td>S</td><td>|</td><td>.</td><td></td><td>|</td></tr>
<tr><td>Summa.</td><td>4.6.8.</td><td>1.4.6.</td><td>7.7.</td><td>5.7.2.</td></tr>
</table>

51. Porro ad majorem adhuc cautelam, & abscondendos aliis tuos defectus poteris, si placet, locò vitiorum in fronte nominatim & expressè positorum, ponere aliquam literam, vel signum tibi soli notum, ponendô v. g. in prima cellula locò *Gulæ* solam literam E in secunda literam A in tertia literam H in quarta literam S in quinta literam M &c. Pro quarum *clavi* in privata charta in adjutorium memoriæ scribere poteris. E denotat gulam mysteriô Esau, vel Evæ. A superbiam, vel jactantiam intuitu superbi *Aman*. H iram, & impatientiam, intuitu iracundi Herodis. S inobedientiam, ob inobedientiam Saulis. M fractionem silentii, intuitu garrularum mulierum.

52. Ulteriùs advertendum circa notationem defectuum in libello examinis generalis, quòd illæ species defectuum ad initium

 tium

rium cujuslibet cellulæ positorum possint subinde mutari, & locò unius defectus, vel vitii v.g. *Gulæ*, aliud vitium v.g. *Ambitio* poni, quando nempe deprehenditur, prius illud vitium vel jam esse extirpatum, vel minùs frequens, è contra verò aliud magìs infestare, magísque nocere.

53. Possunt insuper non tantùm certa genera, vel species vitiorum, sed etiam plures gradus unius vitii in una cellula poni, & diversìs literìs indicari, habitâ in alia charta clavi explicante, quid litera significet: quo tamen casu illa cellula, in qua plures vitii gradus certìs literìs indicati ponuntur, paulò amplius debet habere spatium, quatenus cujuslibet etiam gradûs defectus commodè notari valeant. Exemplum sit sequens Schema.

	M	S	E	i	a	e
54. D						
L						
M						
M						
I						
V						
S						

55. Clavis pro præfatis literis potest esse. Litera M in prima cellula significat fractionem silentii ob *dicta num. 51.* Litera S inobedientiam. Litera E in tertia cellula ampliori gulam. Ubi minor litera i ibidem existens significat *intempestivè*, seu extra ordinarium prandii, aut cœnæ tempus comedere, vel bibere. Minus a significat nimis *avidè* comedere. Minus e *excessivè.*

56. Quæritur V. pro compendiosa notitia. Quomodo in praxi utiliter fieri debeat Examen conscientiæ generale? Resp. Sequentia esse servanda. *Primò.* Quamprimum manè surgitur, firmissimum inter alia eliciendum est propositum, omnia peccata, & offensas Divinas, præsertim illas, quas in libello examinis generalis expresse ponimus, evitandi, & Deo hac die perfectè serviendi.

57. *Secundò.* Si quis per diem labitur in defectum aliquem, statim se coram Deo humiliet, & confundat, ac breviter eliciat dolorem de ipso, quin pectus, nemine advertente percutiat, veniámque precetur, & cum sui diffidentia, ac confidentia in DEUM proponat eum emendare, ídque ob dicta supra *Num. 44.*

58. *Tertiò.* Dum tempus examinis instat, flexis genibus, vel etiam, si circumstantiæ id suadent, stando, vel ambulando, memor tamen Divinæ præsentiæ, sícque in conspectu Dei observentur puncta *supra Num. 13.* allegata sequenti, vel simili modo.

Ante Examen Generale Gratiarum Actio.

59. „O Benignissime & Misericordissime Domine Deus! coram Divina Majestate tua, quam immensam, ac infinitam credo, & adoro, in abyssum mei nihili, & malitiæ me projicio, ac humillimas, summè debitas, ac infinitas gratias tibi ago pro omnibus & singulis tam communibus, quàm specialibus beneficiis creationis, & conservationis, redemptionis, & vocationis, directionis, & providentiæ, protectionis, & custodiæ, miserationis, & clementiæ, aliísque innumeris gratiis & beneficiis, quæ mihi indignissimo, & omni creaturæ hucusque, præsertim hac die contulisti, &

omni

omnî momentô conferre non cessas: specialiter quòd hac die &c. „

Poteris hîc aliqua beneficia specialia recensere, quæ per diem à Deo tibi collata fuisse deprehendis: & si etiam ad noctem preces ante somnum conjunguntur, poterit, & debebit hîc immisceri actus *Oblationis* actionum totius diei, & habetur infra *Num. 108.*

Petitio Luminis.

60. „ILlumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus, prævalui adversùs eum: quantas habeo iniquitates, & peccata, scelera mea, & delicta mea ostende mihi: da lumen, & gratiam debitè cognoscendi, perfectâ pœnitentiâ, ac contritione aversandi, & delendi efficaci cum proposito, & in opere ipso emendandi, quidquid contra immensam Majestatem, & infinitam Bonitatem tuam impius, & ingratus ab ultimo examine perpetravi: veni Lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, & illumina tenebras cordis mei. „

61. Postea sequitur ipsa *Discussio conscientiæ,* ùt supra, qua finita fit

Contritio.

62. QUæ non tantùm de peccatis illa die, vel ab ultimo examine, sed universaliter, etiam de omnibus per totam vitam commissis elici debet. Et quidem, si unius, vel plurium peccatorum quis reum se invenit, hoc vel simili modo eliciẽnda.

63. „ Clementissime Deus! habes iterum confitentem reum. Peccavi denuo, stultè, iniquè egi, & malum coram te feci: credo firmissimè, quòd intensissimè desideres, & mandes cuncta mandata tua custodiri nimis, & tamen rursus illam sanctissimam tuam legem N. N. (poteris nominare v. g. charitatis, vel obedientiæ &c.) *ob modicam, eámque falsam voluptatem, vel sensualitatem* (si ex alia causa offendisti DEUM, eam quoque nominare poteris v. g. ob respectum, & timorem humanum, vel vanam gloriam, laudem, vel æstimationem, vel ob inutilem curiositatem &c.) in conspectu Divinæ Majestatis tuæ insana temeri-

meritate fui transgressus, indéque iniquissimè offendi infinitam Bonitatem tuam, quàm infinitìs titulìs amare, ac revereri debuissem, & amodo ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus amo, omníque profundissima humilitate revereor, ac propterea ex corde doleo, & pœnitet me, quòd unquam te offenderim. O utinam! te semper amâssem, & nunquam offendissem. Detestor, & odiô habeo super omne malum omnia, & singula mea peccata à primo usu rationis usque ad hoc momentum commissa. „

Propositum.

64. „PRopono firmissimè cum tua gratia, in qua sola confido, seriò & constanter me emendare, ac potiùs millies mori, omnéque aliud malum incurrere, omníque bonô privari, quàm semel adhuc vel levissimè, voluntariè, ac deliberatè te offendere: præsertim verò N. N. (fac particularizatum, & circumstantionatum propositum v. g. hoc tempore, illâ horâ, in isto loco, apud hanc personam, talî modô, vitandi peccata ab ultimo examine commissa, præsertim illud, super quo examen particulare facis) vitare, & propterea conari, hoc, vel illud medium N. N. adhibere. „

„ Quare Misericordissime Deus! etsi agnoscam, quòd millies jam promeritus essem, à facie tua projici, donísque & gratiis tuìs privari; attamen, quia cor contritum, & humiliatum non despicis, nec vis mortem peccatoris, sed ut magìs convertatur, & vivat; quia Misericordia tua infinitè major est, quàm iniquitas mea, quia merita JEsu Christi pro peccatis meis oblata, infinitè excedunt malitiam, & demerita mea; hinc corde contrito, & humiliato, cum fide, & fiducia de profunda abysso iniquitatis meæ clamo ad te. Deus propitius esto mihi peccatori; miserere mei secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum, ac per infinita merita JEsu Christi dele iniquitatem meam. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miserere mei. „

65. Quibus finitis præstat etiam sibiipsi aliquam injungere poeni-

pœnitentiam ſalutarem, præſertim verò unum, vel plures actus virtutum contrarios vitiis, in quæ fuimus lapſi.

66. Quòd ſi forſan ab ultimo examine nullius, etiam venialis voluntarii, peccati reum te invenis, nihilominus contritionem univerſalem de omnibus etiam occultis, & alienis peccatis ſequentî, vel ſimilî modô elice.

„ Clementiſſime Deus! quamvìs per gratiam tuam (pro qua humillimas ago gratias, tibíque ſoli omnem laudem & gloriam tribuo) ab ultimo examine, certi, ac voluntarii alicujus peccati mihi conſcius non ſim, tamen in hoc juſtificatus non ſum; quia variis imperfectionibûs abundans, num odiô, vel amore dignus ſim, incertus exiſto; præſertim cùm de occultis, & alienis peccatis meritò timeam, vitámque meam præcedentem innumeris peccatis gravibûs, & levibûs repletam certiſſimè ſciam. Peccavi enim, prô dolor! per totam vitam meam, & malum coram te feci; indéque iniquiſſimè offendi infinitam Bonitatem tuam, quam &c. „ ùt ſupra *Num. 63.*

§. II.

De Examine Conſcientiæ particulari, & debito modo eundi cubitum.

67. QUæritur I. Quid, quàm utile, & præſtans ſit Examen conſcientiæ particulare? Reſp. I. Examen hoc *particulare* eſt ſpecialis diſcuſſio conſcientiæ, quæ ab uno examine ad aliud fit circa particulare aliquod vitium, vel virtutem, in ordine ad illud ſingulari cura, & diligentia emendandum, & eradicandum, ad iſtam] verò acquirendam, & implantandam.

68. Dicitur: *Specialis diſcuſſio*; quia, poſtquam in examine generali diſcuſſio generalis ſuper omnes actiones jam facta eſt, fit adhuc vigore Examinis particularis diſcuſſio ſpecialis circa certum aliquod vitium. Additur: *vel virtutem;* ad innuendum, non tantùm ad eradicanda, & emendanda vitia, ſed etiam ad virtutes

tes acquirendas servire, ac propterea institui posse; ac debere Examen particulare.

69. Reliqua in descriptione satìs patent ex terminis; solummodo notandum, inter alia hìc requiri, vel admodum conducere, ut, dum examen particulare super certo vitio extirpando, vel virtute implantanda instituitur, eodem tempore de hujusmodi vitio, vel virtute, specialis instituatur lectio spiritualis, illúcque aliquo modo dirigatur etiam meditatio, quatenus mediante lectione, non tantùm sufficientem cognitionem talis vitii, & virtutis eidem oppositæ, sed etiam motivorum illud fugiendi, & istam prosequendi acquiramus; mediante meditatione verò eadem exactiùs perpendentes, magìs imprimamus, magísque efficaciter resolutiones, & proposita, aliósque convenientes actus eliciamus, ac DEUM pro gratia ad effectum fervidè imploremus.

70. Resp. II. Examen particulare est unum ex præstantissimis, utilissimis, & efficacissimis mediis ad vitia nostra faciliter, ac securè, successivè extirpanda, & virtutes vicissim implantandas. Conclusio hæc probari quidem posset plurimìs SS. Patrum & Ascetarum, præsertim modernorum, testimoniìs; quia tamen ipsâ quotidianâ experientiâ illorum, qui examen istud debitè faciunt, satìs constat, ad rationem pergimus.

71. Ratio itaque est; quia, cùm naturam per peccatum Adæ plurimùm corruptam, malísque passionibûs, & inordinatìs affectibûs ad omne malum inclinantem habeamus, simúlque præter prava ubique exempla oculis oberrantia, mundus, caro, & dæmon ad omne malum continuò instigent, & à bono retrahere conentur; partim ex fragilitate, partim ex ignorantia, vel inadvertentia tam frequenter, præsertim in juventute in peccata, & imperfectiones labimur, frequentatísque actibûs tot malos habitus contrahimus, ut impossibile quasi fragilitati nostræ sit, omnes simul & semel peccatorum, & imperfectionum habitus efficaciter impugnare, aut expugnare, vel oppositas virtutes implantare: hinc utile, & necessarium erit, unum vitium post aliud eradicandum, vel virtutem implantandam assumere,

ita, ut, quod simul & semel non possumus, successivè obtineamus mediante diligenti examine particulari.

72. Sanè, qui trecenta fila in fune aliquo colligata, manu confringere vellet, stulto, & inani labore consumeretur; facillimô autem negotiô omnia, & singula disrumperet, si separatim ea, & successivè frangenda assumeret. Ita res se habet cum vitiis nostris; omnia enim simul difficillimè, successivè verò, & singillatim facilè vincere possumus, id, quod examen intendit particulare.

73. Hinc „ Cautus esto, inquit S. Basilius *in Epist. ad Chilon.* nam in medio laqueorum incedis. Noli itaque confestim Religionis ascendere verticem; satius enim est, paulatim promovere. Proinde sensim vitæ voluptates falle, consuetudinem illarum tibi ipsi amputans, ne uno quandoque impetu omnes adversùm te voluptates irritans, turbam tibi tentationum inducas. Sed, ubi unam voluptatis affectionem prorsus devicisti, adversùs aliam aciem instrue, atque ita opportunè, & commodè omnium voluptatum victor evades. „ Unde & S. Chrysost. *Homil. 82. in Joan.* scribit: *Vitia nostra tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur &c.*

74. Imò, cùm tam vitia, quàm virtutes habeant suos gradus, sæpe, imò plerumque oportet non tantùm vitium ex integro, & sinè distinctione in examine eradicandum, vel virtutem implantandam assumere, sed gradatim, ita, ut unus duntaxat, vel aliqui gradus vitii eradicandi, vel virtutis implantandæ assumantur v. g. quia *Gula* quinque sunt Gradus, videlicet comedere *præproperè, lautè, nimis, ardenter*, & *studiosè*, expedit ad gulam eradicandam, unum vel alterum duntaxat gradum assumere v. g. ne *præproperè*, seu extra tempus prandii vel cœnæ comedamus: & ne *ardenter*, seu *avidè*, plùs attendendô oblectationem, quàm finem comedendi &c. Sic etiam, quia virtus humilitatis habet plures gradus, expedit, ut singillatim, vel aliqui duntaxat, & non omnes simul in examine particulari assumantur. Res magis patebit ex Schematibus infra *à Num. 91.* ponendis.

75. Quæritur II. Quot, & quas

quas partes, vel puncta habeat Examen particulare? Resp. Tot, & easdem, quas generale, éstque in isto æquè, ac illo, specialiter observandum, ut potissimum tempus, & fervor adhibeatur in eliciendo dolore, seu contritione, & proposito, imò hoc ultimum in particulari examine efficacissimè esse eliciendum; hoc ipso, quòd circa vitium particulare, vel gradum illius seriò extirpandum, aut virtutem acquirendam, peculiari cum industria instituatur. In hoc enim particularizato, & verè serio, ac efficaci proposito, cum plena tamen sui diffidentia, ac confidentia in DEUM, ejúsque fiduciali; & humili invocatione, facto, potissima virtus examinis particularis consistit.

76. Quæritur III. Circa quodnam vitium extirpandum, vel virtutem implantandam præ cæteris sit instituendum Examen particulare? Resp. Circa hoc utiliter observari posse sequentes regulas.

77. *Prima Regula* est. Ut ante omnia illud eradicandum assumatur vitium, quod præ cæteris Deo magìs displicet, nobis magìs nocet, magísque in nobis prædominans est. *Unusquisque*, inquit S. Chrysost. *Homil. 10. in Gen. operam det, ut vitium, quod affectiones suas magìs interturbat, ex anima exscecet.* & S. Climacus *Gradu 15. Is, qui se uno quodam vitio ampliùs urgeri conspicit, contra ipsum, & solum, ante omnia seipsum armet.*

78. *Secunda Regula.* Ut, qui pluribus vitiis æqualiter nocivis subjacet, illud per examen particulare præ reliquis impugnet, quod est causa, & radix aliorum; cujusmodi est Gula e. g. utpote quæ, præterquam quòd naturam, sanitatem, & talenta destruat, hominémque inhabilem reddat ad ea, ad quæ à Deo ordinatus est, existit causa & radix plurimorum peccatorum, & imperfectionum, nec non potissimum impedimentum acquirendi virtutes, & perfectionem, adeò, ut, quamdiu quis subjectus est Gulæ, nec somniare quidem debeat de solida aliqua virtute, & perfectione; prout magìs dicetur in *Parte posteriore.*

79. *Tertia Regula* est. Ut cæterìs paribûs priùs eliminentur vitia, & defectus externi illi, qui oculis aliorum magìs patent, alios offendunt, pacem, & charitatem lædunt, scandalum generant,

rant, propriam famam minuunt &c. uti sunt dissolutio, levitas, & incompositio morum, contentio, detractio, murmuratio, clamorositas, & scurrilitas in loquendo, mendacium, hyperbolicæ, seu excessivæ locutiones &c. Circa præfatas tamen regulas notandum, ut extirpatis vitiis pari ordine virtutes quoque implantare per examen particulare studeamus, ita, ut, dum examen particulare super vitia v.g. Gulæ extirpandæ instituimus, illud eodem etiam tempore pro implantanda virtute Temperantiæ in cibo & potu faciamus: si fiat examen hoc pro extirpanda Dissolutione, & Levitate, vicissim etiam pro implantanda Modestia, & Gravitate Religiosa instituatur, quo durante sicut lapsus, ita etiam victorias, seu actus virtutis contrarios exercitos annotare quis potest, modô infra *Num. 96.* assignandô; quamvis annotatio actuum virtutis exercitæ tam necessaria non sit, uti annotatio defectuum.

80. *Quarta Regula* est. Ut extirpatis vitiis exterioribus ac defectibus, ad interiora, & quæ sunt majoris momenti pergamus, atque primarias virtutes v.g. profundam humilitatem, puram intentionem cuncta agendi, & patiendi propter Deum, perfectam resignationem in Divinam voluntatem &c. implantare studeamus.

81. *Quinta Regula.* Quòd, ordinariè loquendô, non sit necesse, tam diu super aliquo vitio, vel defectu examen particulare facere, donec nullam ampliùs circa illud patiamur tentationem, & impulsum (hoc enim ordinariè impossibile foret) sed sufficit tamdiu inhærere, donec addiscamus, & assuescamus, venientes impulsus, tentationes, & occasionem facilè, seu saltem sinè magna, & periculosa difficultate virtuosè, & debitè vincere.

82. *Sexta Regula* est. Ut, quoad cuncta circa vitium eradicandum, vel virtutem implantandam, obedientiæ, & Directioni Magistri, aut Directoris spiritualis nos submittamus.

83. Quæritur IV. Quoties, quo, & quanto tempore fieri debeat, & expediat Examen particulare? Resp. I. Bis quotidie fieri debet Examen particulare: prima vice paulò ante prandium, vel

vel statim post illud. Secunda vice post cœnam, ante somnum, nisi aliud disponant Superiores, vel suadeat Confessarius, seu spiritualis Director. Ita communiter Ascetæ, & practicant illi, quibus examen istud cum magno profectu in spiritu in usu est. Ratio quoad numerum, & repetitionem est; quia, quò sæpiùs fit, eò faciliùs, & majori cum fructu fit, hoc ipso, quòd utique facilius sit, cognoscere per istud examen, ac emendare particularem defectum, aut virtutem observare per dimidium, quàm per totum diem: consequenter præstat saltem bis in die illud instituere; præsertim, cùm ex multiplicato proposito, & aliis actibus piis in examine concurrentibus, magìs firmetur, & confortetur anima ad fugiendum malum, & prosequendum bonum particulare pro examine assumptum.

84. Ratio verò pro qualitate temporis, paulò videlicet ante prandium, & post cœnam ante somnum, est; quia sic possumus propositum ante prandium factum, in ipso prandio, & residuo diei in actum deducere, &, si post cœnam ante somnum facimus, defectus in utraque mensa, & toto tempore vespertino commissos debitè cognoscere, contritione delere, & novô propositô emendationis pro subsequenti die nos munire.

85. Dicitur autem notanter in Responsione: *Nisi aliud disponant Superiores &c.* sicut enim in aliis, ita & in hoc, præcepto, directioni, & voluntati Superiorum, vel consilio Confessariorum, aut Directorum spiritualium, utpote Dei vices tenentium, ejúsque beneplacitum nobis indicantium semper accommodare se oportet. Hinc, si cum tempore Magistri curam egressis Confessarius, vel Director spiritualis, auditîs vestrîs rationibûs forsan suadet, ut examen particulare prima vice non ante, sed mox post sumptum prandium; & altera vice alio tempore e. g. tempore recollectionis vespertinæ apud nos ante cœnam fieri solitæ, faciatis, omnino morem eis geratis, necesse est.

86. Resp. II. Si prima vice immediatè ante, vel post prandium Examen particulare solum sinè generali fit, medius quadrans, vel subinde minus spatium pro eo sufficere videtur; eò quòd Magistri Asceseos ad examen

men generale, & particulare simul faciendum, quadrantem horæ ordinariè sufficere putent: si verò utrumque simul fit, utì altera vice post cœnam immediatè ante somnum instituitur, quadrans horæ meritò impenditur à pientioribus, qui perfectioni magis attendunt.

87. Resp. III. De praxi loquendô, quando altera vice, seu de nocte Examen particulare cum generali simul instituitur, partes requisitæ, videlicet gratiarum actio, petitio luminis, discussio conscientiæ, & contritio cum proposito, ac petitione veniæ, observantur sicut in generali, *à num. 59.* hoc ipso, quòd, ùt supponitur, unà cum ipso fiat. Solùm notandum, quòd de delicto, vel defectu, super quo fit examen particulare, particularis, & specialis discussio, sicut etiam specialissimum, & particularizatum propositum de illo vitando fieri debeat; si verò examen particulare solum sinè generali fit, utì immediatè ante prandium à multis fieri solet, memoratæ quinque partes quidem observari, citiùs tamen expediri possunt.

88. Quòd si ab ultimo examine nullius culpæ, aut defectus circa vitium, aut virtutem particularis examinis reum te invenis, gratias age DEO, ei soli gloriam tribue, illúmque pro gratia perseverantiæ, quam efficaciter proponas, invoca, sequentî, aut similî modô. „ Tibi gratias humillimas, tibi soli honor, & gloria Domine DEUS meus, quòd ab ultimo illo examine circa hoc particulare vitium N. N. te non offenderim, vel quòd sanctissimam illam legem, & virtutem N. N. quam observare specialiter proposui, saltem modico hoc tempore, licèt imperfectè, servàrim, vel exercuerim. Da gratiam, ut constanter perseverem, prout firmissimè propono, juro, & statuo custodire legem tuam. „

89. Quæritur V. An, & quomodo fieri debeat annotatio defectuum, & lapsuum in aliquod vitium, sicut & annotatio actuum virtutis oppositæ, quos quis deprehendit in examine particulari? Resp. I. Omnino exactè fieri debet annotatio defectuum, & lapsuum in vitium, vel imperfectionem, super qua fit

fit examen particulare, sicut etiam specialium victoriarum, & actuum virtutis contrariæ exercitorum; ita enim habet doctrina & praxis Ascetarum. Ratio est; quia exinde debitè cognoscere possumus, & debemus, an, & quomodo de die in diem, de septimana in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum proficiamus, hæreamus, vel etiam deficiamus: quatenus vel cum erubescentia, & confusione nostra negligentiam, vel deficientiam videntes, majori cum fervore emendationem proponamus, & procuremus, vel profectum cernentes, Deum laudemus, eique soli gloriam tribuentes, & gratias agentes, aliam denuo materiam pro examine assumamus.

90. Resp. II. Modus annotandi varius est: & quidem, si super aliquo vitio solo sinè distinctione graduum, aut super uno tantùm gradu vitii examen particulare fit, communis, & ordinarius modus est, quòd in libello ad id parato, pro qualibet septimana fiant quatuordecim lineæ, binæ scilicet pro qualibet die ita formatæ, ut posterioris diei lineæ sint breviores prioribûs, quatenus per hoc memores simus, numerum defectuum & lapsuum, qui in illis lineis per virgulas, & puncta, vel circulos notantur, semper debere decrescere; vel si potiùs defectus crescunt (uti nonnunquam contingit) nos debere nostra proposita efficaciùs renovare, magìs vigilare, efficacia remedia adhibere, majorem vim inferre &c.



Schema Annotationis in Examine Particulari pro extirpando habitu distractionum in Divino Officio.

91. D	|| |||| o||o oooo| | ooo	
	| || ooo|| o | oo |	7. 10. 15.
L	| || ooo | o|o	
	| || ooo ||oo	4. 6. 10.
M	|.. || ..... || ||	
	.... | .. |...	4. 5. 16.
M	|| ..... | |	
	|||...,||.	3. 6. 9.
I	|| .... | .|	
	.... | |	2. 4. 9.
V	||... ||||...	
	||.... ||...	3. 7. 13.
S	.... | ..	
	.. | .. |	3. 10.
	Summa	23. 41. 82.

92. Ubi

92. Ubi prior linea in qualibet die servit pro annotatione post factum examen paulò ante prandium; posterior verò linea pro annotatione eorum defectuum, qui deprehenduntur in examine altera vice facto. Porro virgulæ oblongæ denotant *distractionem voluntariam*, virgulæ breviores *semivoluntariam*, seu cum semiplena advertentia; puncta verò, seu circuli distractionem *involuntariam*, & sinè advertentia contingentem; quamvis enim plures hanc distinctionem defectuum, cum, & sinè advertentia commissorum non faciant, sed præcisè omnes defectus indistinctè annotent per virgulas oblongas; memorata tamen distincta annotatio pro majori cognitione nostri, defectuúmque, & habituum nostrorum pravorum admodum conducit, ac propterea meritò suadetur, dummodo in annotandis defectibus inadvertenter commissis nulla anxietas, aut inordinata cura interveniat; cùm nihil referat, etsi non omnes annotentur. Ad finem cujuslibet lineæ Summa defectuum poni potest, & post ultimam lineam Summa Summarum collocari, ita, ut primæ denotent cifræ Sum̄am *defectuum cum advertentia;* secundæ Sum̄am *defectuum cum semiplena;* & tertiæ Summam *defectuum sinè advertentia* commissorum denotent.

93. Resp. II. Si verò in examine particulari plures gradus alicujus vitii eradicandi, vel virtutis implantandæ assumuntur, fit annotatio eodem ferè modo, quo supra in examine generali lapsus notari posse diximus, exceptô, quòd in summitate cellarum, locò integri vitii ponantur certi gradus, Gulæ v. g. juxta sequens, aut simile Schema, cujus initium in libello poni potest, verbis expressis, vel signis, soli examinanti notis.

Schema Annotationis in Examine Particulari.

94. Pro extirpando vitio Gulæ, præsertim autem pro extirpandis tribus gradibus Gulæ, videlicet comedendi *Intempestivè, Avidè, Nimiùm.*

94.	Intempestivè,	Avidè,	Nimiùm,
D	| ||	.. | |	
	| . |	. |	
L	| ||	. |	. ..
	|	| |	
M	| |	| . |	|
	| | |	. | .. |	. .
M	|	| |	
	|	| |	/
I	|	|	
	| |	| .. |	.
V	. |	| | |	
	|	. |	
S	| |	|	
	|	| . |	
Summa.	3. | 7.	6. 10. |	4. 2. 4.

95. Porro eodem modo, quo fit annotatio pro extirpando certo vitio, vel gradu illius, fieri etiam potest, dum instituitur pro implantanda certa aliqua virtute, vel gradu illius, idque vel in diversa, vel in una, eadémque tabella, juxta sequens Schema, casu quo super una tantùm virtute sinè distinctione graduum, aut super uno solo gradu virtutis examen fit.

Schema

Schema Annotationis in Examine Particulari.

96. Pro extirpando habitu *clamorosè*, & *dissolutè* loquendi; ac econtra pro acquirendo habitu loquendi *submissè*, *modestè*, *mansuetè* &c.

D	|| ||| . . || ||
	||| |||| . . . . .
L	| | . |.| ||
	|| ||| . . .
M	. . ||||
	| || . . .
M	. ||||| |||
	| . .
I	. . |||||||
	.
V	|||
S	| . |||
	.
Summa.	9. 15. 21. 27. 8.

Ubi ex prima illa parte, in qua lineæ semper decrescunt, annotantur defectus, & lapsus, ex altera verò, ubi lineæ semper crescunt, virtutes, seu actus illius, & victorias annotare oportet; cùm sicut numerus lapsuum semper decrescere, sic numerus

 actuum

actuum virtutis oppositæ semper crescere, sícque pro illis decrescentes, pro istis verò crescentes lineas habere convenit.

97. Porro in annotandis virtutum actibus duo specialiter observanda videntur: *Primò.* Ne quis anxium, aut minùs solicitum se reddat, quando, & quos virtutum actus annotare debeat; cùm nihil referat, si aliqui omittantur, vel forsan non notandi notentur; quamvìs conducens, & sufficiens videatur, si illi saltem notentur, qui cum aliqua nostri victoria, & mortificatione contra insurgentem tentationem, vel inordinatam inclinationem, vel difficultatem aut sensualitatem &c. vel, adjuvante Deo, majori cum perfectione eliciuntur.

98. *Secundò.* Ne in illis vanam aliquam complacentiam, aut vanam gloriam habeamus, vel cupiamus, illósve propalare quæramus; sed potiùs soli DEO gloriam tribuamus, & debitas gratias ei agamus, sublimi illo versiculo. *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam*, vel repetendô aliquoties *Deo gratias:* etsi nihilominus spiritualem consolationem, & lætitiam in DEO habere liceat, quòd per gratiam DEI non succubuerimus, sed vicerimus, id agendô, omittendô, vel patiendô, unde Deus beneplacitum habet; quoniam consolatio, & lætitia spiritualis ordinariè sequitur virtutem, éstque unus ex fructibus, & effectibus illius, ita, quòd, sicut peccatum, & vitium præter innumera alia mala post se relinquit tædium, tristitiam, cordis gravedinem, mentis turbationem, & inquietudinem, ita econtra virtus, & actus illius præter aliud multiplex bonum generet, & relinquat post se consolationem, lætitiam, pacem, & quietem animi, quarum vel unica sinè comparatione superat innumeras in peccato, aut vitio quæsitas, vel habitas consolationes, utpote falsas ac deceptorias.

99. Quæritur VI. Quomodo piè ac Religiosè ad noctem se quis cubitum conferre debeat? Resp. Ad hoc quis sequentia ante somnum observet, necesse est, videlicet:

100. I. Ut debitas Deo, B. Mariæ Virgini, Angelo Custodi, & SS. Pa-

SS. Patronis, gratias referat pro beneficiis per totam vitam, præsertim per eam diem receptis.

101. II. Ut denuo offerat Deo omnes totius diei actiones, eíque soli de quovis bono factô laudem & gloriam tribuat, sibi verò non nisi malum adscribat.

102. III. Ut de malo commisso, simúlque de omnibus per totam vitam commissis contritionem eliciat, emendationem proponat, veniam precetur, & speret.

103. IV. Ut cum bona intentione sequentem somnum, nocturnásque actiones; & passiones Deo offerat, simúlque contra mala somnia, & phantasmata, illusionésque diabolicas protestetur.

104. V. Tandem ut piis actibûs, & precibûs se muniat, & in Nomine Domini in pace quiescat; quæ cuncta quidem breviter, devotè tamen fieri ideo suadentur, quòd ferè quivis per negotia, & alia diurna ingruente nocte lassatus, vel aliàs ad prolixiora minùs dispositus existat: & melius fit, brevia & modica perfectè, quàm prolixa tepidè, & oscitanter persolvere.

105. Præfati autem actus, & preces nocturnæ fieri possunt unà cum Examine Conscientiæ nocturno, si hoc primùm instituitur post cœnam, vel post illam, & separatim, si nempe Examen jam ante refectionem vespertinam institueretur, ut e. g. tempore recollectionis. Optimum erit, etiam in hoc ordinationem Superiorum exactè observare.

106. Porro Preces vespertinæ, aliíque pii actus, puta gratiarum actionis, contritionis &c. consultò hîc omittuntur: tum, quia illas obvii Libelli precatorii passim exhibent: tum, quia hi actus paulò antè de Examine generali *à num. 59.* allegati, & jam formati habentur. Solùm subnectitur actus *Oblationis actionum totius diei*, qui post actum Gratiarum Actionis elici debet, item & actus *Intentionis capiendi somnum cum protestatione*, quem oportet elicere post actum contritionis & propositi. Itaque elicito actu *Gratiarum Actionis: ô Benignissime &c.* ùt suprà *num. 59.* mox subsequatur

Obla-

Oblatio Actionum totius Dei.

107. „ EAdem intentione, & unione, qua manè, denuo humillimè tibi offero, & immolo me totum, animam, & corpus, potentias, & actus corporis & animæ, omnéque illud, quod hodie per verba, cogitationes, & opera, persecutiones, & afflictiones internas, & externas, omnésque alias passiones, & actiones bene contigit: quidquid in eis bonum, à te, quidquid malum, à me provenit; hinc de omni bono tibi tanquam Patri luminum, omnem laudem, gloriam, & honorem tribuo; de quovis malo autem me solum reum agnosco, pro cujus cognitione, debita pœnitentia, & emendatione, illumina &c. „ ùt suprà *num. 60.* Postea immediatè subnectitur actus *Contritionis, & Propositi*, quos habes *num. 63. & seq.* & denique

Intentio capiendi Somnum cum Protestatione.

108. „ ET quoniam Superiorum, consequenter & tua Divina voluntas est, ut nunc dormiam, quatenus lassatum corpus necessaria quiete reficiatur, & ad debitè tibi serviendum denuo reddatur aptum, sanctissimæ voluntati tuæ humillimè obtempero, & somnum, non quia naturæ arridet, sed quia tibi placet, capio, quem proin in unione sanctissimæ intentionis, qua JESUS Christus filius, ejúsque *B. V. M.* & sancti dormiêrunt, tibi offero, omníque spiratione, & respiratione, & cunctis aliis actionibus, ac passionibus liberis, ac naturalibus tuam Divinam laudem, omnésque possibiles virtutum actus producere intendo, simúlque, quantum possum, protestor contra mala somnia, & phantasmata, ac cunctas illusiones diabolicas. „



CAPUT

CAPUT XVIII.

De Disciplina, Modestia, Humanitate & Civilitate Religiosa externa, debita conversatione, ac compositione morum.

PRo coronide Partis prioris hujus Scholæ Religiosæ, & antequam digrediamur ad Partem posteriorem, quæ internum hominem potissimùm concernit, consultum videtur, & Religiosis tyronibus admodum utile ac proficuum, præsentem adjicere materiam, quatenus hominem externum juxta leges Modestiæ & Civilitatis Religiosæ debitè componere addiscant; quare sit

§. I.

De Natura, Præstantia, Utilitate, & Necessitate Modestiæ, & Civilitatis Religiosæ externæ.

1. QUæritur I. Quid ad propositum, quàm præstans, utilis, & necessaria sit Modestia, sive Civilitas Religiosa externa? Resp. I. Eam variè & nominari, & definiri à SS. Patribus & Ascetis, ita tamen, ut cuncta nomina & definitiones ferè idem significent: nam S. Bonaventura *in Specul. Novit. p 1. c. 7.* vocat *Disciplinam*, & sic definit. *Disciplina Religiosa est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in habitu, & actione.* Ab aliis vocatur *Honestas*, & definitur: Honestas est spiritualis quædam in actionibus pulchritudo, & decor. Ab aliis appellatur *Civilitas*, & à nonnullis *Humanitas*: communiter autem vocatur *Modestia Religiosa*, quæ bene definitur dicendô: Modestia est verborum, actionum, & motuum exteriorum totius corporis debita moderatio; vî hujus enim Religiosus non tantùm in suis

suis verbis, discursu, & conversatione, sed etiam in aliis actionibus, & motibus exterioribus ita se exhibet, ut nîl inhonestum, aut inurbanum, nîl dissolutum, nîl scandalosum, aut indecens in eo externè, sed in cunctis modestus, verecundus, maturus, humanus, humilis, & mansuetus: uno verbo, irreprehensibilis, indéque meritò amabilis, & ædificativus appareat, adeò, ut Disciplina, & Modestia Religiosa externa, verè omnem externam virtutem, præsertim honestatem, verecundiam, humilitatem, mansuetudinem, veritatem, sinceritatem, prudentiam, humanitatem, & civilitatem comprehendat, uti magis patebit ex sequentibus.

2. Resp. II. Modestia, Civilitas, & reliqua Disciplina Religiosa externa, à communi Sanctorum Patrum & Ascetarum adeò semper fuit æstimata, & commendata, ut una ex virtutibus non tantùm Religioso, sed & toti Religioni summè proficuis, & necessariis tum ad propriam, tum aliorum salutem procurandam, meritò reputetur. Rationem de propria salute allegat Sanctus Bonaventura *loc. cit. c. 7.* Quia *Disciplina*, inquit; *est malorum desideriorum carcer, frenum lascivia, elationis jugum, quæ domat intemperantiam, levitatem ligat, & inordinatos motus mentis suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis; ita quoque, dum corpus per Disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur, & paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cùm per Disciplinæ custodiam mali motus foras fluere non sinuntur.*

3. Ratio autem de salute proximi est; quia nulla virtus Religionem, & Religiosum adcò commendat, nulla æstimationem & famam ejus ita procurat, amorem & affectum conciliat, nulla proximum ita ædificat, & ad imitandum disponit, ac Modestia, & Disciplina religiosa externa; sicut econtra nîl Religionem, & Religiosos adeò contemptibiles, atq; ad Dei gloriam, & salutem aliorum procurandam ineptos reddit, ac defectus Disciplinæ, & Modestiæ externæ, vel vitia ei opposita, qualia v. g. sunt dissolutio, scurrilitas, multi-vel stultiloquium, clamorositas, contentio, ira, falsa politica, inurbanitas, temeritas, jactantia &c.

4. Ex-

4. Experientiâ etiam constat, eam Religionem, & Religiosos magis æstimari, & amari, indéque ad Dei gloriam, & proximi procurandam salutem magis idoneos esse, in quibus major viget Modestia, & Disciplina Religiosa externa; quia homines judicant, & moventur secundùm ea, quæ externè apparent, nec immeritò; cùm juxta S. Bonaventuram externa compositio corporis sit indicium devotæ, & compositæ mentis, ac hominis internè bene disciplinati; eò quòd homo internè malè constitutus, aut indisciplinatus, externam disciplinam, & modestiam, quantumvis velit, diu simulare non possit, quin interni defectus, & mali affectus indisciplinatæ mentis, inordinatorum affectuum, passionum, aut malorum habituum passim se prodant, & externam disciplinam, ac modestiam, quam præseferre ad tempus videtur, commaculent. Hinc S. Bonaventura *de sex alis Seraphim. cap. 3.* ait: *Cavenda est negligentia exterioris Disciplinæ, quæ pro decore Religionis, & habilitationis profectûs spiritualis statuta est; cujus desertio signum est neglectæ conscientiæ, & interioris levitatis.* Pariformiter de præstantia, utilitate, & necessitate modestiæ, & disciplinæ externæ loquuntur alii SS. Patres.

5. Principaliter verò ipsa Scriptura Sacra, exemplum, & doctrina Christi, B. V. Mariæ, S. P. Francisci, & aliorum præstantiam, utilitatem, & necessitatem nobis innuunt, & ad eam amplectendam non tam movent, quàm trahunt. *Induite vos*, inquit Apostolus *Coloss. 3. v. 12. sicut electi Dei, sancti, & dilecti, benignitatem, humilitatem, modestiam.* & *ad Philipp. 4. v. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus:* item *1. ad Thessalon. 4. v. 10. & 11 Rogamus vos fratres, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt.* Dein variis in locis Doctor gentium commendat nobis humanitatem, & urbanitatem debitam (quæ est pars modestiæ, ac disciplinæ religiosæ) dum *12. Rom. v. 10.* vult, ut simus *Honore invicem prævenientes:* & reddamus debitum *Honorem, cui honorem. Ibidem 13. v. 7.* Pariter mansuetudo, & humilitas tanquam partes disciplinæ, & modestiæ religiosæ passim nobis commendantur; sic enim Ecclesiastes *c. 3. v. 19.* monet:

Fili, in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris. *Proverb. 3. v. 34. Mansuetis dabit gratiam.* *Psalm. 36. v. 11. Mansueti delectabuntur in multitudine pacis.* & *Prov. 22. v. 4. Finis modestiæ, timor Domini, divitiæ, & gloria, & vita.*

6. Sanè Christus Dominus inter alias virtutes specialissimè amabilem, & imitabilem etiam externè se exhibuit in modestia, mansuetudine, & humilitate, eáque homines ad sui amorem, & imitationem efficacissimè traxit, adeò, ut Apostolus aliquos seriò adhortari, & convertere volens, credénsque, non esse efficacius medium aliquem movendi, & trahendi, quàm per vel cogitatam duntaxat modestiam, & mansuetudinem Christi *2. Cor. 10. v. 1.* utatur illis verbis: *Obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi.* Porro Amantissimus Servator sicut factis, ita verbis modestiam, mansuetudinem, & humilitatem nos docuit, signanter volens, ut has virtutes ab eo disceremus, dicendô: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Matth. 11. v. 29.*

7. Mirabilia sunt, quæ de modestia, mansuetudine, benignitate, & honestate externa B. V. Mariæ scribunt SS. Patres: paucis complectendô, erat perfectissima imitatrix modestissimi, & mansuetissimi Filii, ita, ut sicut ex hujus, ita etiam ex illius solo aspectu, ad amandam, & imitandam amabilissimam modestiæ virtutem homines moverentur.

8. De S. Patre nostro constat, quòd tantæ fuerit modestiæ, ut ex solo etiam illius aspectu magis conversi fuerint homines, quàm ex Concionatorum multorum eloquentia; prout & ipse modestum, ac exemplarem incessum, & vitam, concionem omnium optimam nominavit, & ita incedendô concionari se dixit. Unde virtutem modestiæ, & disciplinæ externæ summè æstimans, eam Fratribus suis in Regula summopere commendavit, & observandam proposuit, volens expressè *Cap. 3. Reg. Ut non litigent, neque contendant verbis, nec alios judicent, sed sint mites, pacifici, modesti, mansueti, & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet.* Quibus planè divinis verbis virtutem modestiæ religiosæ, & disciplinæ externæ, partésque illius pulcherrimè expressit, &, ut servarentur,

cor-

cordialissimè, & efficacissimè rogavit, ac voluit, urgendô: *Consulo, moneo, & exhortor fratres meos;* & quidem: *in Domino JESU Christo, ut sint mites. &c.*

9. Quare Charissimi! si pacem, & quietem animæ vestræ cum ingenti merito habere, si Dei gloriam, & salutem proximi efficaciter promovere, si Religionis, & vestram etiam famam, ac honorem conservare, & promovere, si coram Deo & hominibus accepti esse velitis, semper & ubique maximè cordi habete, amate, & observate modestiam, honestatem, mansuetudinem, civilitatem, & disciplinam religiosam externam: memoriæ altè imprimite, & in praxin, ac habitum deducere studete eas, quas tum generales, tum particulares subjungemus, Regulas.

10. Quæritur II. Ubi, & à quibus Modestia, & Disciplina Religiosa sit observanda? Resp. I. Ea semper quidem, & ubique, etiam, dum soli sumus, præcipuè tamen in publico coram aliis, & ibi est studiosè observanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum; prout rectè docet S. Bonaventura *Spec. Nov. part. 1. cap. 7.* dicens: „ Quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentiùs tamen, & magìs solicitè ibi est servanda, ubi neglecta generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum: „ ubi postea meritò subjungit; „ sæpe tamen etiam illa (ad modestiam & disciplinam externam spectantia) quæ in publico necessaria sunt, priùs in secreto exercitationis usum exposcunt; quia, si prorsus ea in occulto negligimus, uti postmodum eis, dum opus est, in publico non valemus, & tunc aut prorsus à disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut ineptè id, quod in nobis non est, simulare conantes, irrisionem excitamus. „

11. Quare in Christo admonemini Charissimi, & in Domino rogamini, ut, dum etiam soli, & extra conspectum Superiorum, vel aliorum estis, omnem modestiam, mansuetudinem, honestatem, & disciplinam in verbis, moribus, & actionibus externis juxta regulas infra ponendas observetis, honore, obsequio, & charitate invicem prævenientes &c. quia certum est, quòd, qui in claustro immodestus & indisci-

disciplinatus esse assuescit, etiam coram aliis, & in publico, talis futurus sit.

12. Resp. II. Disciplina, & Modestia Religiosa externa ab omnibus, & singulis, præcipuè tamen à Juvenibus Religiosis exactè est custodienda; quòd ab omnibus, etiam Senioribus, & Superioribus sit observanda, suadent paulò ante dicta: quòd verò specialiter à Juvenibus servari debeat, variè *in Speculo Disciplinæ* demonstrat S. Bonavent. inter alia *Part. 1. cap. 5.* dicens: *Religionis confusio, juvenis præsumptuosus, & effrons:* dum econtra de disciplinato, modesto, & verecundo dicat S. Bernardus *Serm. 86. super Cantica:* „ Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc, & quàm splendida gemma, verecundia morum in vita, & vultû adolescentis? quàm vera, & minimè dubia bonæ nuntia spei? bonæ indolis index? virga disciplinæ, expunctrix malorum & propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, & insigne totius honesti? „ Quis non moveatur à tanta laude, & fructibus modestiæ, & verecundiæ in Juvene Religioso?

§. II.

De Regulis Modestiæ, Civilitatis, & Disciplinæ Religiosæ externæ in communi.

13. Apud omnes in confesso est, de Modestia, & Disciplina Religiosa externa exactissimè, simul & sanctissimè scripsisse in suis Opusculis Doctorem nostrum Seraphicum S. Bonaventuram, adeò, ut plures Religiones, spiritum, prudentiam, & doctrinam hujus Viri tanquam verè Seraphicam, & divinitus inspiratam admirantes, ex dictis Opusculis, præsertim verò ex Speculo Disciplinæ ad Novitios, formam & regulas modestiæ, ac disciplinæ religiosæ externæ pro suis alumnis desumant, eísque servandas præscribant: & meritò, cùm vix melius, perfectius, & sanctius ad propositum excogitari possit, ac soli-

solidissima doctrina hujus Viri; quam, sicut in aliis ejusdem Tomis, ita in præfatis Opusculis diu noctúque legens, & considerans, ac legendô nusquam satiari valens, celeberrimus Cancellarius Parisiensis Gerson plenus admiratione, & æstimatione hujus Viri dicere solebat: „ Quantò diligentiùs in senectute mea sum revolutus ad studium ipsius, tantò confusa est garrulitas mea, dixíque mecum, sufficit hæc Doctrina: ut quid stulto labore consumeris? quid dictas? quid scribis? multiplicentur potiùs, & transcribantur Opera Doctoris istius, qui verissimo nomine Seraphicus, simul & Cherubicus est; quia inflammat affectum, & erudit intellectum. „ Jam

14. Quæritur. Quæ sint communes, & universales, sive generales Regulæ Modestiæ, Honestatis, Civilitatis, & reliquæ Disciplinæ Religiosæ externæ? Resp. *Prima* generalis & universalis Regula est. Attentè legere, & relegere, bene imprimere, debitè observare, & in praxin, seu habitum deducere Regulas, & Doctrinam, quam de hac materia in suis Opusculis, præsertim verò in Speculo Disciplinæ ad Novitios, scripsit D. Bonaventura: quia hanc observantes eritis reverà perfectè modesti, civiles, & undique perfectè disciplinati Religiosi: unde, ut primam hanc universalem, & principalem regulam observetis, consequenter, ut laudati S. Bonaventuræ doctrinam, in specie verò ejusdem Speculum Disciplinæ ad Novitios attentè ac debitè (nempe juxta regulas rectè legendi supra *Cap. XVI. à num. 20.* traditas) tempore à Superioribus præscripto legatis, & relegatis, ac in praxin deducatis, nec tantùm in Novitiatu, & primìs annìs conversionis vestræ, sed & in quavis alia subsequenti ætate, statu, & officio deinceps constanter observetis, necesse est. Quippe non ideo ad Novitios inscriptum est, quasi pro illis solis serviret, illíque soli illud servare deberent, sed ut ex illo Novitii, & alii Juvenes Religiosi primìs statim annìs instruantur, & addiscant, qualiter reliquo vitæ tempore in quocunque statu aut officio modestiam, civilitatem, & reliquam disciplinam religiosam externam observare debeant.

15. Cæterùm, quia reliqua Opuscula S. hujus Doctoris Ecclesiæ

clesiæ, uti *de Institutione Novitiorum: de Regulis Novitiorum: de Profectu Religiosorum &c.* non omnibus sunt ad manus, ex illis, & ex Speculo Disciplinæ regulas aliquas communes, & particulares pro commoditate, & utilitate vestra compendiosè extractæ sunt; debita tamen lectio, & relectio Speculi Disciplinæ impensè commendatur.

16. *Secunda* Regula universalis. Modestia, & Disciplina externa non tantùm coram hominibus, sed etiam vel maximè coram Deo, & Angelo Custode exhibenda est, ita, ut solus existens tam disciplinatè & castè te habeas in visu, gestu, tactu, gressu & omnibus aliis, ac si ab aliquo adverteris. Hanc regulam tradit S. Bonaventura *de Institut. Novitiorum. p. 1. cap. 16.* ubi etiam rationem refert illis verbis: „ Quia SS. Angeli, qui nobiscum sunt, semper vident omnia opera, quæ facimus, quorum aspectus debemus ubique vereri, & præsentiam revereri. Videt nos etiam ipse Deus, & Judex noster; videt etiam nos ipsa conscientia nostra, testis eorum, quæ facimus, & accusatrix. Qui autem magis veretur hominum aspectus, quàm Dei, & conscientiæ propriæ, & SS. Angelorum, non est castus amator boni, & qui non declinat ex amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris, talis non est verus Christi servus, qui adhuc magis placere cupit hominibus, quàm Deo; unde Apostolus: si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem: cui enim plùs doles displicere, ei plùs appetis placere. „ quamvis enim Deus cor potissimùm respiciat, omnino tamen decet, ut internæ Modestiæ, reverentiæ, & Disciplinæ erga DEUM, externa quoque correspondeat.

17. Accedit, quòd, qui quovis etiam occulto in loco ob DEUM, & Angelum Custodem præsentes, in omnibus modestum, reverentialem, & disciplinatum se exhibet, præsentis DEI jugiter recordari, grandi cum utilitate spirituali assuescat, ac insuper præter magnum meritum, quod ex quolibet, etiam minimo actu modestiæ, aut reverentiæ erga DEUM habet, id quoque obtineat, quòd modestiam ac disciplinam externam faciliùs, & perfectiùs etiam coram hominibus exerceat. Quare omnis

omnis gestus, actio, vel positio corporis, quæ coram quocunque homine esset indecora, multò magis coram Deo, & Angelis ob respectum & reverentiam erga illos cavenda erit, adeò, ut, licèt ob necessitatem, infirmitatem, aut debilitatẽ naturæ multa honestè fieri possint, quæ honestè videri non possunt (ùt ait Sanctus Bonaventura) tamen etiam in his, ob præsentiam Dei, & Angelorum, bene attendi debeat, ut, quantùm possibile est, modestia, & honestas observetur.

18. Errant proinde contra hanc Regulam, qui, quando à conspectu hominum remoti sunt, in situ, & compositione corporis, & membrorum, ac in actionibus suis exterioribus solam sensualitatem, aut commoditatem suam attendentes, sinè ullo respectu erga DEUM, & Angelum Custodem præsentem, nullas modestiæ, honestatis, ac reverentiæ leges observant, ne quidem in precibus, & conversatione cum Deo.

19. *Tertia* universalis Regula est. Quivis modestiæ, reverentiæ, ac disciplinæ Religiosæ actus, sive coram solo Deo, sive coram hominibus fiat, ex serio, sincero animo, & eo fine, ac intentione procedat, ad quem à Deo, Superioribus, vel ipsa natura ordinatus est, ita, ut exterior actus cum interno correspondeat, &, ubi finis specialis non constat, saltem ex motivo obedientiæ (quia videlicet ita Superior, consequenter Deus vult, & præscribit) vel ædificationis, charitatis, pacis &c. fiat.

20. Errant contra hanc Regulam mundanorum plurimi, qui quidem externos modestiæ, urbanitatis, reverentiæ, submissionis, & sincerationis actus plurimos passim exercent, ac multiplicant, id tamen non sincerô animô, nec debito fine, sed plerumque vel ex mera falsa politica, vel ex amore, ac interesse proprio id faciunt, internìs cum externis actibus minimè correspondentibûs.

21. Errant prô dolor! & plures Religiosi contra hanc Regulam, qui ad imitationem sæcularium sæpe etiam externos aliquos modestiæ, civilitatis, & humilitatis actus vel ex solo amore proprio, hypocrisi, vana gloria, & ambitione, vel ex alia simulatione, aut falsa politica huma-

humana exercent, quam, tanquam Deo summè odiosam, & animæ perniciosam, ut totâ vitâ omnibus viribus fugere studeatis, per omnia sancta, & animæ vestræ salutem enixè rogamini.

22. *Quarta* Regula universalis est. In exhibenda aliis, sive nostris, sive alienis urbanitate, & reverentia, non fiat excessus, nec ad imitationem modi politici sæcularis; quia nimia urbanitas, excessivæ cæremoniæ & complementa sunt odiosa, & plerumque ex mente minùs sincera prodeunt, & modus politicus sæcularium Religiosum (præsertim pauperem) undequaque dedecet. Alia siquidem est Schola urbanitatis sæcularis, alia urbanitatis Religiosæ. Et sæpe, quod in sæculari decorum est, in Religioso indecens foret.

23. *Quinta* Regula universalis, eáque bene imprimenda, est. In omnibus actionibus nostris externis appareat unà cum modestia maturitas, humilitas, & benignitas. Hanc regulam tradit S. Bonaventura *lib. 2 de Profectu Religiosorum. cap. 11.* illis verbis. „ Morum disciplina in Religiosis triplici colore decoratur: si sunt maturi, humiles, & benigni. Maturi, ut non sint leves ad currendum, nec proni ad risum, vel curiosi, vel verbosi, nec joculatores. Maturitas intus mentem componit, & totum corpus exteriùs ab insolentia custodit. Caput regit, ne leviter hinc inde circumferatur; oculos, ne vagentur; aures, ne curiosè auscultent, quæ minùs expediunt; linguam refrænat ab otiosis, & infructuosis verbis; manus ab inutilibus occupationibus; pedes à vanis deambulationibus, & indecentibus divaricationibus, & totum corpus ab inquieto motu cohibet, nisi secundùm quod ratio exposcit. Humilitas morum deprimit cervicem, humile format responsum, gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter novissimos locat, ostentationis declinat notam, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem se facit, ad opprobria tacitum, ad honores oblatos verecundum, promptum ad descendendum, difficilem ad indignandum. Benignitas facit amabilem, & compassivum afflictis, tractabilem, & exorabilem, & flexibilem ad consilia, communicativum sui, & suorum, in bono hilarem, & modestum,

destum, & jucundum, fidelem, & socialem, nullum spernentem, vel temerè judicantem, gratum, beneficum, omnibus gratiosum. Benignitas facit, ne austera, & dedignabunda putetur. Econtra Maturitas temperat benignitatem, ne levis, & carnaliter blandiens, vel adulatoriè applaudens æstimetur. Temperat humilitatem, ne nimis abjecta, vel affectata videatur. Humilitas reddit imitabilem, Benignitas amabilem, Maturitas venerabilem. „

24. Visis iis, quæ de Regulis generalibus Modestiæ Religiosæ in communi disseruimus, recto ordine ad Regulas etiam particulares, quibus Juvenis Religiosus circa debitam compositionem totius hominis exterioris dirigitur, per subsequentes §§. progredimur; unde ponitur

§. III.

De Regulis Modestiæ, Mansuetudinis, Urbanitatis, & Disciplinæ Religiosæ externæ in usu Linguæ, Discursu, & Conversatione cum aliis.

25. QUæritur primò. Quæ sint regulæ Modestiæ, Urbanitatis, & Disciplinæ Religiosæ externæ in loquendo, seu discurrendo observandæ? Resp. De his bene agere S. Bonaventuram *in spec. Disciplinæ. Part. 1. c. 20.* (cujus proin Doctrinam attentè legatis, bene imprimatis, & debitè observetis, oportet, Charissimi) pro majori tamen vestra commoditate ex doctrina S. Bonaventuræ, & aliorum certas quasdam regulas loquendi, & discurrendi subjungimus, & sunt sequentes.

26. I. Regula. Nulla locutio, vel discursus, quicunque tandem, fiat cum clamore, seu clamorosa & alta voce, sed cum quadam submissa, & suavi, virili tamen, non effæminata, vel affectata voce.

27. Hanc Regulam ferè omnes SS. Patres, ac spiritualium rerum Magistri tradunt, & summopere commendant, præsertim D. Bonaventura *loc. cit.* ubi ait: „ Loquentis sonus debet esse demissus pariter, & suavis; quia

quia clamositas & verborum asperitas locutionem Religiosi plurimùm quidem & dedecet, & deturpat. „ Et S. Bernardus ex S. Benedicto clamorosam vocem in loquendo inter gradus superbiæ ponit.

28 II. Regula. Quævis locutio sit mitis, & mansueta, id est, à quavis ira, indignatione, & impetuositate totaliter aliena. Hanc Regulam S. Scriptura, & SS. Patres plurimùm commendant, & in omni discursu erga omnes omnino observari volunt. *Omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes,* scribit S. Paulus *ad Titum c.3. v.2.* Et S. Pater Franciscus in Regula sua expresse ordinat, ut Fratres in discursu sint *mites, & mansueti:* ac S. Bonaventura *loc. cit.* hanc regulam maximè servari volens, ait: „ Sive Fratri, sive extraneo, sive magno, sive parvo loquantur, semper in ore verbi dulcedinem habeant, omnem ad omnes mansuetudinem ostendentes. „

29. III. Regula. Quævis locutio sit pacifica, id est, sinè litigiosa contradictione, vel irreligiosa contentione verborum. Si de re aliqua diversa nobis opinio, sententia, vel scientia est, eáque manifestanda videtur, rationes modestè, humiliter, & charitativè, absque altercatione proponantur, eo animo, ut suus veritati locus sit, non ut unus alterum confundat, vel convincat. Hujus Regulæ observantiam specialissimè desiderat S. Pater Seraphicus in Christo JESU adhortans suos, *ne litigent, vel contendant verbis, sed sint mites, pacifici &c.* „ Indignum penitus servis Dei (ait S. Bonaventura *ibid.*) muliercularum more contendere; si resistentiæ incidant verba, cedendum continuò resistenti. Honor est homini, qui separat se à contentionibus. Non potest esse, quin contentio aliquid, quod contra conscientiam dicatur, extorqueat; ergo inter servos DEI collatio, non altercatio debet esse. „

30. Contra hanc regulam errant plures, etiam Religiosi, qui diversas inter se opiniones, vel sententias de eadem re pertinaciter tenentes, sinè modestia, humilitate, & charitate, clamorosè, ac irreligiosè altercantur, & verbis contendunt, ita, ut subinde in litigia, & mutuas contumelias scandalosè declinent, etiam in casu, in quo de materia nullius prorsus momenti quæstio, vel sermo est.

31. IV.

31. IV. Regula est. Omnis sermo sit charitativus, id est, ab omni detractione, contumelia, & alia quavis mala locutione, vel murmuratione de alio (sive præsente, sive absente) penitus alienus; sicut etiam à verbis mordacibus, directè, vel indirectè punctoriis, aut ad alterius confusionem, irrisionem &c. tendentibus. Commendat hanc regulam prælaudatus Doctor Seraphicus *de Institut. Novit. p.1. c.23.* scribens: „ Sic loquere de absente, ac si scires eum prope assistere, & auscultare. Non timeat te quisquam, quòd in absentia sua famam ejus denigres: magnum vitium est Religioso, dicere de absente, quod erubesceret loqui, si audiret.„ *& cap 22 ibidem:* „ Verba tua sint sinè compunctione amaritudinis, & obliquæ redargutionis, vel irrisionis „ Et S. Pater Benedictus *in Regula c.34. Murmurare, aut conqueri nesciant, nec murmurationis malum pro qualicunque causa, in aliquo qualicunque verbo, vel significatione appareat:* utì citatur à S. Bonavent. *Spec. Nov. p.1. c.20.*

32. V. Regula est. Quævis locutio sit humilis, nullam redolens superbiam, præsertim verò omnis, quæcunque tandem jactantia, seu gloriatio de se, vel de suis, diligentissimè caveatur. Jactantia siquidem Deo, & hominibus multùm exosa, privat bene facta meritis, & locò æstimationis, vel laudis, quam jactans intendit, despectum, & vilipensionem, certissimè affert, „ Jactantiam, inquit S. Bonav. *de Institut. Nov. p.1. c.25.* quàm diligentissimè cave, & nunquam des alicui intelligere, quòd aliquid sit in te commendabile: vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin etiam alii intelligant: & si tu taces, & abscondis, plùs placebis, si autem prodis, & commendas, irrideberis, & vilesces, & unde priùs ædificabantur, inde postea despicient te.„

33. VI. Regula est. Omnis locutio sit quieta, pacata, & serena, eodem semper, eóque sereno vultu, sinè ullo signo turbatæ mentis, inordinatæ commotionis, aut passionis, tædii, vel aversionis: sicut etiam sinè inordinato membrorum e. g. capitis, manuum &c. motu. Hanc regulam tradit S. Bonavent. *cap. 20. Specul. Discipl.* dicens: „ Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinatè, nec turbulentè inter loquendum membra moveat, nec oculo-

rum nutibûs, labiorum contractione, vel altero non decenti alterationis modo vultûs honestatem deformet, sed in eadem vultûs constantia semper permanens, severitatem benignam, & constantem benignitatem prætendat. Errant contra hanc regulam plures, qui plùs manibûs, quàm ore loquuntur; item, qui tristi, vel melancholica facie apparentes, verba non nisi cum fastidio, vel impatientia proferunt, & inconstante vultu, & affectu, modóque loquendi, internam inordinatam, & inconstantem mentem satìs ostendunt.

34. VII. Regula est. Sermo, & discursus quivis omni cum sinceritate, & veritate fiat, ita, ut non tantùm ab omni politica falsitate, simulatione, adulatione, quovis mendacio, & duplicitate, sed etiam à quavis hyperbolica, ac exaggerativa locutione sit penitus alienus. Hanc regulam ipsemet commendat Spiritus Sanctus *Eccli. 37. v. 20. Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* & præter alios SS. Patres D. Bonaventura, volens, ut ad eam observandam incerta & dubia, non absolutè proferantur pro certis, aut econtra, sed semper cum aliqua conditione vel clausula veritatem tuitiva. „Non solùm mendacia (ait *loc. mox cit.*) verùm etiam locutiones hyperbolicas, & aliqua duplicitate notabiles, penitus vitent; loquentes de dubiis, aut futuris nunquam absolutè loquantur, sed in hujusmodi omnibus semper conditionem apponant. „ Hæc regula eò cautiùs & exactiùs observanda erit, quò magis ejus transgressio Religiosum reddit contemptibilem, & exosum, ejúsque bonam famam, & æstimationem plurimùm minuit; si enim etiam in sæculari mendacium, falsa politica, vel affectata verba contemptum pariunt, famámque, & æstimationem minuunt, multò magis in Religioso id efficiunt, utpote in quo specialiter turpe esset, in verbis esse mendacem, affectatum, vel falsum politicum.

35. VIII. Regula est. Omnis locutio sit humana, & urbana, erga omnes, suum cuivis honorem deferens, ab omni rusticitate, & verbis incultis aliena. Sic etiam vult S. Paulus *ad Rom. 12. v. 10.* absolutè, *Ut simus honore invicem prævenientes:* & S. Pater Franciscus in Regula, ut simus *Honestè*

(id

(id est, debita cum humanitate, urbanitate &c. *loquentes omnibus, prout decet,* pro qualitate videlicet statûs, & personæ, cui loquimur.

36. IX. Regula est, Omnis locutio sit seria, utilis, vel necessaria, à vaniloquio, nugis, jocis, & verbis otiosis aliena. „ Otiosa verba, inquit S. Bonaventura *P. 1. c. 20. Specul. Discipl.* non conveniunt Religiosæ dignitati. Nugæ, ùt ait S. Bernardus *Lib. 2. de Considerat. cap. 13.* inter sæculares, nugæ sunt, in ore Sacerdotis aut Religiosi blasphemiæ. Interdum, si incidant, ferendæ fortasse, referendæ nunquam. Os talibus aperire, illicitum, assuescere sacrilegum est. Fœdè ad cachinnum moveris, fœdiùs moves. Dissuesce à vaniloquio linguam, qui ad profectum Religionis aspiras. „ Processurus in publicum, præmuni teipsum, & animo statue, à verbis inanibus abstinere. Quòd si subinde tempore recreationis, vel distractionis, aut ad exhilarandum proximum ex virtute eutrapeliæ jocosum aliquid proferendum videtur, id parcè omnino, modestè, honestè, & charitativè sinè ullius offensa fiat.

37. X. Regula est, Nulla locutio juramentô firmetur, nisi Judicium, vel Obedientia id requirat. Nam, ùt ait S. Bonav. *loc. cit.* „ Jurare nunc per caput, nunc per Sanctos, vel alio quovis modo, Christi (qui ait: sit sermo vester, est; est, non, non) discipulo minimè congruit. „ Accedit, quòd illi, qui sæpe jurat, minùs credatur, utpote qui ita jurandô ostendit, verba sua absque juramento veritatis incerta esse. Debemus esse ita veridici, ut nobis sinè juramento credatur.

38. XI. Regula est. Quævis locutio fiat tardè, cum humili quadam modestia, & suavi gravitate Religiosa, sinè ulla præcipitantia, vel celeritate verborum.

39. XII. Regula est. Omnis locutio sit considerata, matura, ac parca, seu nunquam inconsideratè, imprudenter, & superfluè fiat. Hæc regula ad debitam observantiam cujuslibet ex præcedentibus summè est necessaria; qui enim inconsideratè id statim, quod incidit, vel ad quod inordinatus affectus naturalis, aut passio inclinat, sinè ulla consideratione effutit, unam vel plures regulas modestiæ, urbani-

banitatis, & disciplinæ religiosæ ordinariè violabit, & alios errores cum suo, & aliorum damno committet; quia certum est, quod dicit Scriptura *Prov. 13. v. 3. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Item *Prov. 10. v. 19. In multiloquio non deerit peccatum.* hinc rectè monet S. Bonaventura *cit. cap. 20. Sapiens, quando loquendum, quando tacendum sit, prudenter considerat.* Est autem hæc regula specialiter observanda à junioribus Religiosis: nam, ùt ait S. Bonavent. *ibidem: Junioribus fratribus ferè semper inter Seniores usque ad interrogationem tacendum. Adolescens, ait Scriptura, loquere in tua causa vix, cùm necesse fuerit, si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. Eccli. 32. v. 11. & 12.*

40. Errant contra hanc regulam, qui statim, quod incidit, vel ad quod passio, aut affectus inclinat, sinè ulla consideratione, sive materiæ, sive personarum, locorum &c. ex garrulitate, vel inordinato affectu, aut passione, vel ex vana gloria, ut & ipsi aliquid scire videantur, imprudenter, vel præsumptuosè effutiunt, præsertim, si etiam multum, & superfluè loquantur; qui etiam plerumque ex unico tali discursu suam æstimationem, siquam priùs habebant, vel perdunt, vel certè plurimùm minuunt.

41. Quæritur II. Quæ aliæ adhuc sint Regulæ Disciplinæ, Modestiæ & Urbanitatis Religiosæ in discursu & conversatione cum aliis? Resp. Esse plures, quarum aliquas ex S. Bonaventura, & aliis SS. Patribus, ascesis item, & disciplinæ regularis Magistris, de verbo ad verbum quasi desumptas, hìc subjungemus, ita tamen, ut ab eorum allegatione abstinentes, breviter tantùm ipsam regulam adducamus, usum & praxin illarum vobis impensè commendantes.

I. Est loquente alio nunquam loquaris, nec loquentium verba quovis pacto interrumpere præsumas.

II. Cùm quis narrare cœperit quidpiam, non ostendas narranti, te id ante jam scire; multò minùs dicta illius corrigas, aut refellas, sed nec aliquibùs signìs, aut nutibûs, & rem probè te intelligere, vanè ostentes.

III. Si in privato discursu lo-

quenti

quenti cuipiam non protinus verba suppetant, quibûs suum compleat sensum, tu non statim suppleas, velut loquenti subvenies, sed vel omnino tace, vel parùm expecta, quatenus interea ipsi narranti incidere valeant necessaria verba.

IV. Si de te, vel tuis, & aliis simul quid narras, te, vel tuos ultimò adducito v. g. *dum Titius, Mævius, & ego eramus ibi.*

V. Si dicat, vel committat aliquis quidpiam indecens, verecundiæ illius consulens, dissimula te advertisse, & nullatenus errorem commissum importunè indica aliis, multò minùs subsannandô, vel subridendô excipe.

VI. Secretò loquentibus ne te ingeras, vel appropies; sed nec, aliis præsentibûs, cum unó illorum secretiùs ad aurem loquaris; hoc enim nimis offensivum aliorum est, qui te minùs sibi fidere exinde facilè putant.

VII. Vocaturus aliquem accedito propiùs ad ipsum; turpe enim est, sibilô de longè, aut nutu manûs vocare aliquem, præsertim si sit dignior; nisi nimia distantia, difficilis accessus, vel negotium admodum urgens aliud exposcat.

VIII. Dum alios alloqueris, abstineas ab omni contactu, etiam ludicro, & jocoso, non tantùm vultûs & manûs, sed etiam vestimentorum.

IX. Nullum Religiosum solo nomine suo appelles, dicendô v. g. *Paule accede*, sed appone religiosæ prænominationis insigne v. g. *Pater Paule, Frater Petre.* Gravioribus verò, & in officio constitutis, titulum juxta leges Ordinis debitum præpone, & ipsum nomen Personæ omittens, nomen Officii appone.

X. Tuisationem, & locutionem in secunda persona *tu, te, tibi,* respectu omnium tam extraneorum, quàm confratrum evita: & semper in plurali loquere, *Vos, Vobis*, nisi puerulus fortè sit, cui loqueris. Porro in numero plurali loquens, urbaniori modô utere, etiam inter confratres, consequenter non utaris germanicô vocabulô Ihr, Euch v. g. Ihr solt zu disem gehen: thut ihr daß: Ich will Euchs sagen ꝛc. sed adhibe vocabulum, Er, der, Sie ꝛc.

XI. Solus tecum nec colloque-

re, nec ride, quia ſtultorum hæc ſunt ſigna.

XII. Colloquens cum altero, vultui illius non nimiùm appropinqua, ſed paululum diſta; & diligentiſſimè cave, ne halitûs aſpiratione in faciem illius inſuffles, aut per halitum ipſum forſan fœtidum ex indigeſto cibo, vel potu, vel aliàs malè conſtituto ſtomacho, aut ore provenientem, ſenſus, & nares offendas, quod apprimè cavendum.

XIII. Nulli vitia exprobres, nec naturæ quidem.

XIV. Si alii de re aliqua contendunt, nulli, niſi quid cogat, accedito; quod ſentis, pertinaciter non defende.

XV. Somnia tua nemini, niſi fortaſſe ex cauſa rationabili intimis tuis familiaribus referto.

XVI. Verbîs linguæ tibi ignotæ, aut quam non bene calles, non loquere, niſi in re neceſſaria, aut ut animi tui ſenſum magìs exprimas: vernaculâ utens, non inconcinnè, ùt ruſtici, aut plebei, ſed ùt politiores, cultè, & eleganter, minimè tamen affectatè, loquere.

XVII. In converſatione non ſis moroſus, & difficilis, ſed comis, affabilis, & liberaliter, modeſtè tamen, ac humiliter officioſus.

XVIII. Dum aliorum colloquió intervenis, non percontare, qua de re ſit ſermo, ſed potiùs, ſi eos conticuiſſe ſenties, quia tibi referre cogitant, urbanè, & comiter precare, ut inceptum continuent; econtra, ſi tibi colloquenti quis intervenit, præſertim vir ſpectatus, & gravis, decorum erit, ſermonem habitum compendiosè referre, & deinceps totum proſequi.

XIX. Hominum cum hominibus comparationem devita, omnis enim comparatio odioſa: adeóque etiam tunc, ſi quis ob rem bene geſtam, aut ob aliam virtutem laudatur, coram eo alterum de eadem virtute non laudes.

XX. Laceſſitus verbô, aut injuriosè appellatus nec reſpondeas, neque te defendas, ſed ex ſuperno motivo vel tace, vel rem jocô elide, oſtendens, te illâ modicè tangi.

XXI. A ſuperfluis præambulis & excuſationibus de inſufficientia tua ad dicendum abſtine, & à re ipſa prudenter ordire, & ſincerè proſequere.

XXII.

XXII. Qui linguâ minùs expeditus, minúsve eruditus est, ambitiosè non semper loquatur, sed potiùs operam det, ut, quod linguæ deest, silentiô, & auditione, vel modicâ, eáque prudenti, & modesta locutione suppleat.

42. Quæritur III. Quænam insuper dentur regulæ Modestiæ, Honestatis, & Civilitatis Religiosæ quantùm ad congressum & conversationem cum aliis? Resp. Esse plures, & inter alias etiam sequentes.

I. Regula, bene imprimenda, & observanda est. In omni actione, & conversatione tua, quam cum aliis quibuscunque tandem habes, specimen animi, honorificè eos colentis, & quædam ex sincero animo procedens humilis civilitas, & modestia religiosa appareat.

II. In conversatione, vel in conspectu aliorum, etiam inter tua pietatis, & alia negotia, aut labores, nullatenus tristem, tetricum, melancholicum, vel tædiosum, sed ordinariè serenum, benignum, & modestè hilarem te exhibe. Nam, ùt ait S. Leo *Serm. 4. Quadrag. Religiosorum modestia non sit mæsta, sed sancta*, hinc tristitia est maximè in Conventu dissimulanda, & semper quædam in facie hilaritas prætendenda. Ratio inter alias est; quia facies in cunctis serena, & quodammodo hilaris, mirè ædificat, conversationem humanam gratam, facilémque reddit, & ad sanctam imitationem trahit; dum econtra animus & facies, quæ vel in conversatione, vel etiam in suis actibus & exercitiis, quamvis aliàs piis & bonis, tristis tetricus, vel tædiosus apparet, hominem odiosum reddit, & conversationem humanam gravem efficit.

III. Quantùm potes, cum maturitate, discretione, benignitate, & sancta charitate, servatîs modestiæ legibûs, omnibus te accommoda. Exemplo sit S. Paulus, qui, ùt ipse scribit *1. Cor. 9. v. 22. Omnibus omnia factus sum*, Pulchrè in hanc regulam monet S. Bonavent. *Loc. cit. cap. 30.* dicens: „Dabit congruum, inter homines modum discretio personarum. Status, & qualitas hominum differens, differentiam exigit conversari. Habet se prudens cum differentibus differenter, cum omnibus tamen cautè. Erit simplex, non stolidus: hu-

milis, non dejectus: mansuetus, non blandus: hilaris, non lascivus: affabilis, non vaniloquus, aut scurrilis. Quinimo interest sapientis sic, si res exigat, à rigore interdum remitti, ut modum tamen modestiæ nec in ipsa remissione dimittat. Potest gravitatis censura remitti cum tempore, non dimitti: imputanda tamen remissio, ubi nulla decentiæ, vel utilitatis intentio.,,

IV. Obdormiscere aliis loquentibûs, sedere, dum stant, inambulare, dum immoti manent, loqui, dum tempus silendi est, vel audiendi res inurbanæ sunt, atque indecoræ.

V. Inscitum, & illiberale est, Magistro docente, legere alia, vel agere, sociósve, quò minùs attentè audiant, impedire.

VI. Inter pares, aut penè pares locum ex omnibus commodiorem tibi ne eligas: ad eum invitatus pugnaciter ne resiste, utere illo modestè, ac comiter, & ostende, id obsequendi, & contentionibus occurrendi studiô te facere, simúlque gratias age.

VII. Casu quo, ætate, vel dignitate valde antecellens domi suæ, vel alibi digniorem locum defert, decet, ut valde minor id modestè recuset, & valde antecellens studiosiùs minorem non urgeat, nec plùs quàm semel vel bis ei digniorem locum deferat, ne magnitudo precum, & crebritas facere adigat, quod non decet.

VIII. Inter æquales, vel ferè æquales par est, domi suæ alii honorificentiorem locum offerre, quem oblatum primò modestè recusare, iterata autem amici petitione mox morem gerere decet.

IX. In hominum doctorum, graviúmque congressu, levicula in sermonem ne adducito: nec apud indoctos sublimiora, quàm intelligant.

X. Inter epulas, festáve tempora, tristia ne facilè commemorato: non diritates plagarum, non immunditiarum spurcitias, nec mortis tædia, quin, si de his sermo aliunde inductus erit, tu, si potes, industriè commutato.

XI. Ubi risui locus non est, ibi cavillari, vel jocari velle, importunum est.

XII. Neminem injuriosè, neque joculô, neque extra jocum verbis perstringas. Neminem ludi-

ludifices, hominum præsertim antecellentium, tametsi ab eo causam acceperis.

XIII. De nullo, & nullius rebus, ulla ratione detrahe.

XIV. Consiliis, colloquiísque ne te immisceas, quibus gratúsne intervenias, tibi incertum est.

XV. Tempori, vel auditoribus aliena ne dicito, neque de rebus, si authoritate princeps non es, sententiam, vel opinionem tuam, nisi rogatus profer; præsertim in congressu, vel consessu hominum gravium, doctorum, & te majorum: vel ubi nec tempus opportunum, nec spes utilitatis affulget.

XVI. Intempestivè velle adire, & colloqui, perinde est, ac agendô nil agere: aut si quid agis, eos quos adis, molestiâ, aut indignatione compellere.

XVII. Dum quis alicui loquitur, cave, auditores tuâ causâ ab eo defluant. Tu audi facilis & attentus, non oculos aliunde intorquens, nec aliud agens.

XVIII. Nil oculîs, ore, manibûs faciendum indecorè, quo res, quæ dicitur, exprimatur.

XIX. Si quid narras, longus ne esto, præsertim, cum res parvi momenti est, aut sentis, eam parùm auditoribus gratam esse.

XX. Quod efficere, aut exequi non potes, in id operam tuam ne deferas: quod spopondisti verò, id serva, atque præsta.

XXI. Quod certò non scis, tanquam certum nunquam assevera.

XXII. Si quid narrare cœperit quisquam, non obtundas narranti, te id jam scire, nec ei rem non rectissimè narranti abnutes: neque contra nutes, multò minùs dicas: *Non sic res se habet, falleris, sic se habet.*



§. IV.

De Regulis Modestiæ, Urbanitatis, & Disciplinæ Religiosæ in comedendo, & bibendo.

43. DE his regulis attentè lege, & observa Doctrinam & regulas sancti Bonaventuræ in *Specul. Discipl. part. 1. cap. 21. & 32.* Ex quibus, uti & aliis sanctis Patribus, Asceseos, & morum Magistris sequentes regulæ in specie desumptæ, vobis utiliter observandæ traduntur. Et quidem circa comestionem

44. Quæritur I. Quæ sint regulæ Modestiæ, Urbanitatis, & Disciplinæ Religiosæ in comedendo? Resp. Inter alias esse sequentes.

I. Ante omnia bona intentione, bonóque proposito, & gratiâ Divinâ comedendi, uti decet, & Deo placet, breviter præmissis, inviolabiliter observandum, ne nimis avidè, ardenter, & festinanter, sed tractim, & tardè, ac modestè comedas, ita, ut, dum unum cibum adhuc masticas, aut in ore habes, pro altero manum non porrigas, nec dividas, vel præpares, multò minùs in os immittas.

II. Comedendô labiîs sonum edere, & dum cibus masticatur, labia diducere, & os aperire, ita, ut ab aspiciente cibus cum nausea videri possit, turpissimum, & summopere cavendum est.

III. Inter comedendum nec caput, nec humeros, nec pectus ad cibum incurves, aut inclines, neq; pectus commoditatis causâ pigrè dimittas, sed capite, & pectore erecto, posteriore corpore ad parietem ita prope te colloces, ut erectus sedere valeas, capite non nisi valde modicè demisso.

IV. Cave, ne manducans cubitos supra mensam ponas, vel etiam anteriorem partem brachiorum nimis ad mensam protendas, sed ita manus teneas, ut ultra primam juncturam illæ ad mensam non extendantur.

V. Non utaris omnibûs digitîs ad obsequium comestionis, sed indice solùm, & pollice, ita tamen, ut alios interea velut alas ad volandum extensos, non extendas, illísque gesticu-

sticuleris; hæc enim vanam, & muliebrem levitatem redolet.

VI. Cave, ne nimis immundes digitos, immittendô eos cibis liquidis, aut olera nudîs articulîs cochlearis vice piscandô.

VII. Inunctos digitos, vel cochlear, vel cultrum, aut fuscinulam nimis extensâ linguâ non lambas, multò minùs in vestimento, sed mappulâ abstergas, quam tamen, ne multùm immundes (quod sedulò cavendum) ore, frustulô panis, vel in pane priùs crassiores maculas cochlearis, cultri &c. abstergas; ita tamen, ut partem, seu superficiem panis sic inunctas mox comedas, vel scutellæ pro eleemosyna immittas. Inter honestatis, modestiæ, & urbanitatis defectus in comestione cavendos, numerat S. Bonavent. insuper sequentes.

VIII. Offa Piscium, & similia ex ore super mensam projicere, cùm hæc digitîs honestè excipi, & ad partem seorsim poni debeant.

IX. Super potum, vel cibum quemlibet sufflare; offa enim, vel jusculum nimis calidum priùs temperari potest, illud cochleari sensim modestè commovendô, si in scutella particulari solus habes, aliàs, donec cibi parùm frigescant, paulisper expectandum: nec olfacito cibum ad mensam, &, si quem forsan olfeceris, dehinc cæteris non appone.

X. Os cibô copiosô, vel bolô majorî ita implere, ut tubam inflanti sit simile, & diutiùs incapax ad loquendum, si subitò interrogetur.

XI. Loqui, dum cibus adhuc in ore est.

XII. Offa radere, & dentibûs carnem ossibus adhærentem avellere, quod cultrô faciendum.

XIII. Dentibûs quid avellere à pane, carne, caseo, vel alio cibo, etiam fructibus.

XIV. Ante faciem simul sedentium pro sale, vel aliis necessariis manum super mensam extendere; & eorum cibum manicîs, & habitu tangere, cùm distantia, ut ab aliquo porrigantur, modestè rogari debent: salem propinquus ipse si accipis è salino, vide, ne cultrô inunctô id facias.

XV. Nuces alii, quàm sibi dentibûs frangere; imò cavendum, ne unquam nuces super mensam dentibûs frangantur, aut

aut ossa, vel alii duri cibi ictibûs sonorîs concutiantur.

XVI. Cave etiam summopere, ne jusculô, vel alio cibo cochlear ita oneres, ut ex utraque parte defluente cibo te, & mappulam perfundas, & notam inurbanitatis incurras. Pro quavis macula magìs cavenda, in sinistra manu bolum panis tene, in eóque cochlear cibô præsertim liquidô oneratum, ne diffluat, aut decidat, paululum deterge, quo etiam ad onerandum cochlear, cibúmque in eo componendum locò digitorum uti poteris, & debebis.

XVII. Cochlear vel cultrum immundum in mappula non reponas, sed priùs absterge.

XVIII. Cave tamen, ne mappulam, seu mensale, frequenti, vel superflua detersione cultri, fuscinulæ, cochlearis, digitorum &c. nimiùm deturpes, vel, quod penitus cavendum, purgandis dentibus applices; fœdum enim est, mappas, vel manutergia communia dentium fricatione fœdare.

XIX. Panem ne excortices: caseum ne excaveas.

XX. De fragmentis, & reliquiis, ùt de pane, caseo, & aliis cave, non ultra accipias, ac temperatè comedere intendis: de quolibet tamen ferculo semper aliquid in potagio, vel scutella relinquas; id tibi pauperum, & temperantiæ gratiâ subtrahens.

XXI. Turpe est, pauperem quærere cibaria lautiora, & appositîs non esse contentum, vel de modo præparandi indagare, aut disponere; aut potum vel cibum in specie laudare, vel contestari, aut ostendere, dapes, vel potum palato tuo egregiè arrisisse: si de his interrogaris, modestè, ac prudenter responde.

XXII. Pro una vel altera buccella duntaxat sumenda, partem panis integram non scindas, præsertim, si apud socios jam fractum adhuc superest.

XXIII. Partem ciborum tibi proximam cape, nec meliores, aut majores portiones elige; hoc enim non sapit mortificationem, & charitatem erga alios, & modicam præsentibus præbet ædificationem.

XXIV. Ad honestatem quoque religiosam spectat, cibum, vel potum nunquam, nisi sedendô sumere.

XXV. Fructus, seu aliud quidpiam post, vel universaliter sumere

mere extra mensam, patens est gulositatis indicium: siquidem extra duas vices in die, nisi necessitate cogente, in domo vel extra comedere, puerorum, imò pecudum est. Senex legem in vicibus comedendi non servans, fertur ab Angelo asino comparatus: verba sunt S. Bonaventuræ *cit. cap. 21.*

XXVI. Valde turpe est, frusta carnis, pro suo gustu in patina nuda manu perquirere, & manu tactum ibidem relinquere.

XXVII. Si assaturam, vel alium cibum scindendô dividis, noli partem pro te retinere, donec pro communitate totus cibus divisus fuerit appositus.

XXVIII. Si panem majorem scindis, eum pectori, vel vesti sinè interpositione mappulæ non applica.

XXIX. In mensa, quantùm fieri potest, à tussiendo, sternutando, & excreando abstinendum; quòd si ab horum aliquo abstinere nequeas, facie à mensa, vel saltem à digniori aversa, eáque per mappulam vel strophiolum quasi tectâ, id facito.

XXX. Indecorum est, sub mensa, nuda manu nares purgare, vel eâ carnem nudam scalpere.

XXXI. Oculos in mensa præcipuè custodi, & ne curiosè, vel imprudenter, quæ apud alios aguntur, circumlustrandô prospice, sed potiùs iisdem pudicè demissis, ea tantùm, quæ tibi sunt apposita, attende.

XXXII. Ossa, vel alia, non sunt dejicienda sub mensam, vel jactanda in terram, exceptis iis, quæ tanquam nauseosa respuere necessitas cogit.

XXXIII. Rusticum est, dentes digitô, cultrô, fuscinulâ, vel etiam dentiscalpiô sub mensa purgare, turpius autem, id unguibûs facere; omnium verò turpissimum, immunditiem ex dentibus extractam videntibûs aliis olfacere. Post mensam verò, dum solus es, dentes dentiscalpiô purgare, & strophiolô, vel aquâ, aliis non videntibûs mundare, utiliter, & laudabiliter assuescis.

45. Quæritur II. Quæ sint Regulæ Modestiæ, & Civilitatis Religiosæ in bibendo? Resp. De his quoque agere S. Bonav. *cit. cap. 21 & 32. Specul. Discipl.* Cujus proin Doctrinam ut bene legatis, & observetis practicè,

ex eodem & aliis Patribus subjunguntur aliquæ in specie.

I. Turpe est, bibendô circumspicere.

II. Vel bibendô sonum edere.

III. Vel sorbere jusculum ex scutella, & non ex cochleari, illud per vices sumendô.

IV. Vel bibere ex scypho, aut vitro nimis repleto, ut sinè diffluentia vix locô moveri possit.

V. Vel, scyphus dum in manu tenetur, loqui.

VI. Vel scyphum digitis immundîs accipere, vel eidem pollicem immergere.

VII. Si bibis, poculum utraque manu teneas, oculos non eleves, labia non immergas, nec rusticanô modô nimiùm exporrigas, & os tam ante, quàm post potum tergas.

VIII. Si alii è vicino, præsertim dignior, aut Superior bibunt, simul non bibas, sed tantisper expectes, donec illi bibere cessârint.

IX. Sanè post refectionem ad potum redire, non mediocris vitii notam habet. Honestiùs ad mensam, quantùm indiges, bibis, quàm bibendô per diem meri bibuli morem geris: sunt verba S. Bonavent. *cap. 21.* Ex quibus colligis, vitiô non carere, etiam haustui vespertino, etsi aliàs concesso, se assuescere, e-contra abstinere, virtutis esse; nisi specialis naturæ constitutio, & necessitas aliud exigant.

Potissimùm verò apud sæculares habenda est semper temperantia in, & circa potum; turpissimum enim est, si de nimia potatione notentur Religiosi, quos vitium nimii potûs coram Deo, & hominibus viles reddit. Ad notam hujus vitii fugiendam cavere debent, ne post refectionem, etiamsi vinum apponatur, bibant, aut, postquam in communi potatum est, seorsim sinè urgente necessitate potum in privato requirant, nec, quòd potus in camera, ubi dormitur, remaneat, patiantur. Post cœnam non sunt ad verba, & pocula vigiliæ protrahendæ: sunt verba S. Bonavent. *cit. cap. 32.*



§. V.

§. V.

De Regulis Modestiæ Religiosæ circa ulteriorem compositionem hominis externi.

46. QUæritur I. Quæ sint Regulæ Modestiæ, circa debitè dirigendum caput? Resp. Inter alias esse sequentes.

I. Caput nec sit nimis erectum, nec nimis pronum, seu demissum; nec in alterutrum latus deflexum, sed ordinariè semper rectum, & erectum ita teneatur, ut modica aliqua demissio, vel inclinatio illius appareat.

II. Si reverentiæ causâ ob audita sacra nomina, vel ob transitum coram Sacra imagine, vel alicujus transeuntis caput inclinandum, id non veloci quodam motu, sed moderatè fiat, oculis in altum non erectis, sed potiùs demissis, ipsum etiam collum cum capite inclinandô.

III. Indecorum, est, caput circumrotare undique, vel nimis frequenter movere; honestas enim exigit, ut ordinariè quietum teneatur.

IV. Qui per aliquem à tergo vocatur, vel retrorsum videre debet, non solùm caput retorqueat, sed totum corpus convertat, idque non nimis festinanter, sed modestè & sedatè præstet: quod ipsum universaliter est observandum, quoties caput movere necesse est.

V. In aliorum præsentia, vel inter edendum fricare caput, denotat indecentiam.

VI. Cave, ne cum comis ante vel retro erectis, in publico compareas, indéque post somnum, & aliàs, dum in publico comparere intendis, manu comprimere satagas.

VII. Si cum aliqua insigni persona agens, vel loquens advertis, illam caput detectum diutiùs tenere, licebit humiliter rogare, vel submissè innuere, ut tegat; statim autem majori te dicere, ut tegat, contra rationem decoris est. Si æqualis, vel minoris authoritatis persona capite detecto tecũ agit, aut loquitur, roga, & modestè urge, ut tegat, quia id omnino exigit humilitas religiosa.

47. Quæritur II. Quæ sint Regulæ debitæ Modestiæ, & Honesta-

nestatis Religiosæ circa faciem, seu vultum? Ante Responsionem nota, quòd, cùm in vultu homo internus potissimùm resplendeat, specialiter deceat, eum rectè esse compositum. Jam ad quæsitum Resp. Præter alias esse sequentes.

I. Vultus non sit imaginosus, nec multùm suspensus, velut grandibus cogitationibus intentus, vel penitus in alia distractus.

II. Neque sit severus, nec mœrore obductus, nec ullam animi perturbati significationem præseferat, nec multiplex, vel inconstans appareat: sed ùt plurimùm æqualis, atque ordinariè tranquillus, & serenus, ita tamen, ut in rebus seriis non sit nimia hilaritate solutus, nec in communi vitæ consuetudine, nimia subductus gravitate. Genas inflare semper indecorum.

III. Frons verecundiæ sedes, non sit corrugata, nec supercilia nimis erecta.

IV. Nasus contemptum, vel contumeliam non spiret, nec contrahatur ad derisionem, vel subsannationem.

V. Ad inhonesta dicteria, quantumvìs lepida, non est honestum subridere, sed potiùs velut ignotum idioma, vel non intellectum dissimulare oportet: si verò honestum aliquid festivè, & exhilarandi causâ ab aliquo referatur, ne tantillum quidem subridere, minùs conforme legi charitatis, & humanitatis videtur, & nonnunquam contemptum, & rusticitatem sapit.

VI. In publico, vel extra cellam cum scriptorio, vel calamo ori indito, vel auriculæ imposito comparere, semper indecorum reputat S. Bonav.

VII. Cùm nares emunguntur, id, quod elicueris, in strophiolo respicere, aut digitis, vel manicâ mucum detergere, vel digitis nasum penetrare, vel converrere coram aliis, indecorum est.

48. Quæritur III. Quæ sint Regulæ Honestatis, & Modestiæ Religiosæ circa debitum usum oris, labiorum, & dentium? Resp. Esse à potiori sequentes.

I. Os instar stupidi non est tenendum apertum.

II. Oscitandô ululare, vel nimis patulo ore oscitare, vel inceptum sermonem sub occurrente oscitatione continuare, indecorum est: multùm dedecens,

cens, & hinc valde cavendum est oscitare, dum alius loquitur; quia hoc tædii significationem, aut modicæ observantiæ in eos, quibuscum agitur, argumentum est. Si potes, coram aliis ab oscitando semper abstine; si continere non potes, saltem ne loquere interea, nec oscitandô ulula, nec hianti ore oscita, sed pressâ illud modestè, & manu, & strophiolô objectô, vultu à circumstantium oculis modicè averso.

III. Cùm tussis, vel sternutas, ne magnô & vibrantî sonô inconditè instrepa.

IV. Si excreandum, vel expuendum, non procul, quasi jaculô emissô, nec post humeros, nec alicui, qui simul adsit ex adverso, id faciendum, sed aversa ab aliis facie, longiusculè, & ad latus, si fieri potest: ac, si lentior & crassior est pituita, pede opprimenda.

V. De fenestra in subjectam viam despuere, vel in malluvium, ad quod os, & manus abluuntur, expuere, indecorum est.

VI. Labia nec arctiùs comprimenda, nec pressa rursus inconcinnè erigenda: nec distendenda, vel exporrigenda, nec intra trahenda, nec dentibûs mordenda sunt.

VII. Dentes in conspectu aliorum defricare, vel dentiscalpiô, aut digitîs ex dentibus ciborum reliquias extrahere, aut purgare non decet: si quid eis inhærens magis molestat, facie ab aliis aversa, vel, si haberi potest, strophiolo faciem obducente, breviter fiat.

VIII. In ridendo, quantùm potes, dentes occulta, exaltationem vocis, nimiam deductionem labiorum, & cachinnos devita; dicitur enim *Eccli. 21. v. 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem Sapiens vix tacitè ridebit.* & S. Bonaventura *p. 1. cap. 24. Specul.* ad propositum nostris ponit hanc regulam: *Non sint in risu faciles, nec in voce clamosi; cachinnus præcipuè gravitatem Religiosi plurimùm dehonestat. Vile prorsus est, Religiosum Virum, ut puerum cachinnare. Non licet Religiosum Virum dissolutis labiis risum proferre, sed hilari vultu cordis hilaritatem prætendere.*

49. Quæritur IV. Quæ sint Regulæ Honestatis, & Modestiæ Religiosæ in debito usu oculorum? Ante Responsionem nota, non agi hîc primariò de summè necessa-

necessaria custodia oculorum, & mortificatione visûs ad declinanda varia peccatorum pericula, & virtutum impedimenta (de hac enim sermo erit *in Parte posteriore*, quando agemus de mortificatione quinque sensuum) sed de illorum custodia, & mortificatione, quam exigit Modestia, & Disciplina Religiosa; in ordine ad quam Resp. Præter alias esse sequentes regulas.

I. Universaliter loquendô oculi ab omni inordinata evagatione, & exaltatione, seu elevatione, præsertim in Choro, Mensa, in Communitate congregata, & quando publicè per plateam incedendum, custodiendi, & econtra humiliter demissi, cernui, quieti, & in sereno vultu sint. Ita S. Bonavent.

II. Superbia, elatio, & ferocitas oculorum, seu vultuosa facies summopere cavenda est: nam, ùtidem S. Doctor ait, sublimiores oculi, & facies vultuosa nudam superbiam clamant.

III. Inter loquendum cum Superioribus, vel Senioribus, oculi in eorum vultum non defigantur.

IV. Ab omni mulierum aspectu, qui in facies earum figatur, semper & ubique, præsertim, quando ipsis loquimur, omnino fugiendum est.

V. Modestiæ, & honestati religiosæ maximè adversatur, aspicere rem aliquam, vel objectum fœdum, præsertim castitati contrarium, uti inter alia sunt imagines, quæcunque nudæ, vel minùs honestè formatæ; nam impudicus oculus impudici cordis nuntius est.

VI. Nimia libertas in aspiciendo hinc inde ad quemvis strepitum, ad cujusvis ingressum, ad quemvis casum, primis rudimentis modestiæ, ac disciplinæ religiosæ adversatur.

VII. Curiositatis quoque irreligiosæ, & indisciplinatæ mentis turpe signum est, ad videndum quemvis retro sequentem, vel à latere progredientem retorto capite circumspicere.

VIII. Indecorum valde est, dum quis tibi vicinus literas, vel quid aliud legit, corporis appulsu, vel oculorum injectu ejus lectioni imminere.

50. Quæritur V. Quæ sint Regulæ Modestiæ, & Honestatis Religiosæ in debito usu brachio-

chiorum & manuum? Resp. Præter alias esse potissimùm sequentes.

I. Si brachia, aut manus movenda sunt, excessus vitandus, & cavendum, ne coram aliis oscitandô brachia extendantur.

II. Manus, si non necessariè in aliquo occupantur, quietè intra manicas teneantur, præsertim inter loquendum, & finita (non autem durante) comestione.

III. Inter manuales dissolutiones, modestiæ, & honestati adversas, numerat S. Bonaventuræ etiam sequentes; videlicet: aliquem ad cingulum, vel manum, sinè necessitate prehendere, flores, fructus, vel baculum otiosè gestare: cingulum, Rosarii globulos, aut aliud quidpiam rotare, aut in orbem agitare.

IV. Manus in sinu, aut infra cingulum tenere, valde inhonestum est.

V. A contactu mutuo, præsertim à contactu nudæ carnis alienæ, etiam quoad honestas partes v.g. manûs, & faciei abstinere, ac insuper tactum nudæ carnis propriæ vitare, honestas docet.

VI. Animalia quoque, puta canes, aut catos demulcere, perfectæ honestati contrarium est.

VII. Si alterius vestibus sordidum quid adhæret, vel oberrat, non illi, alterive demonstres, sed quantùm potes, sic concinnè, atque industriè tolle, ut ne sentiat quidem: si alius simile quid tibi decusserit, dempseritque, comem, & gratum animum ei ostende.

VIII. Turpe est manu sustentare caput, aut faciem; turpius, sustentare mentum.

IX. Indecens est digitis tundere, vel quatere aliquid more tympanizantium, vel organistarum.

X. Cellam, vel cubiculum alterius ingressus, contra leges modestiæ agis, si aliena scripta, libros, vel quodcunque occurrerit, contrectes, revolvas, inspicias. Cellam vel cubiculum alterius non ingrediaris, nisi priùs modestè pulsans vocatus, & invitatus fueris: si prima vice pulsus tuus auditus non est, una vel altera vice illum repetere, non autem sæpiùs licet, sed tunc abire decet.

XI. Manus sordidas habere indecorum, & nimis nitidas pro-

procurare vanum est: lavandæ igitur sunt manus, non expoliandæ: abluendæ ad munditiam, non ad nitorem.

XII. Sicut indecorum est ungues non præcisos habere, ita honestati adversatur, eos in conspectu aliorum subsecare, vel dentibus demordere.

51. Quæritur VI. Quæ sint Regulæ Modestiæ, & Honestatis Religiosæ circa debitum incessum, & usum pedum? Resp. Præter alias bene observandas, quas ad propositum tradit S. Bovent. *in Specul. p. 1. c. 23.* ex quo, & aliis SS. Patribus sequentes etiam erutæ sunt regulæ.

I. Cavendum, ne sis de numero eorum, de quibus ait Propheta *Isa. 59. v. 8. Non est judicium in gressibus eorum:* in eorum autem gressibus non invenitur judicium, qui nulla habita ratione necessitatis, occasionis, vel ordinis tardè incedunt, quando est accelerandum; accelerant, quando est tardè incedendum.

II. Incessus sit maturitate plenus, gravis, honestus, videlicet non fractis genibus ambules; aut scapulas dextrorsum, vel sinistrorsum vergendô; non erecta cervice, non prominente pectore, nec inclinato capite super humerum, nec vagabundè pendentibus manibus, nec ventilatione brachiorum. Sunt verba S. Bonaventuræ. *loc. cit.*

III. Ordinariè loquendô incessus moderatè, non nimium tardus, ab omni tamen festinatione alienus sit.

IV. Ad horam Officii Divini, mox, ut auditum fuerit signum, relictis omnibus summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas fomitem inveniat. Sunt formalia S. Bonavent. *cap. 22.*

V. Universaliter etiam, ubi ex causa necessitatis celerius incedendum, id taliter fiat, ut religiosæ gravitatis, & decentiæ ratio habeatur.

VI. Incedendô non nimis breves, nec nimis latos, sed moderatos passus facias.

VII. Dum incedis, pedum plantis terram, totúmque quasi ædificium non concutias, sed humilem, planum, pacatum, & modestum incessum facias.

VIII. Dum gradus scalæ ascendis, vel descendis, non per plures simul saltes.

IX. Actus

IX. Actus modestiæ religiosæ quoque est, ascendendô scalam non se juvare apprehensione funis, vel ligni, nisi debilitas, aut infirmitas aliud exigat.

X. Si sordidum quid v. g. purulentum sputum, in progressu advertis, ex pio munditiei affectu, & sacro quodam cultu religiosi Domicilii, pede obtere, ne & aliis appareat, & nauseam Deo dicatis Personis pariat.

XI. Præfatæ, & aliæ modestiæ, honestatis, ac disciplinæ religiosæ Regulæ ad debitè incedendum præcipuè observandæ sunt, cùm in publico per plateam incedendum, ac specialiter, diligentérque cavendum, ne procaci, elata, aut affectata, nec veloci, sed humili cum gravitate, & maturitate, non vagabundîs, sed mortificatîs oculîs, non pendulîs manibûs, vel ventilantibûs brachiîs, sed manibûs intra manicas contentîs, non cum risu, & garritu mutuo, sed silenti ore, capite cooperto, & facie aperta, competentem rectà obviis exhibendô reverentiam, vel civilitatem, incedatur; talis enim incessus mirè ædificat, ita, ut subinde locò concionis nonnullis serviat; præterquam, quòd famam Religiosi, & Religionis plurimùm commendet, sicut econtra incessus irreligiosus eam prostituit, & pessumdat.

XII. Dum stas, alteri pedi socorditer ne innitaris, néve unum ante te exporrigas; minùs pede pedem confrices.

XIII. Dum sedes, pedem supra pedem ne ponas; nec crura transversim teneas. *Humilem enim fratrem*, ait S. Bonaventura *cap. 19. pedes cancellare non decet.*

XIV. Sicut indecorum, & molestum est, si quis aliquoties admonitus caput non tegat, sic idem est, si aliquoties monitus, ut sedeat, aut certè etiam honoratiorem locum occupet, id detrectet: ab eo, qui major te est, unam vel alteram, non item tertiam monitionem expecta: ab æquali vel minori ad primam obsecundare potes.

XV. In congressu hominum cave, ne cui tergum, aut humeros obvertas.

XVI. Si cum æquali graderis, in eum ne arroges tibi principatum, nec ambitionis delicias secteris, néve, si locus tibi pro dignitate delatus non erit, indolescas.

lescas. Si dignior est comes, dextram relinque, & dum unà itis, cave, gradu eum prævertas: si cum duobus ambulas, digniori medium relinque.

XVII. Si domi solo comite uno spatiaris, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis gressu ad dextram colloca, & nisi ipse subsistiterit, non subsiste, nec prior ambulationem inverte; neque in conversione humeros aut tergum, sed vultum ad eum converte; durante ambulatione jam dextram, jam lævam, ùt sors tulerit, tene; ad finem tamen, dum dignior discedit, lævam elige. Si celsâ erit, & illustri dignitate, gradum cum eo penitus æquare non decet, sed tantillùm reductum tenere, sic tamen modicè, ut tecum sermonem commodè conferat: si compar tecum ambulat, ambulationis spatia pari nutu cum eo dimetire, prior tamen ne semper te converte.

XVIII. Ubi honoris causâ in congressu quis tibi à sinistris existenti dextram præbet, sic te ad hanc converte, ne tergum, sed faciem in convertendo ei exhibeas: si notabiliter dignior persona occurrit, præter debitum reverentiæ obsequium subsistendum nonnihil, aut regrediendum, maximè ad januarum ingressum, aut locorum angustias, dandúsque ei locus, usque dum prætereat.

52. Quæritur VII. Quæ demum sint Regulæ Honestatis, & Modestiæ circa habitum Religiosum? Resp. De iis bene agere, ac propterea bene legendum esse S. Bonavent. *in Specul. Discipl. p. 1. cap. 25.* ex quo & aliis aliquæ adducuntur regulæ.

I. Qualitas & forma habitûs sit per omnia uniformis cum aliis juxta præscriptum Regulæ, & Statutorum.

II. Religiosus nunquam, vel modicùm, præsertim coram aliis, sinè habitu degat, nisi necessitas cogat: *Quia Secularis personæ nuditas, & Religiosus sinè habitu comparantur.* Sunt verba S. Bonavent. *l. c.*

III. Sicut fœditas & immunditia, sic nimius cultus, & nitor, omnisque curiositas (inter quæ meritò numerantur nimis pretiosa, curiosa, & ad solum nitorem ad cingulum pendentia rosaria,

saria, & cruces) in, & circa habitum vitanda est. In vestimentis, ait S. Ambrosius *Lib. 1. Offic. cap. 19. Nihil honestati desit, nec accedat nitori.* Et S. Bonavent. *loc. cit. Culpatur & cultus munditiæ nimius, & neglectus.* enimvero præter latentem superbiam aliquam usu longo observatum est, in artificiali & naturali forma verificari illud: *Cum magna forma est lis pudicitiæ, ita, ut quò magis quis comptus, eò minùs probetur pudicus.*

IV. Cinguli præcinctio nec prælarga sit, nec præarcta, nec immodicè infra alvum depressa; quod turpe admodum, & indisciplinatum: sicut etiam, si neglecta omni decenti, & honesta habitûs dispositione, & adaptione rugarum anteriorum & posteriorum, vel ab anteriori alvus in plano prominet, vel à posteriori contra rationem decoris apparet.

V. Contra modestiam & decentiam habitûs delinquunt etiam juxta S. Bonavent. *locâ cit.* qui indecenter sinuoso syrmate terram verrunt, & retrosequentibus caudis, quocunque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant: item, qui dominarum more tunicam à lateribus tenendô incedunt.


VI. Caputiô os, vel mentum abscondere, vel eodem non tantùm caput, sed etiam faciem tegere, tanquam indecens prohibet S. Bonav. *loc. cit.* dicens: *Non est caputium sive coram fratribus, sive coram extraneis nimis in capite sinè rationabili causâ profundandum: decet caput in publico, non faciem operiri.* hinc juxta dicta supra in publico cooperto capite, & facie aperta, demissis oculis, silenti ore, modestè incedere decet.

FINIS.









INDEX
Partis Prioris.
Litera Romana indica Caput. n. numerum marginalem, & p. paginam.

Quàm

O.

P.

Prin-

procurare vanum est: lavandæ igitur sunt manus, non expoliandæ: abluendæ ad munditiam, non ad nitorem.

XII. Sicut indecorum est ungues non præcisos habere, ita honestati adversatur, eos in conspectu aliorum subsecare, vel dentibûs demordere.

51. Quæritur VI. Quæ sint Regulæ Modestiæ, & Honestatis Religiosæ circa debitum incessum, & usum pedum? Resp. Præter alias bene observandas, quas ad propositum tradit S. Bovent. *in Specul. p. 1. c. 23.* ex quo, & aliis SS. Patribus sequentes etiam erutæ sunt regulæ.

I. Cavendum, ne sis de numero eorum, de quibus ait Propheta *Isa. 59. v. 8. Non est judicium in gressibus eorum:* in eorum autem gressibus non invenitur judicium, qui nulla habita ratione necessitatis, occasionis, vel ordinis tardè incedunt, quando est accelerandum; accelerant, quando est tardè incedendum.

II. Incessus sit maturitate plenus, gravis, honestus, videlicet non fractis genibûs ambules; aut scapulas dextrorsum, vel sinistrorsum vergendô; non erecta cervice, non prominente pectore, nec inclinato capite super humerum, nec vagabundè pendentibûs manibûs, nec ventilatione brachiorum. Sunt verba S. Bonaventuræ. *loc. cit.*

III. Ordinariè loquendô incessus moderatè, non nimiùm tardus, ab omni tamen festinatione alienus sit.

IV. Ad horam Officii Divini, mox, ut auditum fuerit signum, relictîs omnibûs summa cum festinatione curratur, cum gravitate tamen, ut non scurrilitas fomitem inveniat. Sunt formalia S. Bonavent. *cap. 22.*

V. Universaliter etiam, ubi ex causa necessitatis celeriùs incedendum, id taliter fiat, ut religiosæ gravitatis, & decentiæ ratio habeatur.

VI. Incedendô non nimis breves, nec nimis latos, sed moderatos passus facias.

VII. Dum incedis, pedum plantîs terram, totúmque quasi ædificium non concutias, sed humilem, planum, pacatum, & modestum incessum facias.

VIII. Dum gradus scalæ ascendis, vel descendis, non per plures simul saltes.

IX. Actus

IX. Actus modestiæ religiosæ quoque est, ascendendô scalam non se juvare apprehensione funis, vel ligni, nisi debilitas, aut infirmitas aliud exigat.

X. Si sordidum quid v. g. purulentum sputum, in progressu advertis, ex pio munditiei affectu, & sacro quodam cultu religiosi Domicilii, pede obtere, ne & aliis appareat, & nauseam Deo dicatis Personis pariat.

XI. Præfatæ, & aliæ modestiæ, honestatis, ac disciplinæ religiosæ Regulæ ad debitè incedendum præcipuè observandæ sunt, cùm in publico per plateam incedendum, ac specialiter, diligentérque cavendum, ne procaci, elata, aut affectata, nec veloci, sed humili cum gravitate, & maturitate, non vagabundîs, sed mortificatîs oculîs, non pendulîs manibûs, vel ventilantibûs brachiîs, sed manibûs intra manicas contentîs, non cum risu, & garritu mutuo, sed silenti ore, capite cooperto, & facie aperta, competentem rectâ obviis exhibendô reverentiam, vel civilitatem, incedatur; talis enim incessus mirè ædificat, ita, ut subinde locô concionis nonnullis serviat; præterquam, quòd famam Religiosi, & Religionis plurimùm commendet, sicut econtra incessus irreligiosus eam prostituit, & pessumdat.

XII. Dum stas, alteri pedi socorditer ne innitaris, néve unum ante te exporrigas; minùs pede pedem confrices.

XIII. Dum sedes, pedem supra pedem ne ponas; nec crura transversim teneas. *Humilem enim fratrem*, ait S. Bonaventura *cap. 19. pedes cancellare non decet.*

XIV. Sicut indecorum, & molestum est, si quis aliquoties admonitus caput non tegat, sic idem est, si aliquoties monitus, ut sedeat, aut certè etiam honoratiorem locum occupet, id detrectet: ab eo, qui major te est, unam vel alteram, non item tertiam monitionem expecta: ab æquali vel minori ad primam obsecundare potes.

XV. In congressu hominum cave, ne cui tergum, aut humeros obvertas.

XVI. Si cum æquali graderis, in eum ne arroges tibi principatum, nec ambitionis delicias secteris, néve, si locus tibi pro dignitate delatus non erit, indolescas.

lescas. Si dignior est comes, dextram relinque, & dum unà itis, cave, gradu eum prævertas: si cum duobus ambulas, digniori medium relinque.

XVII. Si domi solo comite uno spatiaris, atque is erit, cui honorem debeas, eum primo ambulationis gressu ad dextram colloca, & nisi ipse substiterit, non subsiste, nec prior ambulationem inverte; neque in conversione humeros aut tergum, sed vultum ad eum converte; durante ambulatione jam dextram, jam lævam, ùt sors tulerit, tene; ad finem tamen, dum dignior discedit, lævam elige. Si celsâ erit, & illustri dignitate, gradum cum eo penitus æquare non decet, sed tantillùm reductum tenere, sic tamen modicè, ut tecum sermonem commodè conferat: si compar tecum ambulat, ambulationis spatia pari nutu cum eo dimetire, prior tamen ne semper te converte.

XVIII. Ubi honoris causâ in congressu quis tibi à sinistris existenti dextram præbet, sic te ad hanc converte, ne tergum, sed faciem in convertendo ei exhibeas: si notabiliter dignior persona occurrit, præter debitum reverentiæ obsequium subsistendum nonnihil, aut regrediendum, maximè ad januarum ingressum, aut locorum angustias, dandúsque ei locus, usque dum prætereat.

52. Quæritur VII. Quæ demum sint Regulæ Honestatis, & Modestiæ circa habitum Religiosum? Resp. De iis bene agere, ac propterea bene legendum esse S. Bonavent. *in Specul. Discipl. p. 1. cap. 25.* ex quo & aliis aliquæ adducuntur regulæ.

I. Qualitas & forma habitûs sit per omnia uniformis cum aliis juxta præscriptum Regulæ, & Statutorum.

II. Religiosus nunquam, vel modicùm, præsertim coram aliis, sinè habitu degat, nisi necessitas cogat: *Quia Sæcularis personæ nuditas, & Religiosus sinè habitu comparantur.* Sunt verba S. Bonavent. *l. c.*

III. Sicut fœditas & immunditia, sic nimius cultus, & nitor, omnisque curiositas (inter quæ meritò numerantur nimis pretiosa, curiosa, & ad solum nitorem ad cingulum pendentia rosaria,

faria, & cruces) in, & circa habitum vitanda est. In vestimentis, ait S. Ambrosius *Lib. 1. Offic. cap. 19. Nihil honestati desit, nec accedat nitori.* Et S. Bonavent. *loc. cit. culpatur & cultus munditiæ nimius, & neglectus.* enimvero præter latentem superbiam aliquam usu longo observatum est, in artificiali & naturali forma verificari illud: *Cum magna forma est lis pudicitiæ, ita, ut quò magis quis comptus, eò minùs probetur pudicus.*

IV. Cinguli præcinctio nec prælarga sit, nec præarcta, nec immodicè infra alvum depressa; quod turpe admodum, & indisciplinatum: sicut etiam, si neglecta omni decenti, & honesta habitûs dispositione, & adaptione rugarum anteriorum & posteriorum, vel ab anteriori alvus in plano prominet, vel à posteriori contra rationem decoris apparet.

V. Contra modestiam & decentiam habitûs delinquunt etiam juxta S. Bonavent. *locâ cit.* qui indecenter sinuoso syrmate terram verrunt, & retrosequentibûs caudis, quocunque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant: item, qui dominarum more tunicam à lateribus tenendô incedunt.


VI. Caputiô os, vel mentum abscondere, vel eodem non tantùm caput, sed etiam faciem tegere, tanquam indecens prohibet S. Bonav. *loc. cit.* dicens: *Non est caputium sive coram fratribus, sive coram extraneis nimis in capite sinè rationabili causâ profundandum: decet caput in publico, non faciem operiri.* hinc juxta dicta supra in publico cooperto capite, & facie aperta, demissis oculis, silenti ore, modestè incedere decet.

FINIS.









INDEX

Partis Prioris.

Litera Romana indica Caput. n. numerum marginalem, & p. paginam.

Quàm

O.

P.

Prin-



FINIS.

Menda potiora sic emenda.

PAg. 15. col. 1. lin. 3. *v. 23.* lege. *v. 33.* c. 2. l. 2. *corde* lege *corpore*. P. 16. c. 1. l. 13. *c. 14.* lege *c. 4.* P. 22. c. 1. l. 29. *tuum* lege *ejus* P. 66. c. 2. l. 7. *viribus* lege *vicibus* P. 75. c. 1. l. 1. *v. 6.* lege *v. 7.* P. 163. c. 1. l. antepen. *Confessio* lege *Confessionis*. P. 201. c. 2. l. 24. *obiten* lege *obiter* l. 25. *parenthesiit* lege *parenthesin* P. 204. c. 1. l. 18. *v. 16.* lege *v. 24.* P. 239. c. 1. l. 23. *possent* lege *possunt* P. 285. c. 1. l. 23. *coporis* lege *corporis* P. 322. c. 1. l. 11. *mulipliciter* lege *multipliciter* P. 405. c. 2. l. 4. *omnes* lege *omnis* P. 426. c. 2. l. 17. *liberas* lege *libertas* P. 449. c. 2. l. 30. & lege *ad* P. 453. c. 2. l. 20. *est* lege & P. 468. c. 2. l. 6. *effectus* lege *affectus* P. 473. c. 1. l. 12. dele *lectionem* c. 2. l. 11. *embescat* lege *erubescat* P. 493. c. 1. l. 16. *competentes* lege *competenter*.

